

R-22.705

ELENCHVS CAPITVM.

rhodoxa esse, docetur rursum, & confirmatur, ex summorum Pontificum oraculis, Conciliorumque cum vniuersalium, tum particularium quoque decretis.

CAPVT NONVM.

Purgatorij fides ex sanctorum Patrum traditione, communiq; Scriptorum Ecclesiasticorum sensu atq; consensu denuo constituitur, & confirmatur.

CAPVT DECIMVM.

Purgatorium, eiusdemque assertionem cum rationis lumine non pugnat, sed oppido illi consentaneam esse.

CAPVT VNDECIMVM.

Purgatorij locum iustis quibusdam post hanc vitam superesse, ostenditur tandem ex rationum & argumentorum infirmitate & vanitate, quibus Antagonistae illud impugnant.

CAPVT DVODECIMVM.

Purgatorij poenas grauissimas esse, nec ob id tamen, aut meritum augere, aut qualitercunque auctas salutis spem adimere.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

Iustorum animas in Purgatorio, nec labi posse amplius, neque de salute sua incertas esse.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

Viuorum suffragia pie in Christo defunctis ad poenarū mitigationem, vel ad integram quoque earundem condonationem prodesse.

CAPVT QVINTVMDECIMVM.

Quae contra suffragia ab Antagonistis allegantur, ea vim illorum adeo non laefactare, vt eandem quoque non parum confirmant.

CAPVT SEXTVMDECIMVM.

Non eandem suffragiorum omnium vim, nec eandem rursum suffragantium omnium conditionem esse.

CAPVT SEPTIMVMDECIMVM.


Mortuos honorificè tumulandos, eorumque exequias, & anniuersaria fideliterq; celebranda: Sed & iam inde quoque ab Apostolorum aetate in Ecclesia Christi celebrari solita.

B IN SE

6. a 7. 7



1458 48 Italia



ELENCHVS CAPITVM.

orthodoxa esse, docetur rursum, & confirmatur, ex summorum Pontificum oraculis, Conciliorumq; cum vniuersalium, tum particularium quoque decretis.

CAPVT NONVM.

Purgatorij fides ex sanctorum Patrum traditione, communiq; Scripturum Ecclesiasticorum sensu atq; consensu denuo constituitur, & confirmatur.

CAPVT DECIMVM.

Purgatorium, eiusdemque assertionem cum rationis lumine non pugnat, sed oppido illi consentaneam esse.

CAPVT VNDICIMVM.

Purgatorij locum iustis quibusdam post hanc vitam superesse, ostenditur tandem ex rationum & argumentorum infirmitate & vanitate, quibus Antagonistae illud impugnant.

CAPVT DVODECIMVM.

Purgatorij poenas grauissimas esse, nec ob id tamen, aut meritum augere, aut qualitercunque auctas salutis spem adimere.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

Iustorum animas in Purgatorio, nec labi posse amplius, neque de salute sua incertas esse.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

Viuorum suffragia pie in Christo defunctis ad poenarū mitigationem, vel ad integram quoque earundem condonationem prodesse.

CAPVT QVINTVMDECIMVM.


Quae contra suffragia ab Antagonistis allegantur, ea vim illorum adeo non labefactare, vt eandem quoque non parum confirmant.

CAPVT SEXTVMDECIMVM.

Non eandem suffragiorum omnium vim, nec eandem rursum suffragantium omnium conditionem esse.

CAPVT SEPTIMVMDECIMVM.

Mortuos honorificè tumulandos, eorumque exequias, & anniuersaria pie fideliterq; celebranda: Sed & iam inde quoque ab Apostolorum aetate in Ecclesia Christi celebrari solita.



B IN SE

6. a 7. 7.

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE
IN SE Q V E N T E S
 LIBROS THEODORI PELTANI,
 DE NOSTRA SATISFACTI-
 ONE, ET PVRGATORIO,
 INDEX.

A Alienatio duplex genus. fol. 283.
 Ablui fletibus potest, quod defendi non potest 138.
 Absolutio sacerdotis non perimit semper totam poenā peccato debitam 59.
 Absolutionis & condemnationis idem minister, seclusa necessitate 100.
 Absolutionis sacramentum non infrequenter confert primam gratiam 103.
 Absolui non debet, qui damnum dedit, nisi damnum resarciat 91.
 Abstinencia indicēda iuxta modum delicti 45.
 Actus, quo venialis culpa post hanc vitam condonatur, non est proprie meritorius, sed meritorio similis 278.
 Adamus amictu ostendit suam poenitentiam 53.
 Aduerbum, Ecce, non semper demonstrat rem presentem 379.
 Aer liberabitur post communem carnis resurrectionem à nubibus & à dæmonum turbis 210.
 Agere bene & malè, non est eiusdem facultatis 7.
 Amicitia inter homines vnde ordiatur, & per quæ foueatur & confirmetur 225.
 Amicum æterna poena plecti non decet 17.
 Angelus non potest condi, qui naturaliter anima sic inferior 173.
 Angelus & anima non eandem fortiumur operationem, neque eundem operationis modum 173.

Angeli non sunt animarum humanarum precreatores 168.
 Angelorum ne ministerio in priuato iudicio vtatur Christus, incertum 194.
 quod Angelis lapsus, hoc hominib⁹ mors 192.
 Anima nec corpus est, nec corporis pars, nec corporis constitutio 170. non est qualitas, aut corporis harmonia. ibid. non est totus homo, aut natura aliqua perfecta, ex materia & forma concreta 171. non est quiddam ex materia & forma compositum 172. secundum se nō est substantia pfecta, vt Angelus 173. corporis motor & essentialis illius forma existit 176. vnitur corpori per se primò & proximè 181. informat totum corpus, omnesque & singulas corporis partes 182. secundum se rotam est in singulis corporis partibus 183. non est indiuidua vt punctus. ibid. neque vbique est, neque nusquā est 184. nullam corporis partem informat, nisi conuenienter dispositam. ibi. plerunque partem post partem informare desinit 185. non eodem modo incipit & desinit informare. ibid. secundum se non crescit, nec crescere potest 233. non habet maiores vires extra quàm intra corpus, sed minores 233. tantarum est virtum in infante, vel sene, quantarum est in valido gigante 233. clariùs intelligit extra quàm intra corpus 234. non potest corpus suo vastius mouere. ibid. corpus, quod semel deseruit, non potest mouere, aut non expe-

NOSTRA SATISFAC. ET PVRGATORIO, INDEX.

expeditè mouere 234. ad suum corpus regressa, nō potest ibi exercere actus, quos priùs ibidem exercebat 235.
 Anima omnis voluntarij actus principium 189. & omnis sensus radix 427.
 Anima intelligens non est corporea 169.
 Anima vna ad numerum non potest in pluribus hominibus esse 177.
 Anima ratione & mente prædita, est vera & propria humani corporis forma 172.
 Anima per peccatum caro efficitur 321.
 Anima seiuncta apprehendit omnium sensuum obiecta 236.
 in Anima radicaliter vis motiua manet 236.
 Anima mortali corpori adhuc coherens, non est idonea, quæ Deum clarè videat 421.
 in Anima separata reliqua sunt intellectus, voluntas, & vis motrix 236.
 Animam esse immortalem, communis animorum conceptus est 175. suapte natura mortalem esse, naturali ratione demonstrari non potest. ibid.
 Animæ humanæ nō sunt ex raduce 167. non sunt ignis aut igneæ, aut ex spiritu & igne conflatae 168.
 Animæ nostræ ex diuina natura nō sunt sumptæ 169.
 Animæ immortalitatem qui impugnant, vitandi, etiamsi illam aperte non negent 176.
 Animæ plures in vno homine non sunt ratione & numero inter se distinctæ 178.
 Animæ deportatio est sententiæ latæ executio 187.
 Animæ corporibus egressæ nescitur quò deportentur 187.
 Animæ pro corporum numero multiplicantur 175. non indigent porta, per quam emittantur 187. possunt seipsas de loco ad locum transferre 196.
 Animæ communiter ibi iudicantur, vbi corporis tabernaculum ponunt 193.

Animæ iudicatae ab angelis vel dæmonibus deportantur ad locum meritis suis dignum 196.
 Animæ sedes in hac vita est corpus 199.
 Animæ eadem essentialis merces ante & post carnis resurrectionem 202.
 Animæ omnes è suis sedibus prodibunt ad iudicium 223.
 Animæ sufficienter purgatæ statim admittuntur ad gloriam 224.
 Animæ, quæ naturaliter non exeunt, mirabiliter exeunt aliquando 226.
 Animæ mouendi vim, quam in corpore habebant, extra corpus non amittunt 233. mouere possunt corpus, quod actu non informant. ibid.
 Animæ seiunctæ possunt seipsas de loco ad locum transferre 233.
 Animæ purgatæ statim admittuntur ad claram Dei visionem 332.
 Animæ continentur sedibus pro meritorum ratione se dignis 333.
 Animæ in purgatorio de sua salute sunt certæ 454.
 de Animarum origine tria in disputationem adduci possunt 166.
 Animarum humanarum causa est solus Deus 168.
 Animarum quinque communia receptacula 197.
 de Animarū receptaculis non idē omnium iudicium 197.
 Animarū quatuor receptacula sunt subterranea 203.
 Animarum sedes non est paradus terrestris 201.
 Animarum tres perpetuas sedes Pelagianos comminisci 381.
 Animarū triplex extat status post hanc vitam 386.
 Animas decipiunt, qui pro granibus delictis leues satisfactiones iniungunt 47
 Animabus separatis cur mouendi facultas adimi debeat, nulla est causa 232.
 Apostoli vna voce multa tradiderunt, quæ literis consignata non sunt 402.

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

Auersio à Deo, dampni pœna multatur 16.
Augustinus de inferorum loco dubius 208.

D. Augustini laus 267. sententia depur-
gatoriarum pœnarum acerbitate 424.
per Aurum, argentum & lapides precio-
sos quid designetur 245.
Austri nomine designari charitatē 379.

B

Baptismus absomit omnem noxam
& pœnam 14. non magis tollit
prauos animi habitus quàm Pœnitē-
tia, sed plerunque minus 50. perpetu-
um vestigium, vitæque spiritalis se-
minarium post se relinquit 87. cur
omnem, pœnitentia non omnē sem-
per pœnam absumat 147.

Baptismi candidati aliter suscipiendi,
aliter relapsi 69.

Baptismi metaphorica notatione totum
id designatur, quod expiandi vi pollet
289.

per Baptismum nulla culpa remittitur
absque pœna 121.

inter Baptismum & Pœnitentiam latum
discrimen 50.

Beatitudo non par est omnium 191.

Beati supernaturali amore nos diligunt
226.

Beatorum spiritus toties ad hæc inferio-
ra descendunt, quoties lubitum fuerit
226. dum ad homines exeunt, nullam
gloriæ suæ iacturam faciunt 227.

Bonum gratiæ potentius est malo noxæ
156.

Boni mediocriter, sunt mediocriter ma-
li, & vice versa 466.

C

Calamitatum triplex genus 75.
Caluini de Patrum consensu testi-
monium 59.

Canonici libri omnes ex eodem fonte
profluxerunt, eisdemque calculis ap-
probati sunt 303.

Capitalia nō ea facilitate eluuntur, qua
venialia 57.

Capiti tribuuntur, quæ membrorū sunt,
& contrā 130.

post Carnis resurrectionē cessabit omnis
ortus & interitus 216.

Catholicorum nullus vnquam docuit
non esse purgatorium 352.

Causa non operatur, nisi applicata 125.

Causa sublata, nō semper simul quoque
effectus tollitur 155.

Charitas pœnæ debito nō repugnat 357.

Charitas Austri nomine quomodo defi-
gnetur 379.

Christus non quicquid obseruauit, hoc
nos obseruare, aut non obseruare de-
bemus 129. per nos portat, & nos vicif-
sim per illum 130. præcipuè electorum
causa homo factus & mortuus est 133.

quomodo sit omnium & multorū ser-
uator 133. vtrum præcium præparaue-
rit, an etiam actu numerauerit 134. in-
certum omnes ne sanārit in animo,
quos sanauit in corpore 152. spiritalis
ædificij primarium fundamentū 244.

electos suos non solum in hoc mundo
visitat, sed & in purgatorio 403.

Christus vnus omnium simul viator &
compræhenfor extitit 451.

Christus satisfecit, vide Satisfactio.

Christi meritum participaturus, dispo-
sitionem huc adferat necessum est 126.

Christi passio quomodo nihil, & ali-
quid desit 131.

à Christo dimanat omnis motus & sen-
sus spiritalis 460.

Christiani hominis seruitus non est ab-
lata, sed in meliorem commutata
143.

Christiana libertas non est facultas ma-
le agendi, aut nihil agendi 143.

Ciuita & spiritalia inter se permutari
possunt 110.

Clauis vis ex scripturis manifesta 147.

Clericorum varia erāt pœnæ & multæ,
pro criminū admissorū diuersitate 95.

Cœlum nullum malum habitum admit-
tit 107.

Cœlum

NOSTRA SATISFAC. ET PURGATORIO, INDEX.

Cœlum empyreum naturali ratione pro-
bari non potest 205. est corporeum, &
suo quoque modo spiritale. ibid.

Cœlum nunc adiri è corpore & purgato-
rio, vt olim limbum 221.

Cœli præcipuum ornamentum est Deus,
Diuorumque præsentia 206.

Cœmeteria in ijs locis constituenda, vbi
frequens offertur Missæ sacrificium
325.

Cognitio non contingit in hac vita citra
sensuum ministerium 180.

Conciliorum & Pontificum auctoritas
354.

Condonans maius, non statim quod mi-
nus est condonat 153.

Confessarius satisf. iniuncturus, quid ex-
pendere debeat 44.

Confessarius Dei vicarius, & pœnitentis
iudex 101. simul iudex & medicus 108.
commodè indictam satisfactionem
relaxare non debet: potest tamen mu-
tare, si necessitas postulat 103.

Confessario peccatoris promptitudo &
peccati qualitas spectanda 44.

Confessarium qui fallit, se fallit 42.

Confessarium oportet esse discretum, &
medici more industrium 44.

Constitendi veterum mos 51.

Contritio ex Sacramenti voto vim mu-
tuatur 19. raro absomit omnem pœnam
17. 20.

Contritio nulla est, quæ non aliquid pœ-
næ absumat 18.

Contritio incensa omnem tollit pœnam
18. 192.

Contritio æquè satisfactoria est, qua v-
num, & qua multa peccata perimun-
tur 90.

Contritio nostra maioris energiæ est q̄
veteris populi 20.

Contritionis obiectum, noxa est 13.

Contritio per se nulla debetur pœna 15.

Conuersio ad rem caducam, Deo deserto,
plectitur sensus pœna 16.

Corpus, vt ciuinodi, non potest esse pri-
mum vitæ principium 170.

Corpus animæ sedes est in hac vita 199.
Corpus per se nec plectitur, nec corona-
tur 388.

Corpus secundum se magis patibile, mi-
nus sensibile 429.

Corpus quæ agar in spiritum, difficile ex-
plicatu 429.

Corporis omnes & singule partes esse sub-
stantiale ab anima mutantur 182.

Corinthiorum doctores in partem curio-
si, inanisque gloriæ cupidi 246.

Criminis magnitudinem vis illata eleuat
43.

in Crimine quouis lethali comperiuntur
tria 16.

Crux apud designatur per Baptismum 289.

Crux Christi non in omnibus efficax, aut
æquè efficax est 119. tantum valuit, quan-
tum crucifixus eam valere voluit 122.

cur in multis inefficax sit, causæ multæ
125.

Crux nostra sine Christi cruce nullius ro-
boris est 56.

Crucis Christi vim Sectarij emeruant 1.

Crucis Christi dispar fructus ex duobus
præcipuè prouenit 120.

Cruce sua Christus ordinem iustitiæ in-
teruertere noluit 122.

Crucifigatur oportet, cum Christo regna-
urus 40.

Culpa vnus in alterum citra consensum
non transit 62.

Culpa nulla est tanta, quæ in hac vita ci-
tra martyrium penitus aboleri nō que-
at 425.

Cultus Dei præcipuus in iustitia & sancti-
tate positus est 141.

Cultum vniuersum sublatum esse vnā cum
Purgatorio apud Sectarios 369.

Cultum falsum inducere, aut falsum do-
gma statuere, res est grauissima 334.

D

Dæmones horrent abyssum 228.

Dæmonum propria sedes est infer-
nus, non aer hic caliginosus 201.

B 3

Dæ-

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

Dæmonibus quibusdam nequiores quidam homines 231.
 Damnatio æterna tria intrinsecè comprehendit 16.
 Damnationis vocabulum in iustos proprie non conuenit 134.
 Dammati Deum non laudant, nec eadem benedicit 279. iram Domini portant, sed non confurgunt 317.
 Damnatorum conditioni conuenit terræ centrum 213.
 Damnatorum dolores ordinaria lege nunquam soluuntur 294.
 Damnatæ non licet exire, quum id lubet 227. inferum non deserunt ut profint, sed ut obsint 228.
 Damnum omne aut est boni habitæ, aut boni iure debiti 419.
 Dauid peccata condonata vltionis pœnis plectit 23. plura præstitit, quàm debebat 358.
 Dauidis insignis penitentia 57.
 Deliciæ præteritæ vitæ austeritate pensanda 55.
 Delictum nullum, quod eleemosyna & abstinentia purgari non queat 55.
 Delicta publica multari debent publica pœna 39.
 Defuncti mutant naturam & statum 225. quatuor modis iuuantur 333.
 Defuncti eiusdem gratia cur crebrius oretur, vel sacrificetur, graues sunt causas 492.
 Defunctorum ne spiritus ἀνοήτων redeant, incertum 231.
 Defunctorum memoria in omnibus, Liturgijs habetur 328.
 per Defunctorum animas non sunt tumultuationes nocturnæ, sed per dæmones impostores 235.
 piæ Defunctorum corpora magno studio sunt curanda 515.
 Defunctorum monumētis affigere signa militaria, non est res noua, neque per se illicita 521.
 pro Defunctis quotidie orandum & of-

ferendum 330.
 pro Defunctis orare pium opus est, ut à peccatis absoluantur 302. Apostolica traditio est 494. item offerre 337. 506.
 pro Defunctis piè nunquam frustra oratur 492.
 pro Defunctis non omnibus orandum 301.
 in Defunctis omnes sensitiuæ partis affectiones intercidunt 226.
 Defunctos suis votis fraudare, sacrilegium 324.
 Deus nō quicquid absoluta, hoc quoque ordinaria potētia potest 4. opera moraliter tantum bona non aspernatur 5. quæ consulunt, ea & præcipere quoque potuit 6. magis odit noxā q̄ pœnam 7. ab vniuersali rerum dominio se exuere nequit 11. nullum peccatum inultū relinquit 22. tantum parcit, quantum nos flagellamus 58. non minus propensus est ad parcendū, q̄ ad perdendū 111. vnū sapē punit propter alterius delictum. ibid. nunquam iniuste punit 115. noluit Christi satis. admittere ad absolutam peccatorū impunitatem 123. ne minimū quid peccatum relinquit impunitum 358. si nullum peccatum puniret, quæ incommoda sequeretur 362.
 Deus pleraque per media operatur 126. ut corpora non sanant citra media, ita nec animos quoque 129. nō ob id nobis aduersatur, quod vitia nostra castigat, castigādoque expiat 135. quædā simul, alia per temporum spatia absoluit 151.
 Deus quæ absolutè à nobis exigit, ea tantum absolutè præstare obligamur 157.
 Deus non delectatur pœna, ut pœna est, sed ut iusta est 80.
 Deus solus ἀναγράφου 51.
 Deus quosdam punire potest vbi peccarunt 208. quod vult, hoc cuique rei est naturale 213.
 Deus solus simul & semel vbi que præsens adest 231.

Deus

NOSTRA SATISFAC. ET PURGATORIO, INDEX.

Deus pro viuus & mortuis orandus & consulendus 320. neminem damnat, nisi quem iustitia inhibente saluare non potest 363. quiduis in hominis commodum vel incommodum conuertere potest 410. nec vna solū ratione consideratur, nec vno tantum amore diligitur 422.
 Dei vniuersale dominium non infirmat satisfactionis iustitiam 11.
 Dei solius propriū esse, vbi que adesse 198.
 Dei quotidiana beneficia excedunt omnia impiorum & sceleratorum merita 335.
 in Dei, vel ex Dei substantia quicquid est, hoc Deus est 169.
 in Dei manu omnia esse, quomodo dicantur 380.
 Deo proprium misereri & parcere 69.
 à Deo qui corripuntur, non omnes in ira & furore ab illo corripuntur 315.
 Deum infestissimè odisse peccatum multis argumentis & modis constat 363.
 in Deum nulla cadit iniustitia 367.
 in Deum referri potest, quod sit: quod iam effluxit, non potest 86.
 Dies Domini rarè patefit in hac vita, nec tum quoque patefit semper per ignem 248.
 Dies Domini non designat presentis vitæ spatium 247. non est dies vniuersalis iudicij 248. est dies mortis cuiusque 249.
 Dilectio & contritio à se inuicem diuelli non possunt 78.
 Dionysij Carthus. sententia de actione ignis tartarei 438.
 Diui nec sunt vbi que, nec vbi que esse possunt 230.
 in Diuorum monumentis extruendis & exornandis veteres magnifici 522.
 Diuina offensa vtrinque est infinita: iusti opus vtrinque est finitum 7. 8.
 Diuinitus qui caduntur, non omnes eodem sine caduntur 76.
 Dolor perfectus quamquam deprecatur 420.

Dolor internus absque externo constare potest, externus autem absque interno non potest 420.
 Dolor nullus citra animi sensum contingit 420.
 Dolor proprie est læsionis sensus 427.

E

Ecce, aduerbium non semper demonstrat rem presentem 379.
 Ecclesia vera fidei suæ originem ad Christum & Apostolos refert 323.
 Ecclesia primitiua non solum panem & vinum pro defunctis offerebat, sed & epulas 313.
 Ecclesia non orat pro certò damnatis aut beatis 299. multa obseruat, & quadam quoque credit, de quibus Scripturæ expressè nihil cauent 411. non in omnibus euidenti Scripturarū autoritate indiget 412.
 Ecclesiæ columnæ Episcopi 41.
 Ecclesiæ est iudicare, quæ Scripturæ sint germanæ, quæ item nothæ 322.
 Ecclesiæ sola autoritas facit est ad quoduis dogma constituendum 414.
 Ecclesiæ suffragia quibus profint, vel non profint 461. 467.
 in Ecclesia Dei quæ creduntur, prædicantur, & obseruantur, triplex eorum est gradus 240.
 Ecclesijs qui pia legata subtrahunt, infideles censendi 328.
 Electus nullus ad iudicium vniuersale comparebit immundus 384.
 Eleemosyna, ieiunium & oratio non possunt semper, priuatiuè semper sunt molestæ 79.
 Eleemosyna, oratione & ieiunio summam quoduis satisfactionis opus continetur 74.
 Eleemosynæ fructus 55. 297.
 Eleemosynarum magna vis, & remuneratio 501.
 Episcoporum & maiorum sacerdotum fuisse, publicas penitentias indicere 97.
 Errandi ansam quod rudibus quouis modo

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

modo præbet, non id statim tolli debet
145.
Eucharistia ordinariè vitam non præstat,
sed aliundè acceptam auget 148.
Exauthorationis causæ apud veteres ex-
citerunt quàm plurimæ 95.
Ezechiel non solum gemitum, sed ope-
rum quoque satisfactionem deposcit
137.

F

Feruore à veteri multum degenera-
tum 94.
Fides in vtroque Testamento est eadem:
sed non eadem Sacramenta, neque ead-
em ceremoniæ 307.
Fides crucem non excludit, sed includit
375. per se non saluat 377.
qui Fidei soli iustificationem tribuunt, in
plurima absurda incidunt 143.
Fidelium vniuersus coetus vnâ cum Chri-
sto constituit vnum mysticum corpus
130.
Filius Dei vt homo fieret, non fuit absolu-
tè necessarium 4.
Filius familiæ ex peculio potest pro ani-
ma sua Ecclesiæ legare 326.
qui non Flagellantur publicè, secreta fla-
gella non euadunt 68.
Flagitia quædam eiusmodi sunt, vt impu-
nitatem non mereantur 113.
Forma vna essentialis duntaxat est in v-
no homine 179.
Forum diuinum non est minus ordinatū,
quàm humanum 359.
Forum humanum non punit omnia pec-
cata, nec potest 359.
Forum vtrunque plectit fontes, etiamsi
ad sanam mentem redierint 63.

G

Generare, & genitum ac in morbum
lapsum sanare, differunt 147.
Glacies non generatur ex natiuo aquæ
algore 209.
Gloriæ quantitas ex æquo respondet ma-
gnitudini meritorum 418.
Græcos non semel fidei naufragium pas-

fos 409.

Gratia Dei nõ excludit cruce carnisque
afflictiones 150.
Gratia Christi vt ad præcepti obseruati-
onem sit necessaria 104.
Gratia quæuis non cuius obtingit 136.
Gratia infinita dispositionem deposcit
infinitam, cuius homo non est capax
504.
Gratiæ bonum potentius est malo noxæ
156.
Gratiam primam impetrare, est maioris
operæ, quàm pro peccatorum reliquijs
satisfacere 31.
in Gratiam receptus à poenæ æternitate
absoluitur 17.
in Gratia Christi cõfirmatum esse, quan-
ta sit felicitas 151.
cum Gratia diuina consistere non potest
voluntas puniendi hominem in perpe-
tuum 159.
Gregorius Neocæsariensis, *Θαυματουργός*
vulgò appellatus 96.
Gregorius de inferorū loco dubius 208.

H

Habitus soli mali non impediunt in-
gressum regni 107.
Hæreticus, qui negat Purgatorium, non
qui credit 354.
Hæretici non ædificant super fundamen-
tum, sed fundamentum euertunt 246.
ineprè nugantur contra rationes hu-
manas 351.
Hæreticorum doctrina non tam inficit,
quàm planè interficit 247.
Hæreticorum argumenta contra Purga-
torium numero multa, pondere parua
370. vide plura, Sectarij.
Homo nõ omnia debet Deo quæ potest 5.
pro orig. peccato ad iustum satisfacere
non potuit 9. ad plura obligatur,
quàm ad nudam Decalogi obseruati-
onem 78.
Homo peccator plenè pro peccatis no-
stris Deo satisfacere non poterat 6.
Homo quod in se non punit, Deus ple-

ctit

NOSTRA SATISFAC. ET PURGATORIO, INDEX.

ctit 23.

Homini quæ aduersantur, sunt multa 282.
Homines quidam quibusdam dæmoni-
bus nequiores 231.

I

Ieiunium redimendi lex 99.
Ieiunium inter quæ opera rectius re-
ponatur 499.
de Ieiunio indicto iudicandum iuxta
indicentis mentem 107.
Ieiunantes à carniū esu abstinebant
perpetuò 99.
Ignis cuiusque opus probans, non desi-
gnat ignem tartareū 250. non est ignis
conflagrationis 251. neque ignis pur-
gatorius. ibid. est ignis exacti iudicij
Dei 253.
Ignis pbās, dièque Domini reuelās, aliud
insinuat, q̄ presentis vitæ miserias 252.
Ignis saluū stipularū structorē transmut-
ans, non est ignis tartareus 254.
Ignis, per quē transeūtes salui sūt nõnul-
li, nõ denotat cõflagrationis ignē 255.
Ignis lignū, fernū, ac stipulā absumēs, nõ
est ignis tribulatiōis presentis vitæ 256
Ignis, vt tantum ignis est, animas non
purgat 409.
Ignis inferni & purgatorij corporeus ex-
istit 430.
Ignis inferorum ab effectu spiritalis di-
citur 431.
Ignis verus vbi non est, ibi simpliciter
non est ignis 431.
Ignis non alligit sola sua præsentia spi-
ritus 432.
Ignis tartareus cur non ex æquo, in eque
vicina agat 432.
nec Ignis spiritalis, nec spiritus corpora-
lis qualitatis capax est 434.
Ignis non ita agit in spiritū, quo Sacra-
mentum in coniunctum 437.
per Ignem transmissorium quid designe-
tur 256. 257.
per Ignem & aquam omnia expiabantur
in veteri Testamento 317.
Imaginatio sola noxij non parit poenam

purgatorij, aut inferni 433.

Indulgentiæ non eodem profunt viuis
atque defunctis 497.

Indulgentiam promeretur, qui in operi-
bus poenitiæ strenuè se se exercent

44.

Indulgētias & purgatoriū iisdē argumē-
tis p̄bati, quibus nostra satisfactio 21.
Infantes non renati, ignorant quid ami-
serunt 217.

Infantium non renatorum corpora erunt
immortalia, & suo quoque modo im-
patibilia 216.

Infernus modis omnibus opponitur em-
pyreo cælo 207. in ignis sphaera nõ est
positus 208. in media aëris regione nõ
est exadificatus 209. non est positus in
terræ superficie 211. non æstuat subtus
terram 212.

Infernus communis non est, vbi quisque
peccauit 208.

Infernum multi negant 207.

Inferni & purgatorij poenæ qualitate cõ-
sentiant 17.

de Infernalium ergastulorum situ & or-
dine varia iudicia 204.

de Inferorū loco Aug. & Greg. dubij 208.

Inferorū tormēta sicut intra terrā 212.
Inferorum omnia loca qualitate inter se
discrepant 219.

apud Inferos duas minimū distinctas ca-
uernas extare, probabile sit 219. 220.

apud Inferos soli iusti Deum laudat 280.
Infideles censendi, qui pia legata Eccle-
siæ subtrahunt 328.

non Iniuriam omnem illatam vindicari
in hac vita, nec vllam tamen impuni-
tam relinqui 365. 366.

Iniustitia nulla in Deum cadit 367.

Infantes plectuntur interdum, vt fontes
reipub. partes sunt 114.

Ioan. Baptista non solum respicientiam
exigit à peccatoribus, sed dignos quo-
que poenitiæ fructus 136.

Iosias punitus in hac vita, ne plecteretur
in altera 52.

C

It.

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

Iudæi expiabantur pro mortuis ante iustam expiationem extinctis 291. mortuorum causa se affligebant 315.
Iudicis terreni facultas finita & limitata 114.
Iudicium iudiciorumque multiplex est ratio 376.
Iudicium priuatum Sancti vehementer metuunt 195.
Iudicium priuatum non exercetur, dum anima adhuc agit in corpore 191. apprimè horrendum est 195.
Iudicium priuatum singulorum non differtur vsque ad communem carnis resurrectionem 189.
Iudicium particulare non fit strepitu aliquo vocali 194.
ad Iudicium vniuersale nullus electus comparebit immundus 384.
ante Iudiciū vniuersale omnes regni filij erunt purgati 249.
Iudicio humano non omnia sunt subiecta 253.
in Iudicio priuato angelorum ne ministerio vtatur Christus, incertum 193.
Iustificationem qui soli fidei tribuunt, in plurima absurda incidunt 143.
Iustus præfiniti temporis pœnam supra iustitiam dependere potest 8.
Iustum effici ex iniusto, & pœnas pati, differunt 388.
Iusti pœnâ digna interdū admittunt 63.
Iusti soli Ecclesiæ suffragijs iuari possunt 467.
non omnes Iusti æquæ sunt iusti, aut perfecti, aut amici 387.
in Iustis damnationis causa esse non potest, damnationis effectus potest 377.

L

Labi & resurgere eiusdem est, manentibus ijsdem causis 275.
Latroni in cruce cur nulla indicta sit satisfactio 128.
Lex peregrinantium pœnitentium nec eadem, nec idem quoque sequelstrationis eorundem modus 99.

Lex redimendi ieiunium 99.
Legis contemptus debita pœnæ æternitatem adiungit 17.
Legem communem peculiaria non infirmant 193.
Leges & modi pœnitentium non iisdem vbique 98.
Leges politicas aut ritus infirmare nulli priuato fas est 368.
Libertas Christiana non est facultas male agendi, aut nihil agendi 143.
Libertatē Christianā non infirmat bonorum operū studium, sed confirmat 144. per Lignum, fœdum & stipulam quid designetur 246.
Limbus patrum multis nominibus designatus legitur 217. nullū ampliùs habet vsum 221.
in Liturgijs omnibus habetur memoria defunctorum 328.
Locus peccati speciem rarè mutat 222.
Luctus nomine Scriptura complectitur quasi carnis afflictiones 314.
Lutherus tres pœnitentię partes negat 43.
Luthero teste, nusquam plures nebuloles, quàm apud Lutheranos 365.
Lutherani infelij orant pro defunctis 350.
Luxuria & gastrimargia pessimos ex se factus edunt 68.
Lux & tenebræ in spiritalibus & corporalibus fortiuntur quandam inter se analogiam 199.

M

Machabæorum libri multis modis & vicibus ab Ecclesia approbati 304.
Magdalena vlroneæ satisf. incubuit 128. plura præstitit, quàm debebat 358.
Magdalene cur nulla sit indicta satisf. 128
Manuum impositio duplex 43.
Martyrium est maximè meritorium & satisfactorium 89.
Melanchthon agnoscit satisfactiōis materiam 30.
Melanchthonis calumnia 13.
Merces vnius boni operis multiplex interdum existit 90.

Mer-

NOSTRA SATISFAC. ET PURGATORIO, INDEX.

Merces essentialis animæ eadem ante & post carnis resurrectionem 202.
Mereri vitam æternam, præstabilius est, quàm pro pœnis satisfacere 72. maius est, quàm redimere pœnâ temporariâ 88.
Mereri nemo potest æternæ pœnæ condonationem 74.
Mereri & satisfacere non est eiusdem 90.
Mereri sibi vel alteri, maius quiddam est, quàm signa patrare 451.
Mereri & satisfacere Christum in suis mēbris, non est maius, quàm in iisdem pati, & crucifigi 132.
Meritorium non est propriè actus, quo venialis culpa post hanc vitam condonatur, sed meritorio similis 278.
Meritorium, aut satisfactorium ex condigno nihil est apud Deum, quod ex charitate non est natum 85.
Meritū quam difficultate augetur 80
Meritum Christi participaturus, dispositionem huc adferat necessum est 126.
Meritum Christi non operatur circa medium 407.
in Meriti ratione non eadem corporis & animæ ratio 387.
de Missa audienda præceptum, plus requirit, quàm nudam corporis presentiam 107.
Missa à ieiuno tantum celebranda 327.
in Missa sacrificio Trifagion nunquam omitendum 328.
ex Missa sacrificio quilibet haurit secundum deuotionis suæ gradum 505.
Missam vnam qui interdum dignè celebrare potest, felix 326.
Missas qui secus quàm ieiuni celebrant, pœna exauthorationis feriuntur 329.
Monarchia rationem subordinatæ dynastie non dissoluunt 142.
Mors continuo in ianuâ vrget 250.
Mors est naturæ debitum, primæque peccati stipendium 2. non tollit omnem semper pœnam 301. 357.
Mortem Christi non omnibus æqualiter communicari 69.

Mortē qui sibi conuiscunt, nō omnes obnoxij sunt noxæ 329. qui vltro sibi cōsciuerūt, publicè p̄ ijs non est orandū 327. ante Mortem parandum est, quod post mortem proficit 478.
Mortuo nulli vendenda terra 330.
Mortuos mortuis prodesse posse, ostendunt ossa Elisei 320.
Mortuis triplex sacrificij genus, p̄dest 332. è Mortuis ad vitam reuocari non fuerunt simpliciter iudicati 238. 467.
ex Mortuis qui ad viuos redeunt, nō idem omnes spectant 237.
ex Mortuis exulcitati quæ de alterius vite statu retulerūt, fide digna sunt 361.
pro Mortuis orādi ritus vetustissimus 301
Mortuorum causa Iudæi se affligebāt 315.
Mortalium due sunt tantum perennes sedes 373.
Mortuus non est idem ad ortum & interitum 186.
Mortuus suscipitur propter indigentiam 224.
Mundus hic sublunaris est locus sementis, non messis aut mercedis 202.
Mutatio status, morum mutationem adferre solet 225.

N

Natalis confessoris insignis pœnitentia 51.
Niniuite pœnitentia auertunt cladem impendentem 32.
Nocturnæ tumultuationes non sunt per defunctorum animas, sed per damo-des impostores 235.

O

Obedientia Christi an sustulerit obedientiã erga leges diuinas & humanas 144.
Offerre pro defunctis, Apostolica traditio est 500.
Opera ad satisfaciendum non omnium æquæ sunt idonea 3.
Opera moraliter tantum bona nō aspernatur Deus 5.
Opera moraliter bona disponunt ad gratiam 82. quicquid merentur, id con-

C 2 grui

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

grui tantum merito promerentur 83.
 Opera mortua, nec gratiam, nec gloriam merentur 81. non omni prorsus vi carent. ibid. non ex se, neque ex lege, sed tantum ex Dei benignitate sunt satisfactoria 84.
 Opera sunt satisfactoria & interna & externa 91.
 Opera vna satisficit per accidens pluribus debitis 108. simul satisfieri potest pro pluribus peccatis 116.
 Opera Dei eiusmodi sunt, cuiusmodi is ea esse vult 111.
 Opera nostra absque Christi merito nullius ponderis sunt 116.
 Opera iniustorum non sunt satisfactoria 111.
 ad Opera suffragatoria multa inuitat 113
 Opera bona & purgatorium vbi deridentur, ibi triumphat Sathan 364.
 ad Operationem naturalem maiorem requiritur dispositio, quam ad solam animationem 186.
 Operantiu bene & male dispar exitus 83.
 Operis vnius boni multiplex interdum existit merces 90.
 Operum bonorum studium non infirmat Christianam libertatem, sed confirmat 144.
 Opus hominis non quoduis est satisfactorium 73.
 Opus quoduis satisfactorium, oratione, ieiunio, & eleemosyna continetur 74.
 Opus omne pium suo modo est satisfactorium 74.
 Opus quod ex se magis est arduum, eo ceteris æquatis magis est satisfactorium 79.
 Opus nullum apud inferos est meritorium, aut proprie quoque satisfactorium 391.
 Opus suffragatorium maiorem in partem manet penes suffragantem 112.
 Opus vnumquodque hominis iusti geminam vim sortitur 481.
 Orare pro defunctis, pium opus est, vt à peccatis absoluantur 302. Apostolica est traditio 337. 494.

Orare pro damnato, nefas est 487.
 Orare sapius eiusdem rei causa, nullum est piaculum 492.
 Orare licet pro omnibus, qui impenitentes non obierunt 331.
 Orandi ritus pro mortuis vetustissimus 301.
 Orandum pro vere Christianis mortuis, non pro impijs 325.
 Orandum & offerendum quotidie pro defunctis 330.
 Orandum & celebrandum pro ijs, qui in patibulis suspenduntur 331.
 Orandum publice pro ijs non est, qui mortem vltro sibi consciuerunt 329.
 non Orandum pro omnibus defunctis 301. neque pro ijs, qui in ipso scelere perimuntur 331.
 Oratio, ieiunium & eleemosyna non positiuè semper, priuatiuè semper sunt molesta 79.
 Oratur nunquam frustra pro pie defunctis, vbicunque tandem illi fuerint 492.

P

Palearum nomine qui designentur 293.
 Paradisus terrestris non est animarum sedes 201.
 Parentes primi non diu perstiterunt in peccati voluntate 21.
 Pastorum duplex genus 245.
 Pastorum otiumque negligentia 245.
 Patres commodè exponi debent, qui opera moraliter tantum bona meritoria esse docent 84.
 Patres sancti ante Christi aduentum vbi detenti 203.
 Patres è limbo raro prodibant ad hanc lucem 229.
 Patres in limbo non carebant magna consolatione 311.
 Patrum limbus multis nominibus designatus legitur 218. nullum amplius habet usum 221.

Patrum

NOSTRA SATISFAC. ET PURGATORIO, INDEX.

Patrum vnanimis consensus quanti faciendus 333.
 Patriarchæ propter suorum suffragia in Palaestina voluere terræ committi 315.
 Paupertatis varij gradus 477.
 Pauperum triplex genus 312.
 Peccatum secundum quid infinitum 5.
 Peccatum orig. & person. non sunt eiusdem rationis 9. se inuicem excedunt 10.
 Peccatum nullum Deus inultum relinquit 22. 358.
 Peccatum infestissimè odisse Deum, multis argumentis & modis constat 363.
 Peccatum quod adhuc placet, eleemosyna redimi nequit 28. dum adhuc placet, non remittitur 274.
 Peccatum nullum Deus in hac vita remitti non queat 267. 298.
 Peccatum veniale propriè non parit maculam 277.
 Peccatum per accidens electis cooperatur in bonum 447.
 Peccatum purgandi triplex via 58.
 Peccatum quoduis suum secum portat vindicem 66.
 si Peccatum nullum Deus puniret, quid sequeretur 362.
 Peccatum orig. inter mortifera minimum 66. bifariam consideratur 200. 201. citra fidei lumen cognosci non potest 417.
 pugnat cum gratia 374.
 Peccati omnifariam impunitatem generi humano exitiosissimam fore 364.
 Peccati nulla remissio contingit absque interna vel externa poena 78.
 Peccati triplex genus committitur 273.
 Peccati speciem locus raro mutat 222.
 Peccati orig. reliquiae in renatis non sunt verae rationis poenae 65.
 Peccati orig. variae & fixae cicatrices 65.
 Peccato nouo in altero seculo non est locus 441.
 Peccata non sunt paria 38. non consociantur in temporaria poena vt in macula 117
 Peccata punire, atque remunerare pietatis officia, æquè ad Dei perfectionem

pertinet 152.
 Peccata mortifera non tantum, sed quaedam quoque venialia damnosa vestigia ex se relinquunt 68.
 Peccata priuata publicè quoadque plexa sunt 71.
 Peccata animæ regnum turbatum relinquunt, etiam cum recedunt 67.
 Peccata quæ post mortem placent, semper placent 277.
 in Peccato comperiuntur macula & poena 71.
 in Peccato orig. extinctis nihil profunt suffragia 461.
 pro Peccato orig. nemo satisficit 156.
 Peccatorum flagitiosorum in anima hominis quæ reliquiae 66.
 ad Peccatorum plenam remissionem non fat est dicere, parce, remitte, peccaui 53.
 à Peccatis serio desistere, est peccatorum causis excindere 138.
 Peccans, & proximum vel Deum, & publicam quoque iustitiam lædit 64.
 Peccantium hominum duplex genus 299.
 Peccatoris promptitudo, & peccati qualitas spectanda Confessario 44.
 nemo Peccat peccatum ad mortem in hac vita 300.
 Pelagianorum de tribus perpetuis animarum sedibus commentum 381.
 Perfectionis Christi virtus varijs modis & medijs applicatur nobis 405.
 S. Petrus orationem & eleemosynas pro defunctis indicit 323.
 Petrus vltroque satis incubuit 128. plura præstitit, quam debebat 358.
 Petro cur nulla sit indicta satisfactio 128.
 Pietatem Maiorum amulari satius est, quam cauillatorum nouitatem 115.
 Plagæ supernaturales ceteris efficacius expiant 75. cum poenis purgatorijs non nihil affinitatis habent 76.
 Plagæ communes vt satisfactoria sint, maiorem deposcunt assensum, quam diuinitus immixtae 76.
 Poena æterna & temporanea inter se

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

non differunt 16.
 Pœna dependet à culpa, non contrà 61.
 Pœna Deus non delectatur, vt pœna est, sed vt iusta est 80.
 Pœna non eadem multâdi sunt, qui paruo & magno, publico & secreto peccato se polluerunt 92.
 Pœna non debet culpam excedere 112.
 Pœna vni propter alterius peccatû irrogata, potest à teri satisfactoria esse 117.
 Pœna damni duplex sanit apud inferos 417. non eadem est in omnibus 418. ex parte obiecti par in omnibus damnatis 419. per accidens in eos conuenit, qui expiantur in purgatorio 422.
 Pœna & culpa non differunt in veniali, vt in quouis quoque alio peccato 277.
 Pœna inferni aut purgatorij an in sola beatitudinis amissione, aut futurorû malorum metu consistat 433.
 Pœna vltro suscepta gratior est, quàm à iudice irrogata 439.
 Pœna ex authorationis feriuntur, qui scis quàm ieiuni Missas celebrant 329.
 Pœna & status vtriusque seculi diuersus 440.
 Pœna tota spiritû apud inferos non est sola violenta in igne detentio 435.
 Pœna corporis statum damnatorû non mutat 465.
 à Pœna sensus immunes degunt, in sola originali labe extincti 214.
 pro Pœna temporaria causaliter factum est satis verius, quàm formaliter 120.
 Pœnâ omnem & noxam non semper simul aboleri, plurimâ Scripturâ testatum faciunt 146.
 Pœnam omnem incensa contritio tollit 18.
 Pœnam absentis boni desiderio & præstantia augeri 425.
 ad Pœnam sensus inferendam sola loci incommoditas non sat est 217.
 ad Pœnam damni constituendam duo deponuntur 417.
 Pœnâ peccato debita, peccati nomine non infrequenter designantur 27.

Pœnâ & noxâ societas in nullo foro indissociabilis est 62.
 Pœnâ comprimunt peccati libidinē 70.
 Pœnâ aternâ condonationē nemo mereri potest 78.
 Pœnâ variâ & multâ erant clericorum, pro criminum admissorum diuersitate 95.
 Pœnâ, vt tantum pœnâ, non sunt expiatoriâ 120.
 quibus Pœnâ temporalis reatus in totum, aut in partem inducitur, multa sunt 18.
 ad Pœnâ temporalis solum expiationē suffragia conferunt 468.
 Pœnarum quadruplex genus extat 202.
 Pœnarum gradualis diuersitas nō parit receptaculorum diuersitatem, sed essentialis 202.
 Pœnarum formidine plures mouentur, quàm virtutis amore 229.
 de Pœnarum temporalium reatu non idem omnium est iudicium 14.
 Pœnas multi scelerati in hac vita euadunt, & salui tamen fiunt 358.
 Pœnas pati, & ex iniusto iustū effici, differunt 388.
 per Pœnas publicas Deo satisfacere, ex ritibus earum planum est 39.
 Pœnitentia quidnam deponat 50.
 Pœnitentia Natalis confessoris 51. Adami 53. Dauidis 57.
 Pœnitentia operibus & actibus studiosis constat 53. longè aliud quaerit, quàm nouam tantum vitam 55.
 Pœnitentia cur non omnem semper, Baptismus omnem pœnam absumat 147.
 Pœnitentia vera spontaneum carnis interitum deponat 52. intrinsecè internum doloris sensum includit 405. non hominis, sed Dei opus est 423.
 Pœnitentia eius, qui voluntariè Sacerdotem interfecit, diuturna & grauis 47.
 Pœnitentia publica Sacerdotibus nō indicenda 56.
 Pœnitentia publica digna admittit, prof-

NOSTRA SATISFAC. ET PURGATORIO, INDEX.

brofus est, quàm publicè pœnituisse 92.
 Pœnitentia solennis per solos Episcopos ordinariè imponebatur 93.
 Pœnitentia perfecta pluribus indiget 53.
 Pœnitentia secundum potiore sui partem latissimè patet 149.
 in Pœnitentia coeunt iustitia & misericordia 49.
 Pœnitentiâ fructus aliquid exigunt aliâs indebitum 29.
 Pœnitentiâ materia actus pœnitentis 45.
 Pœnitentiâ solennis ritus & caeremoniâ 93.
 Pœnitentiâ onera ita erant diuersa, vt tempora 98.
 Pœnitentiâ modi & leges non eadem vbique 98.
 Pœnitentiâ rigor maiorem in modum luxatus hac tempestate 101.
 Pœnitentiâ publicâ non iisdem ritibus imponebantur 94.
 Pœnitentiâ in peccato expletâ redintegrare, consilij est, nō etiâ pœcepti 104.
 Pœnitentiâ qui exigit, exigit ea omnia, sine quibus perfecta pœnitentiâ ratio non constat 140.
 citra Pœnitentiâ interiorem non obtingit vita 149.
 per Pœnitentiâ peruenire ad peccatorum remissionem, laboriosa via 49.
 Pœnitentiâs publicas indicere, proprium Episcoporum & maiorû Sacerdotum erat 97.
 Pœnitentiâs effectus quantitas sequitur quantitatē internæ dispositionis 148.
 Pœnitens non obligatur semper ad certum satisfactionis modum 101. quid factu sit opus, cum omnem satisfactionem recusat 102.
 Pœnitens quauis remissus absolutè ad purgatorij pœnas non teneret 493.
 Pœnitenti expedit interdum opus aliâs debitum præsumere 89.
 Pœnitentes salubri satisfactione purgandi 39.
 Pœnitentes publicè Deo reconciliantur 40.

Pœnitentes publicè de classe ad classem ascendebant 96.
 Pœnitentes pauci feruidè hoc tēpore 101.
 Pœnitentiâ variè statioes & ordines 96.
 Pœnitentium peregrinâtiū nec eadem lex, nec idem quoque sequestrationis eorundem modus 99.
 Pœnitentiâ quorudâ magna morositas 101.
 Pœnitentibus opera tantum indebita indici solent 89.
 Pœnitentiâ verè nō debetur infernus 285.
 Pontifex Roman. pater patriæ, & caput vniuersalis Ecclesiæ 327.
 Præceptum humanum violatum nō semper adducit peccatum 103.
 Præceptum de audienda Missâ, plus requirit, q̄ nudam corporis presentiam 107.
 non omne Præceptum eiusdem est vinculi 390.
 Præcepta & vora pleraque non obligant ad operis qualitatem, sed tantum ad ipsum opus 85.
 Præcepta humana in hac tantum vita obligant 106.
 Præceptorum obseruatio præter fidem & Baptisimum necessaria 376.
 Præmiorum & suppliciorum quâ sit ratio & principium 200.
 Preces, vide Suffragia.
 Precium vtrûm Christus præparauerit, an etiam actu numerauerit 134.
 Pueri ex limbo nunquâ redeunt ad hanc lucem 229.
 Purgatorium est locus medius 360.
 Purgatorium non constituit certum vitæ statum 276.
 Purgatorium & condonationes Pontificias iisdem probari argumentis, quibus nostra satisfactio 21.
 Purgatorium qui negat, hæreticus, non qui credit 354.
 Purgatorium negantes Concilia & Pontifices anathematis condemnant 354.
 Purgatorium Aduersarij quibus impugnant 241.
 Purgatoriū generali quadâ ratione dici potest, quidquid expiâdi vi poller 239.
 Purga-

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

Purgatorium esse arguit, deducere ad inferos & inde rursum ad superiores educere 309.
 Purgatorium post hanc vitam esse, est certum, indubitatumque fidei decreverunt 239.
 Purgatorium Ecclesie praxis valide confirmat 354.
 Purgatoriu intra terrarum viscera vires suas explicat 221.
 Purgatorium negantes que incommoda sequantur 356.
 Purgatorium non esse, nullus unquam Catholicorum docuit 352.
 ad Purgatoriu quicumque amandantur, poenae vel noxae debito obstricti tenentur 106.
 ad Purgatorium vel infernu nemo propter alterius iniquitatem amandatur 113.
 contra Purgatorium omnes obiectiones falsitatis conuinci posse 307.
 Purgatorij assertores plurimi, doctissimi, sanctissimi 355.
 Purgatorij cruciatus excedunt omnes vitae huius cruces & molestias 424.
 Purgatorij poena quam diu cruciet, incertum 335.
 Purgatorij poena id necessario plectitur, quicquid post hanc vitam non plectitur aeterna 282.
 Purgatorij poena non est absolute voluntaria 442.
 Purgatorij & Inferni poenae qualitate consentiunt 17.
 Purgatorij & Inferni ignis corporeus existit 430.
 Purgatorij spe, aut peccare, aut emendatione prorogare, equum periculosum 417.
 in Purgatorio solo detinetur captiuus, qui redimi possunt 330.
 in Purgatorio compensatur, quod hic negligitur 58.
 in Purgatorio plures deseruiunt poenae 417.
 in Purgatorio detentis cur compatendum simul & congratulandum 401.
 in Purgatorio nec damni solum, nec sensus tantum, sed vtraque poena obtinet 423.

in Purgatorio nouo peccato aut merito nullus est locus 443.
 in Purgatorio nullum nouum colligi meritum, sed solum antiquum dissolui debetum 392
 in Purgatorio qui sunt, medium statum obtinent inter viatores & comprehensores 373.
 ex Purgatorio qui ad nostrum hunc orbem redeunt, non vnus omnium est scopus 228.
 ex Purgatorio communi quidam ante poenam absolutam ad homines exire permittuntur 228.
 Purgationi vsque ad mundi finem esse locum 383.

R

Renati, qui non sunt, cum damnatis colati, suo modo sunt felices 217.
 non Renatos ceteri inter damnatos 374.
 Restitutio alieni non est proprie pars satisfactionis 496.
 Resurrectio hominis duplex, vt & duplex quoque eiusdem mors 305.
 qui Resurgunt, non omnes in integritatem semper restituntur 67.
 Reus non obligatur iudici in omnibus obsequi 102.

S

Sacerdotis absolutio non perimit semper totam poenam peccato debitam 59.
 Sacerdotis externum ministerium, internum Dei opus designat 15.
 Sacerdotes qui iniuria afficiunt, Christum iniuria afficiunt 42.
 Sacerdotibus publica poenitentia non est indicenda 56.
 Sacramentum absolutionis non infrequenter confert primam gratiam 103.
 Sacramenti poenitentiae votum poenarum reliquias solum imminuit 20.
 Sacramenti Baptismi & Poenitentiae non eadem ratio & vis 19.
 Sacramenta insituere, solum Christi est 368
 de Sacramentis qui aliter sentiunt, quam Ecclesia Rom. anathematis vinculo innodati 43.

NOSTRA SATISFAC. ET PURGATORIO, INDEX.

non omne Sacramentale opus per gratiam viuificatur 105.
 Sacrificij triplex genus mortuis pdest 332.
 ex Sacrificio Mille quilibet haurit secundum deuotionis suae gradum 505.
 Sacris operandum non vbilibet promiscue, sed in locis sacris 330.
 Sacrilegium, fraudare defunctos suis votis 324.
 Salutis triplex certitudo 455.
 Sancti priuatum iudicium vehementer metuunt 195. cur passim adesse desiderare debeant, nulla est causa 231.
 inter Sanctos veteres & pueros non renatos, & vtrorumque limbum differentia 218.
 Sanctimonia eximia non pugnat cum purgatorij poena 281.
 Sapientes seculi de caelo empyreo nihil prodiderunt 205.
 Satisfactio Christi, superabundans 48. plenissima extitit 123. secundum se absolute est infinita, in ordinem autem ad alterum finita 125.
 Satisfactio Christi sufficiens an nostram reddiderit inutilem 124.
 Satisfactio, trifariam considerari potest 2. digna restituit honorem & locum 41. post exceptam confessionem indicenda 46. agris indicenda, non indicenda 58. informis non viuificatur per gratiam 86. efficax, opus voluntarium deposcit 88. absolute perfecta, opus alias indubitum deposcit 90. nullo modo par, non liberat poenitentem 106. sola iusta liberat 106.
 Satisfactio, & fructus poenitentiae digni, in idem recidunt 46.
 Satisfactio medica per alterum expleri non potest 116. vna diuersis simul vitijs non potest mederi 117.
 Satisfactio nostra Christi Satisfactione non obscurat, sed illustrat 118. quiddam amplius ponit, quam nudam satisfactionis Christi transfusionem 121.
 Satisfactio ea qui dici queat sufficiens, que non est efficax, dubium habet 132.

Satisfactio tantum sufficiens, an satisfactio dici debeat 134.
 Satisfactionis vox late patet 2. triplex genus 2. & quibus commune sit & proprium 2. 3. obiectum duplex 4. imperfectum genus quidnam deponat 5.
 Satisfactionis iustitiam vniuersale Dei dominium non infirmat 11.
 Satisfactionis nostrae propria difficultas circa illius obiectum versatur 12. materia non est peccatum, aut poena aeterna 13. nec prauus habitus. ibid. sed temporalis poenae reatus 14. quae sit ad Christum proportio 142.
 Satisfactionis ratio ex quantitate delicti, & contritionis qualitate petenda est 40. vim publicum auget 45. modus vnde sit petendus 47. officia ad multa conducunt 49. honor inter alia Deo maxime debetur 59. munia nostrae contritionis indices sunt 70. opera vitiosis habitibus medentur 70.
 Satisfactionis officia cum nobis ipsis, tum alijs quoque salubria sunt 70. Dei animaduersiones a nobis amoliuntur 72. omnia compendio ad tria capita reducuntur 74.
 Satisfactionis informia officia an ad iustitiam efficiantur satisfactoria 87.
 Satisfactionis pars non est proprie alieni restitutio 92. 496.
 Satisfactionis officia exiguntur & dependuntur tanquam vere debita 120.
 Satisfactionis nomine res designata in vtroque Testamento extat, ipsum autem vocabulum non item 140.
 per Satisfactionis officia totus quodammodo homo diuino cultui consecratur 141.
 Satisfactioni vtroneque Petrus & Magdalena incubuerunt 121.
 Satisfactionem omnem cum poenitens recusat, quid factum sit opus 102.
 Satisfactionem comode indictam Confessarius relaxare non debet: potest tamen mutare, si necessitas postulat 103.
 Satisfactione iniuncta quae omittitur, non semper

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

per lethaliter peccat 103. grauius est, omnino omittere, quàm extra gratiam explere 104.
 Satisfactionem Christi Deus noluit admittere ad absolutam peccatorum impunitatem 123.
 Satisfactionem operum deposcit Ezechiel, & non solum gemitum 137.
 Satisfactione Christi copiosa non obstante, multa subinde mortalium millia pereunt 132.
 Satisfactione Deum placare debent viduae incestae 42.
 Satisfactione secreta Deo fit satis 41. diurna vitioso opus 42.
 Satisfactione sublata, quid sequatur 60. cum Satisfactione nostra quicquid pugnatur, idem etiam pugnat cum Purgatorio & Indulgentijs 64.
 in Satisfactione indicenda profopolepsia cauenda 47.
 in Satisfactione indicenda quid sit spectandum 39.
 Satisfactiones indicendae se habent ut rerum precia 106.
 Satisfactiones medicae Sectariorum in Purgatorio locum nullum habent 15.
 Satisfactiones nostrae multis modis alijs conferunt 71. nostro nos capiti Christo assimilant. ibid. conseruant pietatem, morumque integritatem 141.
 Satisfactiones sacramentales caeteris sunt efficaciores 18.
 Satisfactiones leues qui pro grauibus delictis iniungunt, decipiunt animas 47.
 Satisfactiones moderatas qui recusant, periculosus eorum status 101.
 Satisfactiones qui sibi indicatas in alios transferunt, saepe falluntur 116.
 Satisfactionum nostrarum typi in veteri Testamento multi extant 140.
 Satisfactionum vsus iam inde ab initio percelebris in Ecclesia 178.
 Satisfactionum non est quoduis hominis opus 73.
 Satisfactionum est omne opus pium suo

modo 74.
 Satisfactorium quoduis opus oratione, ieiunio, & elemosyna continetur 74.
 Satisfactoria est equè contritio, qua vnus, & qua multa peccata perimuntur 90.
 Satisfactoria sunt opera & interna & externa 91.
 Satisfactoria non sunt iniustorum opera 511
 Satisfactoria sunt vitae huius calamitates, patienter toleratae 75.
 Satisfactorius, qui illicita designauit, à licitis abstineat, oportet 56.
 Satisfactorius salubriter, à peccato recesserit, oportet 58.
 Satisfactori efficaciter quae debeant esse conditiones 73.
 ex Satisfaciendi modo norum, publice poenitentes Deo satisfecerunt 39.
 ad Satisfaciendum non omnium opera aequè sunt idonea 3.
 Satisfieri Deo per publicas poenas, ex ritibus earum planum est 39.
 Satisfieri vna re distinctis quandoque debitis potest 91.
 Satisfieri simul potest vna opera pro pluribus peccatis 116. 108.
 Satis non fit Deo pro offensa, sed pro peccati libidine 59.
 qui Satisfacit, Deo satisfacit, in quem peccatur 54.
 Satisfacit nemo pro originis peccato 156.
 non Satisfacimus pro culpa, aut poena aeterna 48.
 Satisfaciunt ea efficacius, quae boni vtilis, vel oblectabilis priuatione adferunt 74
 Satisfaciunt quicumque, aut suum, aut alienum debitum redimunt 109.
 Satisfacias tu ne, an alius tui causa, magis refert 115.
 Satisfecit Christus pro omnibus cumulate 118.
 non Satisfecit Christus eodem prorsus modo pro praecitis ac pro electis 132.
 qui non Satisfecit hic plenè, ablegatur ad purgatorium 48.
 Satisfacere Deo homo peccator plenè pro

NOSTRA SATISFAC. ET PURGATORIO, INDEX.

pro peccatis nostris non poterat 6.
 Satisfacere nullus mortalium eam perfectione potuit, qua satisfecit Christus 8.
 Satisfacere ad iustum homo pro origine peccato non potuit 9.
 Satisfacere nemo pro suo peccato integre potest 10.
 Satisfacere & mereri non est eiusdem 90.
 Satisfacere vnus alterius loco potest: ceteri, aut confiteri non potest 109.
 Satisfacere pro altero facilius est, quam primam gratiam illi mereri 112.
 Satisfacere potest quis pro vno peccato seorsum, & non pro altero 117.
 Satisfacere & mereri Christum in suis membris, non est maius, quam in iisdem pati & crucifigi 132.
 Satisfecisse Christum pro omnibus, & non pro omnibus, Scripturae affirmant 132.
 Scelerati statim rapiuntur ad supplicium 224
 Scripturae sacrae maiestas 266.
 Scripturae sacrae non expressè omnia habere, ideoque Traditione alicubi opus esse 411
 Scripturae ipsae periclitabuntur, si id solum recipere licet, quod Scripturae disertè produunt 145.
 Scripturae non incitant ad carnis illecebram, sed ad veteris hominis mortificationem 159. de priuato singulorum iudicio parè loquuntur 188.
 Scripturarum testimonia non aequè omnia euidentia habent, quae creduntur 240.
 Scripturarum autoritate quamnam non adeò indigeant 412.
 Sectariorum crucis Christi vim enervant 1. solas medicas satisfactioes admittunt 14.
 patrem suum emulati impudenter mentiuntur 136. purgatorium impugnant 241.
 veteris Scripturae autoritate eleuant 242. antiqui serpentis ministri 337. securas agunt verius, quam graues Theologos 413.
 Sectariorum de poena temporanea paradoxum 31. imperita argumentatio 127.
 apud Sectarios vna cum Purgatorio sublatum esse vniuersum cultum 369.
 Sensus omnis radix anima 427.

Sepeliri in loco sacro prodest 325.
 Sepulturae communis sedes in Ecclesia cathedrali constituenda 331.
 Seruitus Christiani hominis non est ablata, sed in meliorem commutata 143.
 Spiritus non vnitur igni, ut forma materiae, nec ut motor mobili 435.
 Spiritus impetum nullum obiectum corpus sistere potest 220.
 Spiritus non eodem modo continetur loco, quo corpora 198. non dependent à loco secundum esse, sed secundum bene vel male esse. ibid.
 Spiritus naturali instinctu non mutant locum 224.
 Spiritus beatorum toties ad haec inferiora descendunt, quoties libitum fuerit 226.
 dum ad homines exeunt, nullam gloriae suae iacturam faciunt 227.
 Spiritus reduces locum tantum non etiam statum mutant 227.
 Spiritus ne defunctorum αυτοπροσωπω redeant, incertum 231.
 Spiritus post aliquot menses redeunt, non redeunt in suo ipsorum corpore 235.
 Spiritus qui apparèt, cuiusmodi sint, ex peristalibus dijudicandum est 236.
 Spiritus hominum apparent per se, & per Angelos 236.
 Spiritus non habent corpora naturaliter sibi coniuncta 436. hinc decedentes an secum aliquid deferant. ibid.
 non Spiritus omnes eodem in loco expiantur semper 222.
 Spirituum conuersatio non est cum hominibus 225. reditioes semper contingunt in aliquo assumpto corpore 232. discursus post communem carnis resurrectionem nullus erit amplius 237. tota poena apud inferos non est sola violenta in igne detentio 435.
 Spiritale edificium duplex 244. eius primum fundamentum Christus 244.
 Spiritualia seminantibus, subministranda sunt temporalia 110.
 Suffragia ecclesiae quid conferat 460. & seq.

IN LIBROS SEQ. THEODORI PELTANI, DE

Suffragia non omnibus profunt 332. profunt omnibus iustis, sed non ex æquo 502. indicta & non exhibita parū profunt 508.
inter Suffragia altaris sacrificium primas obtinet 500.
Suffragiorum triplex genus apud veteres vfitatum 302.
Suffragiorū genera quot sunt 494. omnium vis finita 503. triplex gradus in quolibet suffragiorum genere 508.
Suffragijs Ecclesiæ qui vel iuari, vel non iuari possint 461. 467.

TACTUS sensus est reliquorum sensuum basis 180.

Tartaræ flammæ non saluant 254.
Templis signa militaria affigere, non est res noua, neque per se illicita 521.

Tenebræ & lux in spiritalibus & corporalibus fortiunrut quandam inter se analogiam 199.

Terræ centrum conuenit damnatorum conditioni 213.

Testamentum verus suos habuit Martyres, suasque Virgines & Doctores 220.
Theodorus Protospatarius in Ignatium periurus 45.

Traditio Apostolica est, orare & sacrificare pro defunctis 337. 494. & offerre 500.

Traditionum necessitas 411.

Tribulatio non in omnes sæuit, qui salui fiunt, nec omnibus illa prodest 318.

VENIALIS noxa nõ tollitur eo omni, quo eiusdem pœna 277.

Venialia hominis statū non mutant 276.

Venialia admitti verius præceptum, quàm contra præceptum 389.

Venialiū aut etiā mortaliū reliquias qui non hinc secū deferant, perrari sunt 312.

Veritas non ijs angustijs continetur, quibus vanitas 124.

Via, qua ad Deum itur, in veteri & nouo Testamento eadem 146.

Vidua incestæ Deum satisfactione placare debent 42.

Vindictæ folius ratio habetur in altero seculo 108.

Vita animæ potior est, quàm corporis 103.
Vita præsens, est dies nostra 248.

Vita non obtingit citra interiorē penitentiam 149.

Vitæ huius calamitates, patienter toleratæ, sunt satisfactoriæ 75.

Vitam æternam mereri, præstabilius est, quàm pro pœnis satisfacere 72. maius est, quàm redimere pœnam temporariam 88.

ad Vitam æternam reuocari, non fuerunt simpliciter iudicati 238. 467.

ad Vitam exuscitati, ex diuersis receptaculis prodierunt 237.

post Vitam hanc sceleratos puniri, omnibus populis persuasum 367.

in Vita altera nemo ex pessimo sit optimus, neque ex optimo pessimus 386.

in Vita hac pauci perfecti, multi mali & imperfecti 360. non omnem illarū iniuriam vindicari, nec tamen impunitam relinqui 365. 366.

Viciosus alios ex suo animo spectat 67.

Viuentia, non omnia eodem modo in Deo & per Deum viuere 395.

Viuunt mortuis, & mortui vicissim patrocinari possunt 461.

ad Viuos qui ex mortuis redeunt, nõ idem omnes spectant 237.

inter Viuos vitæque defunctos intercedere non potest cõuictus politicus 225.

Viuentibus omnibus benignè faciendū 314.

Viuunt pauci innocenter, omnisque peccati expertes 363.

Voluntarium quod est magis, id Deo magis placet 116.

Votifragæ puellæ Deo satisfacere debent 46.

Vulnera vt post Baptismum accepta obducantur, magno opus molimine 50.

non sunt medicabilia per solā fidē 52.

Vulnere iterato, iteranda medicina 54.

F I N I S.

THEO.

THE ODORI PELTANI,
SOCIETATIS IESV THEOLOGICI
DE NOSTRA SATISFACTIONE,
LIBER VNVS.

Purum hominem pro omnibus mortalium omnium peccatis integre satisfacere non potuisse: Potuisse id tamen, si Deo Opt. Max. aliud visum non fuisset, in partem & imperfectè.

SECTIO PRIMA.



POST explicatam & constitutam plenam illam cumulataque; Christi Domini nostri satisfactionem, non tam contra eos, qui de re ipsa nihil quicquam dubitant, (Profitentur enim æquè ac nos filium Dei pro totius mundi peccatis fecisse satis) sed satisfactionis eiusdem modum tantum in quaestione vocant, quàm contra novos illos Magistros, qui mortis crucisque Christi virtutem ita lacerant, vt vix tenuè aliquam illius umbram reliquam nobis faciant: (Nec enim vllam omnino, aut veram iustitiam, aut veram peccatorum remissionem, aut efficacem Spiritus sancti vim, qua legē obseruemus, per illam nobis obuicere agnoscunt) disputationis ordo postulat, vti & nostram quoque constituamus, vfitatisque in Ecclesia Catholica præsidij aduersus hostium insultus muniamus.

Verum priusquam id faciã, lubet paucis in disquisitionem adducere, Potuerit ne purus homo integrã pro vniuersa scelerum nostrorum ratione satisfactionem Deo prestare: & si id
a fortè

Sectarij crucis Christi vim enervat.

fortè potuerit, aut non potuerit, ecquanam mensura potuerit, vel non potuerit. Quò autem præliminaris hæc inquisitio progrediatur planius, absoluaturque compendiosius, & ab ijs, qui legent, capiatur facilius, præfatum hoc loco ac veluti rudimentum quoddam præmissum oportet, Omnem satisfactionem, vt & omnem quoque noxam & studiosam actionem, trifariam considerari posse: Vno modo secundum se, prout nimirum satisfactio est: altero modo ex parte subiecti, hoc est, illorum statu vel conditione, qui satisfactioni dant operam: tertio & postremo ex parte obiecti, hoc est, rei, vel debiti, vel iniuriæ, pro qua, vel quo, Deo vel alteri fit satis.

Satisfactio trifariam considerari potest.

Satisfactio secundum se generatim sumpta, est rei debitæ solutio: vel iniuriæ alteri illatæ vltronea compensatio. Propriè autem est opus, quo Deo pro admissis in se sceleribus fit satis. Nam etsi is, qui contractum ab se vel altero debitum exoluit, vulgò satisfacere dicatur; & is rursum, qui facti sui rationem reddit; aut suo alteriusve animo morem gerit; & is denique, qui alteri id præstat, quod ad vlciscendam iniuriam irato animo sat esse possit: attamen vt de Satisfactione in Scholis differimus, is propriè facit satis, qui debitum ex peccato ortum in totum vel in partem Deo dependit.

Satisfactiois vox late patet.

Hoc satisfactionis genus, (nam alias vulgatiores Satisfactionis notiones hic persequi non attinet) in imperfectum, sufficiens, & absolutè perfectum diuidi solet. Imperfectum nulla vel rei vel operis æqualitate nititur, sed sola creditoris gratia & liberalitate. Sufficiens, impensæ rei pondere nititur quidem, exoluit enim quantum debebatur: at tamè quòd alterius gratiam includat, maioremque in partem ex ea dependeat, sufficiens & proprium quoque dici potest, simpliciter autem perfectum aut independens dici non potest. Absolutè perfectum, & iusto pondere constat, & nullius fauorem aut gratiam, vt iustum fit, postulat, & alio nullo titulo obligatum extat.

Triplex Satisfactionis generis, imperfectum, sufficiens, absolutè perfectum.

Primum satisfactionis genus nulli est proprium, sed malis cum bonis commune. Nam & iniustorum quoque preces Deus pro

Primum Satisfactionis generis omnibus commune.

pro sua clementia interdum exaudit, eorumdemque poenas & cruciatus vndeunque illatos in satisfactionis partem nonnunquam admittit: non quòd vlla omnino lege ad id obligetur, sed quòd cum imbecilli figmento summa seueritate agere non velit. Secundum proprium est iustificationis gratiam adeptis. Nam cum præter finiti temporis poenâ, & prauos quosdam habitus, post peccatum condonatum nihil in iustis maneat reliquum, nihil est, quod ab integra vtriusque solutione illos impediatur. Tertium peculiare est Christo: Hic vnus enim inter omnes, & integrè, quod debebatur, & aliàs indebitum, & totum domi suæ natum exolucere potuit, & re ipsa quoque exoluit.

nam, secundum iustis, tertium Christo proprium est.

Ad satisfactionis porrò subiectum, hoc est, ad eos, qui satisfactioni vacant, quòd attinet, illi non eiusdem qualitatis, nec eiusdem quoque facultatis sunt omnes. Quidam nanque ex illis sunt iusti, Christoque per gratiam & charitatem insiti: alij peccatis obstricti & iniusti: alij nec iusti sunt, nec propriè quoque iniusti, vt explicationis causa hinc fingimus, sed in puris naturalibus constituti: Nam etsi talis modi nulli sint, nec fuerint vlli vnquam, docendi tamè gratia esse, vel fuisse confingere licet. Alij tandem sunt, qui proprium, alij qui alienum debitum exoluunt.

Non eadem satisfaciendum ratio.

Ex varia hac autem satisfaciendum qualitate non possunt varij satisfactionis gradus, variæque, quibus satis fiat, vires non nasci. Nec enim dubium est vlli, quin multò nobilior, multoque ad satisfaciendum efficacius opus adferre possit iustus quam iniustus, vel aliàs diuina gratia destitutus: Siquidem iniustorum opera parum apud Deum possunt, tametsi pro noxijs antè condonatis in satisfactionem, aut satisfactionis partem clementer interdum admittantur. Sic quoque ceteris exæquatis validius haberi solet opus, quod quisque pro se dependit, quam quod alterius beneficio obuenit. Est enim hoc illo magis proprium, & magis quoque voluntarium. Nam quod ab altero præstat, extrinsecè tantum voluntarium existit.

Non omnium opera ad satisfaciendum æquè sunt idonea.

Satisfactiois
obiectum du-
plex: poena
videlicet, &
culpa.

Ad satisfactionis obiectum tandem, hoc est, ad rem, vel debitum, pro quo, vel qua sit satis, quod spectat, illud generatim est bipertitum. Nam quicumque Deo satisfaciunt, aut faciunt ipsi satis pro poena, aut pro culpa, aut certè pro utroque simul. Culpa autem est duplex. Harum altera trahitur ex ortu: altera propria voluntate cõflatur. Hæc posterior pro rei, in quam cadit, diuersitate; vel præcepti, quod violatur, qualitate; aut animi, quo committitur, constitutione, modò lethalis est, modò venialis. Poena item duplex est: altera damni, altera sensus: & vtraque, vel æterna, vel temporanea. Pro his omnibus Deo satisfactum oportet, & reipsa satisfactum à Christo, & per Christum.

Nō quicquid
Deus absolu-
ta, hoc quo-
que ordina-
ria potentia
potest.

His partitionibus maioris lucis causa adde, si lubet, cùm quippiam fieri posse, vel non posse perhibetur, de ordinata, vel absoluta Dei potentia exponi id posse. Absoluta Dei potentia totum id fieri potest, quod entis rationi non aduersatur: ordinata autem, quod cum veritatis lege, quam ipse reuelauit, rerumque ordine, quem idem ille instituit, non pugnat. Exemplo vno planum id fiat: Dubium nullum est, si rei naturam consideremus, quin vt Deus vnum Solem, vnumque condidit mundum, ita secundum, & tertium, & quartum, & quintum quoque condere queat: At posito oppositum semel reuelâsse, aut decreuisse, plures creare Soles, aut plures producere mundos, non magis potest quàm mentiri, aut mutari.

Non fuit ab-
solutè neces-
sarium vt fi-
lius Dei ho-
mo fieret.

Hac de gemina Dei potentia, triplicique satisfactionis forma consideratione præmissa, quid de puri hominis satisfactione statuere conueniat, haud difficulter apud te definire queas. Certum est enim, quemlibet hominem secundum absolutam Dei potentiam imperfecto illo & improprio satisfactionis genere, pro omnibus mortalium omnium peccatis satisfacere potuisse: & per consequens, vt filius Dei homo fieret, homoque factus mortem oppeteret, absolutè necessarium non fuisse.

Quòd si qui sunt, qui contra istuc allegant debitum à gene-
re no-

re nostro contractum fuisse infinitum; hominem autem, siue agat, siue patiat, immensum prestare non posse: mox legitimam satisfactionis rationem operibus constare aliàs indebitis; quicquid autem homo habet & potest, id multis iam antè nominibus Deo obligatum existere: postremò, quicquid ex illo prodit, vt ex eiusmodi fonte prodit, id totum imperfectum & in partem quoque immundum esse: illi hæc, aliaque his cognata allegantes casso labore sese fatigant. Nam vt Deo satis fiat non pro iustitiæ ratione simpliciter, sed ad illius præscriptum, alienum est à re, quod debiti nomine persoluitur, id contracto debito impar esse, aut imperfectum esse, aut alio titulo debitum esse.

Imperfectum
satisfactiois
genus nō de-
poscit ratio-
nem indebiti,
aut rei ad
rem aquali-
tatem.

Adde, has ipsas rationes ad infirmandum imperfectum illud satisfactionis genus non modò impertinentes esse, sed secundum se quoque planè asystatas. Siquidem peccati vis, quam ipsi immensam definiunt, non est eiusmodi simpliciter, vt alibi ostensum est fuisse, sed tantum secundum quid. Sic quoque non totum illud, quod homo habet, vel potest, alio nomine vel titulo Deo est obligatum. Nam homo id solum Deo absolutè debet, quod is absolutè ab eo postulat: Atqui pro sua benignitate non omnia postulat, que iure ab eo postulare posset, sed legis tantum obseruationem, & pauca quedam alia, citra quæ legis obseruatio integrè constare non facile potest.

Peccatum se-
cundum quid
infinitum.

Homo non
omnia debet
Deo quæ pos-
test.

De humanorum porrò operum infirmitate, vt multis hinc disseramus, nullum est operaprecium. Nobis sat est, eiusmodi opera, modò tamen legitimè conuenienterque edantur, Deo Opt. Max. ad eò non sordere, vt cumulata quoque mercede ea non infrequenter compenset: licet tum demum sempiterna, cùm ex Spiritus sancti motu ortum ducunt. Operum itaque nostrorum, vel definitione, vel obligatione, vel imperfectione non obstante, purus homo secundum absolutam Dei potentiam, præfinitamque ab ipso eodem satisfactionis legem, hoc est, imperfectè, citra Christi passi merita pro omnium pec-

Deus opera
moraliter tā-
tum bona nō
aspiciatur.

catis satisfacere potuisset. Verùm perfectè, æternoque ateri Regis decreto consentaneè, neuiquam præstare id poterat.

Homo peccator plenè pro peccatis nostris Deo satisfacere non poterat.

Aequè certum & indubitatum est, hominem mortifero peccato constriatum, aut in puris quoque naturalibus constitutum, si talis quispiam extaret, pro omnibus mortalium omnium peccatis plenè satisfacere nequaquam potuisse. Nam si iniustus, vel aliàs diuinæ gratiæ præsidio destitutus, tantum peccatorum debitum ad iustum exoluere potuisset: aut id potuisset opere præcepti, aut opere consilij, aut perpeffione alicuius incommodi. At nullo horum omnium, aut alio quocunque, quod his maius, grauius ve confingi potest, ad exactam iustitiæ amissim pro omnium sceleribus Deo satisfacere potuisset.

Quæ Deus consuluit, ea & præcipere quoque potuit.

Non opere præcepti: Nam quæ legitimo præcepto cauta extant, ea iusto iam titulo debentur. Nec opere rursus consilij: Nam etsi perfectionis officia, quæ per modum consilij in Evangelio proponuntur, tanquam præcepta ab homine Christiano non exigantur, iure tamen ab eo exigere poterant, & possent, siquidem Deus Opt. Max. durius cum eo agere vellet, aut voluisset. Et vt maximè iniustus, vel non iustus, eorum omnium, quæ habet, vel potest, siue illa externa sint, siue interna; siue naturalia, siue gratuita; absolutum dominium obtineret, adhuc tamen ad iustum simpliciter contractum debitum dissoluere non potuisset. Siquidem opera purè humana, qualia utique sunt peccatorum & iniustorum, Deo non tantum placent, quantum illi displicent quæcunque peccata.

Nec vltronea denique cuiusuis supplicij perpeffione: Nam vt pro inferorum poena, quam iniustus debet, iustè fiat satis, necessarium est, vt is, qui satisfacit, aut infinite sit gratus, vel certè vt poenas luat extensione vel intensione infinitas: at neutrum locum habet in iniusto: neque is enim Deo gratus est, nedum infinite gratus; neque poenas in hac mortali vita depen-

dependere potest infinitas. Ecquid sunt vniuersæ huius peregrinationis miseræ, cruces, molestiæ, si cum sempiternis, imò verò cum breuissimis inferni cruciatibus comparètur? Mitto hîc, omnem omnino noxam, quauis poena, vt tantum poena est, multò nequiores, Deoque multò exosiores esse. Odit enim Deus omnem omnino culpam, & iniquitatem: poenam autem, vt poena est, absolutè non odit, vt quam ipse irrogare consuèrit. Odit nihilominus & hanc ipsam quoque aliquantulum, non quidem vt poena vel bonum quoddam est, sed vt boni cuiusdam priuatio est.

Deus magis odit noxam quam poenâ.

At nonne, inquis, eiusdem negotij, eiusdemque virtutis, & facultatis est, damnum vel iniuriam inferre, & illatam compensare? benè agere, & malè? à Deo sese auertere, & ad eundem sese conuertere? officium facere, & negligere? Cùm itaque homo pro voluntatis suæ libertate vnum oppositorum possit, cur pari ratione & alterum quoque non queat? Non sunt hæc earundem virium: siquidem malè agere, Deum vitæ fontem deferere, officium negligere, in omnem turpitudinis voraginè sese demittere, homo ex se, & per se potest: at verò innocenter viuere, ex animo ad Deum sese conuertere, ex scelerum cœno emergere, nullam officij partem negligere, ex se & per se non potest. Quæ ratio discriminis? Hæc paucis: Peccare, infirmitatis est humanæ; iustè autem agere, opus est gratiæ diuinæ. Quare vires, quæ sat sunt ad diuinam offensionem, per se ad eiusdem offensionis abolitionem non sufficiunt.

Non est eiusdem facultatis, benè & malè agere.

Adhæc iniuriæ, vel offensa magnitudo nō est spectanda ex illati dāni quantitate, aut ex operis, quo quis offendit, qualitate; aut si hinc quoque, nō tamè præcipuè, sed ex illius vilitate, qui iniuriā irrogat, & ex illius rursus dignitate, cui iniuria irrogatur. Eō nanq; iniuria, offensa, vel cōtumelia censeri solet maior, quò dignioris est, q; iniuria vel cōtumelia afficitur; & is rursus indignior, qui iniuria vel cōtumelia afficit. Homo aut, qui Deū offendit, cū diuina maiestate collatus infinite vilitatis existit: & p consequens hominis in Deū offensa vtrinque est infinita: in-

Diuina offensa vtrinque est infinita.

iniusti opus
vtrinque est
finitum.

ta: iniustus autem nullum opus edere potest, quod vlla ex parte sit infinitum. Denique, qui alteri damnum intulit, vel alterum quavis ratione læsit, diuino naturali que iure ad iustam dati damni, illatæ ve iniurię compensationē obligatur: offensus autem, iniuriam ve passus, maximè verò Deus, eodem illo iure non tenetur, aut certè non tam strictè tenetur, hoc vel illud opus in irrogatæ iniuriæ satisfactionem admittere.

Iustus præfinitum
temporis
pœnam supra
iusti mensuram
dependere
potest.

Quæ hæcenus exposuimus, ea clarè ostendunt, hominem iniustum, hoc est, gratia Dei destitutum, quicquid tandem operis designasset, aut pœnarum pertulisset, nunquam offenso numini ad rei equalitatem satisfacere potuisse. Sed nunquid, ais, gratia Dei exornatus, eiusdemque opibus egregiè instructus id potuisset, aut posset? Tria hæc certa existimo: Horum primum est, hominem iustum, pro peccato per Christi gratiam iam expiato, ad iustū satisfacere posse. Nam cum ex peccato iam condonato nihil, quod satisfactionis materies esse queat, reliquum fiat, nisi præfinitum temporis pœna; & omne finitum per continuam partium diminutionem tandè omnino exhauriatur: consequens fit, eiusmodi pœnarum debitum non solum ad iustum, verum etiam supra iusti mensuram dependi posse.

Nullus mortalium ea perfectione potuit satisfacere, qua satisfecit Christus.

Alterum est, nullum omnino purum hominem, quantacunque gratia cumulatum, ea perfectione pro vniuersa scele-
rum nostrorum ratione satisfacere potuisse, aut posse, quomodo potuit istuc Christus Dominus. Nam quicquid homo habet in bonis, hoc totum accepit à Deo: Christus autem omnia petebat à seipso. Homo rursus quantalibet gratia donatus, semper manebat purus homo, definiteq; gratus: Christus autem licet omni prorsus habitualis gratiæ præsidio fuisset destitutus, adhuc Deo infinite fuisset gratus, infiniteque, vt hinc inferre licet, ad merendum, & satisfaciendum idoneus. Homo tandem vulgaris quantacunque virtute præditus, in humanam mentem illabi, eandemque interitus illuminare, vel inflammare non potuisset, nec posset: Christus autem
homo,

homo, & si non secundum humanam naturam, vtrunque potest, & potuit.

Tertium & postremum, quod ex secundo quodammodo consequitur, est, purum hominem, quantiscunque diuini Spiritus donis ornaretur, prærogatiuisque & gratijs cumularetur, pro totius naturæ humanæ peccato ad iustum simpliciter satisfacere non potuisse. Quandoquidem satisfactio ad exacte iustitiæ rationem præstita deponerebat actum, quo id totum in integrum restitueretur, quod per primi hominis peccatum conciderat. Atqui nullius hominis actus, quantumlibet heroicus, aut tantum boni poterat adferre, aut tantum quoque mali auferre, quantum mali attulerat, & boni rursus abstulerat primi hominis præuaricatio. Nam & bonum ablatum propagabile erat in infinitum, & malum allatum æquè ac natura propagatur absq; vlllo omnino certo fine: At verò personalis gratia quantumuis excellens, personæ, cui obtigit, latitudinem ordinaria lege non excedit. Sed & æquè arduum est quoque, integrè pro altero satisfacere, hoc est, culpæ & pœnæ condonationem illi ex debito impetrare, ac primam gratiam iustè ipsi promereri: Cum ergo purus homo, quantacunque sanctitate præditus, ordinaria lege hoc non queat, nec alterum quoque illud eadem illa lege quandoque poterit.

Homo pro originis peccato ad iustum satisfacere non potuit.

Sed dicis: Non maioris negotij est, ad iustum satisfacere pro originis peccato, quam pro quocunque altero mortifero: imò verò minoris, cum hoc illo sit multò nequius: iustum autem pro lethali crimine ad rei equalitatem satisfacere posse? Hæc ratio duo aut tria ponit tanquam simpliciter vera & certa, quæ tamen neque vera sunt, neque simpliciter quoque admitti possunt. Ponit primò, peccata isthæc aptè inter se committi: & tamen aptè inter se committi non queunt, vt quæ neque eiusdem rationis, neque eiusdem quoque ordinis existant: Alterum enim ortu ipso contrahitur, vnaque cum
b ipsa

Orig. & perso. peccatum non sunt eiusdem rationis.

Orig. & per-
so. peccatū se
inuiem ex-
cedunt.

ipsa natura transfunditur: alterum actu proprio conflatur, nec personæ, cui adhæret, limites egreditur. Ponit deinde, hoc illo absolutè nequius esse: & tamen non est istud simpliciter. Habent enim se peccata isthęc, vt illa, quæ se inuicem excedunt, & à se inuicem vicissim exceduntur. Nam etsi personale maioris sit prauitatis, quia magis voluntarium: originale tamen patet latius, vt quod sine vlllo fine & termino propagatur. Ponit tandem, iustum pro lethali peccato ad iustum satisfacere posse: & tamen multi non absque ratione id negant: nisi forsan nõ de ipso peccato secundum se, aut de pœna æterna, quam eiusmodi peccatum iustè promeretur, id asserant; sed de ea tantum pœna, quę post culpam condonata sit reliqua. Illam enim iustificatum ea *πληροφορία* dependere posse, vt eius satisfactio iure repelli non queat, indicatum est iam antè.

Nemo p suo
peccato in-
tegrè potest
satisfacere.

At posset ne, quæris, iustus quispiam pro altero iniusto integrè satisfacere? Theologi certant, & adhuc sub iudice lis est: sit interim verisimile, purum hominem diuinę gratię præsidio munitum, si aliud decretum non fuisset, hoc est, si Deus Opt. Max. eam gloriam Christo Capiti & Redemptori nostro integrè relictam non voluisset, pro altero iniusto iusto pondere satisfacere potuisse. Dixerim, pro altero iniusto: Siquidem pro suo peccato nemo mortalium iusta mensura satisfacere potest. Quandoquidem nemo iniustus, vt eiusmodi, vllius omnino operis qualitate aut quantitate primam gratiam ad condignum promereri potest: Nam quicquid primam gratiam antecedit, hoc totum, quod quidem ad gratiæ, æternæque vitæ meritum attinet, mortuum, adeoque ad emerendam gratiam & peccatorum remissionem inefficax habetur. Verum in gratia iam constitutus potest edere opus tantæ bonitatis, quantæ malitiæ erat alterius peccatum, & per consequens pro altero, cui hoc accommodet, vel in quem hoc transferat, satisfacere.

Ob-

Obijcies contra hoc forsan: Nemo mortalium pares acceptis beneficijs gratias Deo referre potest: multò ergo minus pro alterius scelere integrè eidem satisfacere? Quicquid sit de re ipsa, consecutio hæc nulla est. Est enim multis partibus facilius, certum aliquod debitum ad iustum exoluere, quàm Deo, vel parentibus, vel alijs insigniter benemeritis, equas gratias referre. Adhęc licèt omnia & singula, quę Deo in debitorum solutionem, aut in gratiarum actionem impertimur, aut quouis modo eidem impertiri possumus, etiamsi vitam ipsam impertiamur, vera, propriaque illius dona existant, non nostra peculia: (ipse est enim vniuersalis, & verus, & absolutus rerum omnium Dominus, nec potest ab hoc dominio vlla potentia sese exuere) ipse tamen pro sua immensa benignitate, singularique in genus nostrum clementia, perinde illa acceptat, ac si pleno iure essent nostra.

Facilius est,
debitū exol-
uere, quàm
benè meritis
pares gratias
referre.

Deus ab vni-
uersali rerum
dominio se
exuere neq̃t.

Cum igitur, quod iustus Deo impertitur, quodcunque tandem illud fuerit, impertiatur ipsi tanquam verè proprium: (quanuis ad modum iam expositum verè proprium non sit) fit, vt verè quoque & propriè pro ratione quotę, quam impendit, eidem satisfaciatur. Quemadmodum, exempli gratia, qui ex fructibus villæ, vel prædij, quod, vel quam ex regia liberalitate dono acceperat, Regi, vel alteri cuiusque quodcunque debitum exoluit, non secus à solutionis onere liberatur, quàm si illud ipsum prædium, ex cuius prouentibus solutionem facit, hæreditario iure adijisset, aut iusto precio coemisset, aut iustis laboribus promeritus esset. Patet ex his ergo, quo modo, quove sensu, aut gradu homo pro integra peccati ratione, hoc est, pro noxa & pœna simul, Deo atisfacere queat, aut istuc quoque non queat. Nunc de eo Satisfactionis genere differendum est, quo non integrè pro peccato fit satis, sed tantum ex parte, puta pro pœna, quę post expiatam peccati maculam plerunque fit reliqua.

Vniuersale
Dei dominiū
non infirmat
Satisfactio-
nis iustitiam.

b 2 Ordie-

Præcipua Satisfactionis nostræ difficultas circa illius obiectum versatur.

Ordinem autem hanc disputationem ab ipsa Satisfactionis materia, hoc est, à re, pro qua satis fit, siue quam per satisfactionis officia demolimur: Nam præterquam quòd doctrinæ ratio eiusmodi ordinem suo quodammodo iure deposcat, vna quoque hac re probè semel constituta perspectaque, de reliquis omnibus, quæ in hanc controuersiam incidunt, nullo ferè negotio statuere, certamque sententiam ferre licebit. Quandoquidem si non tota semper poena peccato debita, vnà cum ipso peccato aboletur, sed plerunque aliqua illius portio fit residua, planum fit iustificationis beneficio potitos, vel hîc, vel alibi eam poenæ portionem exoluerè oportere: Siquidem tabernaculum illud ἀχειροποίητον nullum admittit qualicumque culpæ, aut poenæ debito obstrictum. Contrà verò si omnis omnino poenæ reatus, vnà cum ipsa noxa semper tollitur, omnes nostræ satisfactiones, vel simpliciter, vel certè in genere satisfactionis erunt superuacaneæ. Hoc vno itaque membro totius huius controuersiæ neruus continetur: Cui vni proinde eò enixiùs incumbendum erit, quò hæc Sacramenti pars ab ijs grauiùs impugnatur, qui vnà cum fide omnem veram pietatem, omnemque veræ poenitentiae sensum penitus exuerunt. Sed iam ad rem ipsam aggrediamur.

Humane

Humane Satisfactionis obiectum non esse noxam, aut poenam æternam noxæ debitam, aut prauos habitus ex peccandi consuetudine in animo relictos, aut aliquid aliud eiusmodi, sed poenæ temporaneæ reatum.

SECTIO SECVNDA.



Ommuni omnium cum veterum, tum recentiorum quoque Theologorum sententia, nostræ satisfactionis materia non est peccatum lethale per Christi gratiam nondum expiatum: aut poena æterna eiusmodi peccatum vt umbra corpus consequens. Siquidem Deo externo hoc satisfactionis genere salubriter facturus satis, iam antè cum eo in gratiam redierit, atque ideo à sempiternæ poenæ vinculo absolutus sit, necessum est. Vtrunque tamen est materia, circa quam contritio occupatur: fertur hæc enim non in temporalis poenæ reatum, sed in ipsum peccatum, vt Deo aduersum existit. Impudens proinde Melanchthonis est calumnia, qui de catholica satisfactione hunc in modum alicubi nugatur: Error est sentire, quòd æternæ poenæ remittantur propter nostram compensationem: & multò absurdus est, quòd fingunt propter opera non debita remitti. Quasi verò vllus vnquam inter orthodoxos Scriptores extiterit, cui absurdissimum commentum hoc in mentem venerit. Sed eiusmodi flosculis suum illi Euangelium exornant, exornatumque incautis & rudibus passim venditant.

Sed neque peccatorum reliquiæ (vt sunt prauæ animi impetus ad carnis oblectamenta incitatiores, mentis ad virtutis studium segnitie, aliaque id genus naturæ vulnera ex peccatis nata) propria quoque satisfactionis materies existunt. Nam hæc, & si qua eius farine sunt alia, inter spirituales poenas reponuntur: nec vnico semper actu progignuntur, tamen si

Baptismus
absumit oem
noxam &
pœnam.

Propriū hu-
manæ Satis-
factionis ob-
iectū est tem-
poralis pœnæ
reatus.

De pœnarum
temporalium
reatu non idē
omnium est
iudicium.

Sectarij solas
medicas Sa-
tisfactiones
admittunt.

vnico interdum progigni queant, sed plurimum frequenti-
bus. At vnum duntaxat flagitium, latum sepe satisfaciendi
campum pœnitenti aperit. Nec Baptismi Sacramento, aut in-
censo peccatorum odio, aut plenarijs Venijs abolerentur: &
tamen hæc omnia omnem culpam & pœnam abolere solent.

Proprium itaque humanæ satisfactionis obiectum est tem-
poralis pœnæ reatus, quam, vel hîc post cōdonatam culpam
per vltionem pœnalarum operum impensam, aut certè in
Purgatorio non absque graui molestia pœnitentem redime-
re oportet. Solet & ipse quoque satisfactionis labor, & ipsum
rursus peccatū satisfactionis materia interdum appellari: (di-
citur enim p pœna & noxa satisfacere, à noxa rursus & pœ-
na absolui) ipsa tamen secundum se pœna non est propria sa-
tisfactionis materies, sed ipsamet satisfactio intrinsecè, etsi
non tota, pœna nanque & cruciatu pœnam debitam redimi-
mus. At multò verò minùs peccatum propria eiusdem est ma-
teria, nisi forsan eiusmodi aliquod occurrat, quod cum chari-
tate non pugnet.

Cæterum de illo temporalium pœnarum reatu, non idem
omnium est iudicium. Sectis additi plerique omnes culpa ex-
piata nullū omnino verum ac proprium pœnarum debitum
reliquum fieri contendunt. Non improbant hi tamen illorum
studium, qui peccatori simul atque ad sanam mentem redie-
rit, satisfactionis officia indicunt. Imò nonnulli ex illis indici
volunt: non quò satisfiat Deo, huic enim iam olim per Chri-
stum satisfactum aiunt: sed quò fidelium cœtui, quem sceleri-
bus suis peccator offenderat, fiat satis: tum rursus, quò pec-
candi licentia pœnarum metu compressa minùs valeat apud
improbos: tum denique, quò peccatorum reliquiæ, eiusmodi
satisfactorijs munijs veluti salubribus quibusdam & efficaci-
bus catapotijs exhaustæ, virtutis studium minùs remorentur.

Verum licet satisfactionis officia ad hæc omnia cōducant,
huc tamen præcipuè non spectant. Quandoquidem, vt pro-
pria loci huius firmamenta nulla nunc adferam, de quæ occul-
tis

tis criminibus, in quibus publicum illud satisfactionis genus
locum non habet, nihil quicquam hîc dicam, certū est in pur-
gatorijs locis nihil horum omnium vllam omnio vim, aut
vsum obtinere. Neque enim ibi publica pœna satisficit Ecclesię
læsæ. Nec vllis istic opus est, aut pharmacis, quibus scelerum
reliquiæ exhauriatur, aut prophylacticis, quibus peccandi in-
citamentis, quæ in hac vita passim occurrunt, obuiam eatur;
sed ijs solūm præsidijs & opibus, quibus diuinę iustitię fiat satis.
Nouimus illos & ipsum quoque Purgatoriū inficiari: sed falsò
& perfidè id facere alibi planum fiet ex instituto. Impræsenti-
arum sat sit nullam ex omnibus illis causis in Purgatorio lo-
cum habere.

Sunt alij igitur, qui vniuersam pœnam mortifero peccato
secundum se debitam vera peccatoris ad Deum conuersione
omnino aboleri defendunt: Nec ob id tamen contritum ab
omni statim pœnæ debito absoluūt. Opinantur enim contri-
tionis vi eterne pœnæ reatū abscedere, & alterum rursus nō
æternę eidem succedere. Sed hæc quoque doctrina, quæ reci-
piatur, non est satis idonea. Primò nanque non tota semper
pœna, quæ mortiferis peccatis debebatur, contritionis virtute
absumitur: sepe enim nonnulla illius portio fit residua. De-
inde illud ipsum pœnæ residuum non alterius, sed eiusdem ra-
tionis est cum toto. Postremò contrito, vt contritus est, per se
nulla externa vel satisfactoria pœna debetur: nam aliàs cui li-
bet contrito illa deberetur, quod falsum est: Si qua autem illi
debetur, tātum per accidens debetur, quatenus nimirum sce-
lera sua æquo remissius detestatur.

Non desunt, qui eterne cruciatus debitū contritionis ope-
ra, aut clauium energia, in temporaneę crucis reatū permutari
autument. Sed nec hi quoque omnem omnino difficultatem
statim euadunt. Certum est nanque Deum Opt. Max. id
interiùs per gratiam in pœnitentis animo efficere, quod Sa-
cramentum exhibens externo ministerio exprimit. (Exterior
nanque Sacramentalis actio, interiorem Dei operationem ob-
oculos

Medicæ &
publicæ Satis-
fac. in Purga-
torio locum
nullū habent.

Contritio nō
omnem sem-
per pœnam
absumit.

Contrito per
se non debe-
tur.

Externum Sa-
cerdotis mi-
nisteriū, in-
ternum Dei
opus designat

oculos nobis ponit.) Atqui externa sacerdotis absoluētis functio nullam in hoc Sacramento commutationis significationem præ se fert. Non est ergo necessum dicere, hanc in illam poenam permutari, nisi forsan permutationis vocabulum latius velimus vsurpare, quàm communiter vsurpari consuevit.

Rectius proinde sentire, planiusque hinc loqui videntur, qui sensus poenam, quæ minus incensè contrito debetur, (de hac enim præcipuè hinc agitur, non de altera illa, quam damni nomine significant) ab ea, qua peccator antè tenebatur, quasi ratione diuersam non distinguunt: nec hanc in illam commutari, sed illam, hoc est, æternam, contritionis, aut Sacramenti virtute ab æternitatis conditione absolui asserunt. Vt hæc sententia, quæ paucioribus difficultatibus patet, apertior habeatur, pauca quædam ex ijs repetere hinc lubet, quæ alibi de inferorum cruciatibus à nobis exposita sunt.

Aduerte ergo æternæ damnationis appellatione tria præcipuè comprehendit: nimirum poenam damni, poenam sensus, & vtriusque æternitatem. Poena damni constat merita cœlestis beatitudinis priuatione. Poena sensus, cruciatu ex bono ablato, vel malo illato orto. Aeternitas est infinitæ durationis mēsurā; omnīsve termini expers mora. Altera tria trium præcedentium quasi fundamenta comperiuntur & in quouis quoque lethali crimine: nempe voluntaria à summo bono auersio: præpostera ad bonum commutabile conuersio: & vera, quanuis non semper formalis, legis contemptio.

Auersio à Deo, damni poena multatur. Nam qui, vt animo suo obsequatur, Deum deserit, dignum se reddit, qui vicissim ab ipso deseratur. Conuersio ad eam rem, ex qua infelix peccator contra Deum, eiusdemque præceptum momētaneam aliam quam voluptatū aucupatur, & ipse nihiloscus illecebrarum sensus inde exortus, iusta sensus poena plectuntur. Aequū est enim, qui contra exploratam Dei legem, expressamque eius voluntatem experiri voluit oblectationem, vt idem pariter

contra

contra propriæ voluntatis propensionem experiatur cruciatum & poenam. Verus legis legislatorisve contemptus, & hinc nata inimicitia, vlciscendique voluntas, vtriusque poenæ rationi æternitatem adiungunt. Inimicum nanque improbumque domini sui contemptorem tantisper puniri par est, dum præfracto animo in concepto semel contemptu perstiterit.

At verò vbi primùm peccator, quod in Deū admiserat peccatum, gratia illius præuentus, ex animo detestatur, statim in pristinam gratiam & amicitiam receptus, ab vtriusque poenæ æternitate absoluitur. Nam etsi amicus, vel filius, propter admissa scelera multari debeat, & grauius interdum multari soleat, ne, vel nimia indulgentia & impunitate maius ad improbitatem ostium patefiat, vel contra iustitiæ rationem peccata inulta maneat: neutrum tamen, aut æterno exilio, aut supplicio perpetuo multari æquum est: Aliàs enim inter amicum & hostem nullum discrimen intercederet.

Quòd si contritio solam æternitatem ex poenæ reatu expungeret, & nihil quicquam aliud sua vi hinc præstaret: tunc sanè ad Deum conuersus eidem secundum genus, vel speciem, cui ante mutatam mentem poenæ obnoxius maneret, non tamen tantæ. Quandoquidem æternitate ex poenæ debito per contritionis vim sublata, eiusdem poenæ temporalitas tantum remansit. Atque ita licet contritus in contritionis gratia ad finem vsque perseuerans, nunquam ad inferos ablegandus veniat, totam poenam ibidem expensurus, quam antè debebat, nihil tamen vetat quò minus partis illius poenæ debitor adhuc permaneat. Atque huc haud dubiè spectârunt veteres illi, qui Inferni & Purgatorij poenam eiusdem rationis, non eiusdem quoque durationis esse docuerunt. Sicut ad metalla, vel triremes perpetuò, & ad certum tantum annorum spatium damnatum esse, non rei naturam, aut poenæ qualitatem, sed eiusdem tantum quantitatem mutat.

Ceterum sublata iam per contritionem æternitate, quod

c poena-

Aeterna & temporanea poena ratione inter se non differunt.

In disp. de poenis Inferni.

Aeterna damnatio tria intrinsicè comprehendit.

In quouis lethali scelere comperiuntur tria.

Auersio à Deo, damni poena multatur.

Conuersio ad rem caducā, Deo deserto, plectitur sensus poena.

Legis contemptus debita poenæ æternitatem adiungit.

In gratia receptus à poenæ æternitate absoluitur.

Amicū æternæ poenæ plecti non decet.

Inferni & Purgatorij poenæ qualitate conueniunt.

Multa sunt, quibus tēporalis poenæ reatus in totū, aut in partē inducitur.

Sacramentalis satisfactioes cæteris sunt efficaciores.

Incensa contritio omnē tollit poenā.

Nulla est contritio quæ nō aliquid poenæ absumat.

poenarum fit residuum, illud partim per ipsam contritionis molestiam tollitur: partim rursus per exomologesin & sacramentalem absolutionem, si tamen illa legitimè instituat, & hæc ritè administratur: (Nam & ipsa quoque clauium potestas virtute & merito Christi imbuta non solùm culpæ, sed vtriusque poenæ quoque expiatoria existit) partim denique per fructus verè serioque poenitente dignos. Fructuum autem poenitentię nomine, non ea tantum virtutum officia hęc complectimur, quę sacerdotis arbitrio poenitenti sacramentaliter absoluto imponuntur: verum ea etiã, quę ipsimet poenitentes in admissorum criminum expiationem vltro suscipiunt, qualiacunq; ea demū fuerint. Nam etsi Sacramentalis satisfactioes propter clauium energiã cæteris maiori vi polleant, habent tamen & cæterę quoq; suū robur, suamq; efficacitatē.

Ad contritionis porrò energiam in exhauriendis poenarum reliquijs quod attinet, certum est eò plus poenarum eius opera exhauriri, quò ipsa in sese ardentior extiterit. Certum est nihilosecius tam incensam ardentemq; esse posse, vt vnã cum culpa vniuersam poenam absumat. Sed dubium est interim, an omnis omnino vera contritio, esto nullius penè intensio nis existat, aliquam semper poenarū partem inducat, an quædam nullam penitus? Missa prolixa disputatione, breuiter statuimus nullam extare contritionem quantumcunque remissam, sed neque vllam quoque extare posse, quæ non aliquid semper ex temporalium poenarum residuo eximat. Nam cùm contritio, de qua hęc sermo est, ex gratiæ dono vitæ æternę sit meritoria, (nec enim vitiosa aut indifferens est) & ob adiunctam molestiam & difficultatem habeatur satisfactoria: fieri profectò non potest, vt nō aliquam saltem poenarum partem absumat. Quauis enim commissi criminis odium nullam necessariò molestiam adferat; quippe cùm illud in beatis, imò in ipso quoque Deo existat: (odit is enim omnem omnino iniustitiam & iniquitatem) in hac tamen mortali vita molestiarum expers esse non solet. Cùm ergo contritio illa

quan-

quantumlibet remissa, sit molesta & voluntaria, & secundum Deum assumpta, & per consequens meritoria, suo quoque satisfaciendi robore polleat oportet.

Sed & aliunde quoque eadē illa remissa contritio vires mutatur: nempe ex tacito, vel expresso Sacramenti poenitentię voto: vel ex Christi veriùs satisfactione & merito, q̄ per absolutionis Sacramentum nobis communicantur. Nam vt ex Baptismo manifestum est, vtrunque mysticis eiusdem membris communicatum poenæ simul & noxæ expiatorium existit: quauis non pari gradu vtrouique, sed plus minusve, prout plus minusve communicatur. Quam ob rem cùm in regenerationis Sacramento vtrunque certa quadam ratione integrè communicetur, fit vt omnē simul poenam & culpam perimat. Contrà verò, quòd in poenitentia (vt & in cæteris quoque Sacramentis) vtrunq; præfinitò applicetur, accidit vt vtrunque quoque præfinitò operetur.

Cur Christi satisfactio & meritum nō ex æquo cōmunicantur, aut operantur vtrouique? Quia non eadem vtriusque Sacramenti est ratio: siue materiam spectes, siue formam, siue ministrum, siue fructum. Per Baptismum enim Christum induentes noua creatura in ipso efficimur, plenam & integram peccatorū remissionē cōsequentes: per Poenitentiam autē renouamur quidē & restituimur, sed non simul semper, nec sine magnis quoq; fletibus & laboribus, diuina iustitia id exigente, ne videlicet impunè Spiritus sancti donū aspernati videamur. Missum hęc facio, Baptismi & Poenitentię Sacramentum non eodem modo adhiberi. Adhibetur hoc enim per modū medicinæ: (pharmaca autē eò potētius suos nervos exerere solent, quò affectorū corporū vires eisdem opitulatur validiùs) illud verò per modum cuiusdā ortus, aut cuiusdā *παλιγγενεσία* veriùs: Cuius vtique vis tota, vel certè præcipuà, à regenerantis potestate, ac voluntate dependet: vult is autem in eos, qui primò quasi nomina dantes ex illo regenerantur, liberalis esse, in transfugas autem non item, etiamsi ad castra redeant.

Contritio ex Sacramenti voto vim mutatur.

Non eadē ratio & vis Sacramenti Baptismi & Poenitentię.

Baptismus adhibetur per modum generatur: Poenitentia, per modū medicinæ.

Solum Sacramenti poenitentiae votum poenarum reliquias immittit.

Maioris enim gratia est nostra quam veris populi contritio.

Cum itaque Christi satisfactio hominisque contritio in ordinem ad Sacramentum poenitentiae cohaereant, (Contritio enim, si vera est, Sacramenti votum inclusum habet) fit ut quaecunque peccati detestatio etiam remississima ex Christi merito & satisfactione, quibus per Sacramenti desiderium confociatur, peculiarem quandam in exhaustis poenis virtutem fortiatur. Ac per hoc nostra contritio, veteris populi contritioni non parum praestet. Horum enim ex solo conatu & charitate vim habebat, nostra vero cum ex conatu & charitate, tum ex ipso quoque Sacramento robur accipit. Fatendum est tamen eam contritionem minus poenarum exhausti, quae voto tantum Sacramento coniungitur, quam quae re & voto simul. Sicut Baptismi quoque desiderium in abolendis poenis minus efficax est, quam Baptismus re ipsa susceptus. Vtrumque tamen, & Sacramentalis poenitentiae votum & Baptismi desiderium, aliquam semper poenae partem inducit.

Contritio proinde ex adiuncta charitate semouet culpam & inimicitiam, & poenam item exilij vel damni: Sensus autem poenam non tam integre semper proscrit, quam aeternitatem ab ea secludit: Ob annexam tamen molestiam & difficultatem aliquam semper eiusdem sensilis poenae partem absumit: & alterum rursus eiusdem segmentum propter Sacramentum animi voto conceptum adimit: potestque hoc votum, & ipsa quoque secundum se contritio tam acris ac vehemens esse, ut ante Sacramentalem absolutionem vniuersam exantlet. Verum quia non ita frequenter accidere id solet, fit ut post acceptam sacerdotis absolutionem illud per opera satisfactoria, ut sunt orationes, ieiunia, elemosynae, & alia similia, expleendum veniat, quod contritionis perfectioni defuerat.

Raro contritio absumit omnem poenam.

Quod autem non omnis poenarum reatus vna semper cum culpa, per quamlibet contritionem peccatiue detestationem, etiam si Sacramentalis absolutio accedat, aboleatur, id apud orthodoxe institutos nullum dubium habet: Nam, ut cordati

facile

facile intelligunt, quicquid, vel autoritatum, vel rationum extat, quibus Purgatorium, defunctorum suffragia, Veniae pontificiae, & aliae his cognatae controversiae probantur & constituuntur, eisdem etiam probantur & constituuntur poenarum post remissam culpam reliquiae. Cum autem ingens harum vis existat, consequens fit, hunc de nostra Satisfactione articulum maximis validissimisque praesidijs ac firmamentis sultum subsistere. Verum ne haec Sacramenti pars quasi proprijs destituta opibus, communibus tantum munita, nixaque stare videatur: ex sacris literis, veterumque monumentis, nec non humanae rationis thesauris, & Scholae argumentis ea huc in medium adducemus, quae loci huius maxime sunt propria. Nam ut omnia, quae quouis modo ad praesens hoc argumentum faciunt, huc congeramus, id nullum est operae precium.

Quicquid probat Purgatorium Pontificiae condonationes, hoc ipsum quoque nostra satisfactio materiae constituit.

Non omnem poenae reatum vna semper cum noxa aboleri, inuictis diuinarum literarum testimonijs ostenditur.

SECTIO TERTIA.



Via (inquit Dominus, post violatum mandatum Adamum compellans) audiuisi vocem vxoris tuae, & comedisti de ligno, ex quo preceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vite tuae. Spinæ & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. & ad mulierem: Multiplicabo arumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Eccè grauissima & prolixissima vnius duntaxat noxiæ, iam tunc, vel paulo post expiate poena. Nec enim credibile fit, primos parentes in patrati sceleris voluntate diu multumque perstitisse. Nam & Deum metuunt,

Genes. 3.

Primi parentes non diu perstitunt in peccati voluntate.

& præscriptam ab eo pœnitentiæ legem, citra ullam tergiversationē subeunt, & promissis illius absq; omni hēsitatione fi-
dunt, & omnia deniq; veræ resipiscentiæ indicia præ se ferunt.

Aliud æquē illustre eiusdem catholicæ veritatis exemplum
suppeditant nobis Regum Iudæorum acta. Nam cūm propheta
Nathan Dauid Regem de patrato cum Bersabea adulterio
& homicidio graui oratione increpasset, idemq; Spiritu Dei
compunctus peccatum suum agnouisset, agnitumq; vehe-
mentissimè detestatus animo defleuisset, statim audire pro-
meruit: Dominus quoq; transtulit peccatum tuū: non morie-
ris. Veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini,
propter verbum hoc, filius qui nascetur tibi, morte morietur.
& aliquantis ante hunc locum lincis rursus: Quoniam Vri-
am Hethlæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in
vxorem tibi, nō recedet gladius de domo tua in sempiternum.
Suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas
in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus
tuis in oculis Solis huius. Tu enim fecisti absconditè, ego autē
faciam verbū istud in conspectu omnis Israel. Hic Gregorius:

Greg. lib. 9. c.
17. Moral.

Deus nullum
peccatum in-
ultum relin-
quit.

Si peccatū Dauid Dominus transtulit tā detestabile, quid est
quod post omnia, quæ de eodē peccato per Prophetā à Domi-
no dicta sunt, postmodū tāta tolerauit? Sed procul dubio Do-
minus delictū sine vltione nō deserit. Aut enim ipse hoc homo
in se pœnitēs punit, aut hoc Deus cū homine vindicās pcutit.
Nequaquā igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta
laxatur. Sicut enim Dauid post cōfessionē audire meruit, Do-
minus transtulit peccatū tuū: & tamē multis post cruciatibus
afflictus, ac fugiens, reatū culpæ, quā perpetravit, exoluit: Sic
nos salutis vnda à culpa primi hominis absolui mur, sed tamen
reatum eiusdē culpæ diluētes, absoluti quoq; adhuc carnaliter
obimus. Quia delicta nostra, siue per nos, siue per semetipsum
refecat, etiā cūm relaxat. Hac Gregoriana expositione clari-
us dici quid possit, nō video. ait enim: Dominus delictum si-
ne vltione non deserit. Aut enim homo in se punit, aut Deus

in

in homine vindicans percutit. rursus: Nequaquam peccato
parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. demum: Deli-
cta nostra, siue per nos, siue per semetipsum refecat, etiam
cūm relaxat. Quod autem ex instituto de peccatis condona-
tis agat, id ex loco, quem explanat; & exemplo, quo senten-
tiam suam illustrat, planius est, quā vt negari queat.

Eodem tendunt & hæc Augustiniana quoque. Tale, inquit
ille, (quale nimirum perpeffus est Adamus) aliquid nobis infi-
nuatum est de patriarcha Dauid in libro Regum, ad quē Pro-
pheta cūm missus esset, ei que propter peccatum, quod com-
miserat, euentura mala ex iracundia Dei comminaretur, con-
fessione peccati veniā meruit, & tamē cōsecuta sunt, quæ Do-
minus cōminatus fuerat. Et quod maiori hæc in re dignum est
admiratione, sanctissimus hic vates peccata iā olim relaxata,
post tot annos, post tot clades illorū causa acceptas, cruceq;
patienter toleratas, quasi nup accidissent lugēs, acerbissimas
pœnas vltro à seipso exigebat. ait enim: Laboravi in gemitu
meo, lauabo p singulas noctes lectū meū, lachrymis meis stratum
meū rigabo. itē: Humiliabā in ieiunio animā meā: & posui
vestimentū meum cilicium. rursus: Iniquitatem meā ego
cognoſco, & peccatū meum cōtra me est semper. Et eodem
psalmo Dei misericordiam ardentius implorans, & à peccato-
rum reliquijs purgari, atque ad eū in pristinum decoris & in-
tegritatis statum restitui ardentem expetens, sic precatur: Amplius
laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. & infra:
Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum re-
ctum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua,
& Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Rursus cūm idem ille propheta & princeps religio-
sissimus ob dinumeratum populum in graui apud De-
um offensā esset, acri que mox ductus pœnitudo peccati
veniā vehementer efflagitasset, efflagitatam ita impe-
trauit, vt tamen, tribus grauissimis cladibus propositis, vnam
ex illis in qualemcunq; admisi sceleris compensationem

sub.

Quod homo
in se non pu-
nit, Deus ple-
ctit.

lib 2. c. 34. de
peccat. merit.

2. Reg. c. 12.

Dauid pecca-
ta condona-
ta vltionis
pœnis ple-
ctit.

Psal. 6.

Psal. 34.

Psal. 50.

Psal. 50.

2. Reg. 24. » subire compulsus fuerit. Trium tibi datur optio, elige vnum,
 » quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cumque venisset Gad ad
 » Dauid, nunciauit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fa-
 » mes in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos,
 » & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia
 » in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei,
 » qui me misit, sermonem. Dixit autem Dauid ad Gad, Coar-
 » ctor nimis: sed melius est vt incidam in manus Domini, quàm
 » in manus hominum. En iterum grauißima poena propter
 occultum superbiæ peccatum infligta. Nec enim secundùm se
 malum, aut peccatum erat, populum recensere: erat autem
 malum propter fastum, aut alium occultum animi morbum,
 qui Deum non latebat, illud facere. Nam aliquem repentinæ
 elationis sensum Dauidi obrepßisse, cum ex rei euentu, tum ex
 ipso quoque literæ contextu minimè obscurum est.

Exod. 32.

In Exodo quoque quanuis Deus, Moyßi precibus flexus, po-
 pulo idololatræ pepercerat, tamen minatus est graues poenas
 tanti flagitij olim se repetiturum esse. Ipseque Moyßes, futuro-
 rum præscijs, testatus est fore, vt illam idololatriam Dominus
 feuerissimè in tertiam & quartam vsque generationem vici-
 sceretur. Et quartodecimo Numerorum capite, Moyßes pro
 populi sui incredulitate & contumacia humilimè deprecans,

Num. 14.

» cuiusmodi responsum tulit: Dimisi iuxta verbum tuum. At-
 » tamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & si-
 » gna quæ feci in Aegypto & in solitudine, & tentauerunt me
 » iam per decem vices, nec obediuerunt voci meæ, non vide-
 » bunt terram, pro qua iuravi patribus eorum. Nec quisquam ex
 » illis, qui detraxerunt mihi, intuebitur eam. & infra: In solitu-
 » dine hac iacebunt cadauera vestra. Et quadraginta annis reci-
 » pietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam. Erant
 fanè, cum Deus isthæc cum Moyße differeret, multi inter eos
 mali & improbi, atque ideo non ea solùm, sed alia etiam gra-
 uiore poena digni: verùm paulò post ad cor conuersi, culpam
 agnouerunt, & de sua murmuratione doluerunt; & vt Hiero-
 nymus

nymus alicubi insinuat, plerique omnes in vera poenitentia
 animas posuerunt: & tamen, his omnibus non obstantibus,
 calamitas ad finem vsque illis adhæsit.

Pari modo Moyßes & Aaron ab incredulitatis peccato,
 quod apud contradictionis aquas incurrerant, ita absoluntur,
 vt tamen in admissi peccati poenam, à promissæ terræ in-
 gressu inexorabili decreto perpetuò arceantur. Quia, inquit
 Dominus, non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram fi-
 lijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam da-
 bo eis. & infra: Pergat Aaron ad populos suos: non enim in-
 trabit in terram quam dedi filijs Israel, eò quòd incredulus fuerit
 ori meo ad aquas contradictionis. Et hîc quoque, leue hæsitatio-
 nis peccatū (nam propter eximiã Moyßi sanctimoniã intra veni-
 alis limites constitisse verisimilimū sit) inexpugnabili à pro-
 missionis terra exilio multatur. Cõstat enim Moyßen exclusi-
 onem illã à pmissionis solo ardèter deprecatū esse, nec quic-
 quam tamen sua precatone promouisse. ait enim: Precatus
 sum Dominū in tempore illo, dicēs: Domine Deus, tu cœpisti
 seruo tuo ostendere magnitudinem tuam. Transibo igitur, &
 videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem
 istum egregium, & Libanum. Iratusq; est mihi Dominus pro-
 pter vos, nec exaudiuit me: sed dixit mihi, Sufficit tibi, nequa-
 quam vltra loquaris de hac re ad me.

Num. 20.

Eod. c. 20.

Deut. 3.

"

Maria quoque, vtriusque soror ob murmuracionis peccatum
 foedissima lepra percussa, Moyßique intercessione ab ea plaga
 denuo liberata, offensoq; numini reconciliata, non prius in-
 tegrè in gratiã recepta est, quàm toros septē dies à castris ex-
 ulasset. Si, inquit Dominus, pater eius spuisset in faciem il-
 lius, nonne debuerat, saltem septem diebus rubore perfun-
 di? Separetur itaq; septem diebus extra castra, & postea reuo-
 cabitur. Dices forsã: Vbi scriptum est mulierẽ illam statim
 respuisse? Nusquã fanè aperte. Verùm quis credat Heroïnã
 illam, quam Scripturæ plurimùm commendant, post grauem
 illam admonitionem, post illatam foedam illam infamemque
 d con-

Num. 12.

contagionem, in murmurationis voluntate adhuc perdurasse? Imò verò quis non credat, rei miraculo, poenæq; magnitudine exterritam peccatum suum eueffigio detestatam esse? Quamuis ergo sacræ literæ non doceant, prius ab animæ lepra, propter Moyfi intercessionem, liberatam fuisse, quàm à corporis contagione, facile id tamen inde colligitur.

Job 9. >> Huc minimè obscurè facit & illud Job quoque: Verebar
>> omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. De-

Lib. 9. c. 17.
Moral.

linquenti autem non solum duro & obstinato, sed verè quoq; ad Deum iam conuerso. Vnde Gregorius: Cùm delicta plangimus, nequaquam iam delinquentes sumus. Sed quid est quòd Petrus, cùm negat, respicitur, & Redemptoris negati respectu ad lachrymas vocatur? Quid quòd Paulus, cùm Redemptoris nomen conaretur in terris extinguere, eius verba de cœlo meruit audire? Sed tamen culpa in vtroque punita est: quia & de Petro, teste Euangelio, scriptum est: Recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat: & egressus foras, flevit amarè. Et de Paulo hæc eadem, quæ hunc vocauit, veritas dicit: Ego ostendam illi, quanta eum oporteat pro nomine meo pati. Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcat, quia delictum sine vltione non deserit. Huc vsque Gregorius.

Luc. 22.

Act. 9.

Job 42.

>> Et illud eiusdem: Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excedunt scientiam meam. Idcirco ipse me reprehendo, & ago poenitentiam in fauilla & cinere. At cuiusmodi, quæso, erat, qui, & seipsum interiùs reprehendebat, & in fauilla & cinere exteriùs affligebat? iustus ne, an iniustus? Si iniustus, cur Deus vt iustum & sanctum laudat? Si iustus, vt reuera erat, cur, si nihil satisfactione dignum in iustis hæret, vir iustus tantopere sese afflicat? Quòd si eam ille satisfactionem propter leuia quædam peccata à seipso exigebat, quid eos, qui grauiora facinora designarunt, facere par est?

Cap. 3.

>> Et illud Hieremiæ: Conuerte me, & conuertar: quia tu
>> Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi
>> poenitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur
me.

meum. Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. & illud Ezechielis: Spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumq; non bonorum: & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & sceleravestra. Vterq; hic locus tria ordine ob oculos nobis ponit: nempe præuenientem Dei gratiã, peccatoris conuersionẽ, & nõ dubiam eiusdem post conuersionẽ satisfactionem. hanc enim neutiquam obscurè indicant verba illa: Postquã conuertisti me, egi poenitentiam. item: Postquam ostendisti mihi, nimirum miserias, & sordes, in quibus iacueram, percussi femur meum. rursum: Recordabimini viarum vestrarum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra. Quod enim displicet, hoc & dolet quoque: omnis autem iustorum dolor de peccatis vltro conceptus & satisfactorius est, & in externũ opus erumpit, si occasio adest.

Et illud Tobix: Bona est oratio cum ieiunio & elemosyna, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam elemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata. At quomodo elemosyna purgat peccata, si nullus post peccatum condonatum reliquus sit poenæ reatus? Nunquid peccatum illud purgat, quod etiamnum placet, vel quod secundum se totum adhuc inhæret? Minimè gentium. Hoc enim est opus solius diuinæ gratiæ, veræque poenitentia. Purgat ergo à peccati reliquijs, hoc est, ab ijs poenis, quæ post peccati maculam expiatam, & si non semper, vt plurimum tamen residuæ fiunt. Nam poenas peccato debitas peccati nomine non infrequenter designari, ex Scripturis manifestum est.

Poenæ peccato debitas, peccati nomine nõ infrequenter designantur.

Simile huic est illud Danielis: Quamobrem, Rex, conuulsum meum placeat tibi, & peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. Nec enim ignorabat Propheta peccata,

Peccatū quod
adhuc placet,
elemosyna
redimi ne-
quit

cata, quæ etiam nunc animo cedunt, elemosynis redimi non posse. Siquidem velle in peccatis obstinatè persistere, & velle nihilominus, quò Deus ignoscat, elemosynas erogare, nihil aliud est, quàm peccandi libertatem à Deo velle redimere. Ecquis ergo, inquis, propheticæ exhortationis scopus, quæ illius mens, quis sensus extitit? Hic nimirum: Tu Nabuchodonosor Rex multis magnisque sceleribus obstrictus teneris, propter quæ extrema omnia iustè promeritus es. Veruntamen quia Deus misericors, & clemens, & benignus est, suadeo, vt abiectis iniquitatibus ad illum te conuertas, elemosynisque & alijs pietatis officijs strenuè incumbas: forsan non solum noxam & poenam aeternam, quam omnibus verè ad se redeuntibus gratis lubenterque condonat, tibi condonabit; sed poenam quoque temporalem, quam non semper condonat, sed magna sæpe cum seueritate etiam ab illis, qui verè resipuerunt, exigere solet, missam faciet. Quod hinc dicimus, ipse contextus, qui alioquin hiulus est, planè confirmat, ait enim: Consilium meum placeat tibi, mox subiungitur, Et peccata tua &c. atqui illud, Et, nullam omnino cum proximè precedentibus συνίτηται habet: cohæret autem cum ijs tantum, quæ hinc reticentur. Integrè dixisset, Consulo fac hoc, vel illud: ac deinde subiecisset, Et peccata tua elemosynis redime, &c.

Cap. 21.

Facit huc minimè obscurè & illud Ecclesiastici quoque: Fili peccasti? non adicias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Est hinc sermo de peccati libertino, quem tacitè admonet; tum vt cautè incedat, ne in easdem peccatorum sordes denuo recidat; tum rursum, vt de condonatis plenam remissionem obtinere studeat. Huc enim tendunt verba illa: Et de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur: nempe quo ad temporalis poenæ reatum. Et illud Matthæi: Facite ergo fructus dignos poenitentiae. Nam etsi quoduis pium opus poenitentiae fructus appellari que-

Cap. 3.

at:

queat: attamen, quòd omnes omnino homines, etiamsi sanctissimam vitæ rationem teneant, ad legis obseruationem, bonorumque operum studium stricto iure obligentur, secundum Cyprianum, Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Gregorium, Bernardum & alios complures, per fructus poenitentiae dignos, accipienda sunt opera duriora, quæ propter præterita scelera in qualemcunq; vindictam, lætæque iustitiæ compensationē, spontè assumuntur, vel à sacerdote Christi vicario eadem de causa indicuntur.

Fructus poenitentiae aliquid exigunt aliàs indebitum.

Huic loco non dissimile est illud Apostoli ad Regē Agrippam: Agrippa, ait, non fui incredulus coelesti visioni: sed his qui sunt Damasci primùm, & Hierosolymis, & in omnem regionem Iudææ, & gentibus annunciabam, vt poenitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes. & illud eiusdem: Sicut exhibuistis membra vestra feruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc liberati à peccato, & serui facti iustitiæ, exhibete membra vestra feruire iustitiæ in sanctificationem. & illud: Si nosmetipsos iudicarem, hoc est, dignè in peccata nostra animaduertemus, eaque vt par erat in nobis puniremus, non vtique iudicaremur, hoc est, plecteremur à Domino. & illud: Timeo ne fortè cum venero, lugeam multos ex ijs qui antè peccauerunt, & non egerunt poenitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. Quauis enim ad peccata per poenitentiam nondum deleta referri hæc queant, propter ea tamen, quæ antè præmiserat, planius ad peccata præterita remissiùs, quàm equum erat, punita, referuntur. Scripserat enim hunc in modum: Tristitia quæ secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur, seculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed emulationē, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos in-

Act. 26.

cc

Rom. 6.

1. Cor. 11.
Orig.
August.

2. Cor. 12

Cap. 7.

cc

cc

cc

Nec mirum sanè videri debet, si Apostolus ob admissa scelera grauiorem interdum multam alijs irrogaret, qui seipsum non sui ipsius causa tantum, sed & aliorum quoque gratia duriter plerumque habebat. Ego, inquit, gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. item: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Haud absimilem satisfactionis mensuram beatum Iob, & post illum Zachaeum publicanum quoque exhibuisse legimus.

Coloss. 1. »
 2. Cor. 11. »
 Luc. 19. »
 Iob 6. »

» Ecce, inquit Zachaeus, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Iob autem: Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: Quasi arena maris haec grauior apparebit. Neque enim haec ad culpam, quae tum ineffet, referri possunt. Siquidem vel nulla inerat, vel tantum leuis inerat. erat enim Iob vir magnae perfectionis & sanctitatis. Et ut maxime grandior quaequam inhaesisset, ea tamen per eiusmodi poenas aboleri non potuisset. Sunt ergo isthaec ad poenas temporaneas, quas promeritus erat, quanuis suo iudicio non tantas, transferenda.

At quid opus est multis? ipse Confessionistarum pater & princeps Melanchthon, rei euidetia, apertissimisque Scripturarum exemplis & testimonijs conuictus, in eo libello, cui Locorum communium titulum praefixit, disertè fatetur peccata remissa temporali poena frequenter vindicari. Quanquam, scribit ibi, diuelli non debeat remissio culpae, & remissio mortis aeternae: tamen necesse est discerni remissionem culpae, à remissione poenarum temporalium. & nonnullis interiectis subdit: Nam praeter communes erumnas, quas propter peccatum Ade parentis nostri circumferimus, Sancti singularibus poenis propter priuata quaedam peccata puniuntur. David propter adulterium quantas erumnas sustinuit longo tempore? Primum stuprata est filia, stuprum cedens filij secuta est. Deinde mota seditio à filio: stupratae coniuges, interfecti ciues, pater pulsus

De Satis fact.
 Melanchthon agnoscit satisfactionis maiorem.

pulsus est. Sic puniti sunt peculiaribus supplicijs Sampson, Salomon, Osiis, Iosias, Nabuchodonosor, & alij Sancti innumerabiles quotidie aliquas poenas peculiare sustinent. Nec loquor de impijs & reiectis, sed de Ecclesia, & de Sanctis: horum multi lapsus omnibus temporibus peculiaribus poenis puniuntur, iuxta dictum psalmi: Visitabo in virga iniquitates eorum. Haec tenus Philippus, quae ab Ecclesiae doctrina non dissident. Faterur enim Sanctos temporali poena puniri, (quanuis quosdam inter Sanctos censeat, quos Ecclesia pro Sanctis non habet) & à Deo puniri, & propter praeterita, hoc est, iam ante condonata peccata puniri, & iuste puniri. Haec enim omnia & singula arguunt, non omnem statim poenam vnà cum culpa aboleri.

Verum ne communis magistri doctrinam discipuli, quod turpe foret, prorsus deserant; neque tamen in Catholicorum sententiam, quod equè detrectant, turpeque existimant, aperte concedant, quidam ex illis temporalium poenarum reatum cum Philippo ita agnoscunt, ut tamen redimi posse obstinate negent. Docent hi, cum Deus Opt. Max. resipiscenti peccatori scelus aliquod condonet, ita illud condonare, ut semper in poena aeternae locum, quam scelus illud iuste promerebatur, aliam statim in hac vita dependendam sufficiat, eamque certam, modisque omnibus inexorabilem: puta pestem, aut vxoris mortem, aut liberorum dedecus, aut bonorum iacturam, aut inimicorum violentiam, aut aliquam aliam eiusmodi manifestam, occultamve crucem.

Sed haec Theologia non solum est noua, sed Scripturae quoque, recteque rationis legi, & Ecclesiae praxi planè dissentanea. Constat enim, non maioris difficultatis esse, Deo pro peccatorum reliquijs satisfacere, quam integram peccatorum remissionem vel ex congruo tantum ab eodem impetrare; aut cladem aliquam in scelerum vindictam, vel aliam quamcumque ob causam, vel vni seorsum, vel pluribus simul, ab irato, vel placato quoque numine destinata, vel ab hostibus eodem illo numine permittente inten-

Psal. 88.

Sectariorum de poena temporanea paradoxum.

Maioris operae est, primam gratiam impetrare, quam per peccatorum reliquijs satisfacere.

intentatam, à ceruicibus, quibus impendebat, vel iam quoque inhærebat, auertere. Atqui per eleemosynas, ieiunia, preces, cilicia, sacrificia, aliaque id genus seriae poenitentiae officia, eiusmodi condonationes posse impetrari, cladesque auerti, vel anteuerti, locupletissimi testes sunt nobis Niniuitæ, Bethuliatæ, Machabæi, Achab, Manassés, Dauid, & alij præterea quàm plurimi.

Iona 3. » Adhuc quadraginta dies, prædicabat Iona, & Niniue subuertetur. En diræ cladis, quasi dramatis cuiusdam Protasis, comminatio. Accipe nunc ardentem, vereque seriam intentatæ calamitatis deprecationem, felicemque eiusdem depulsiōnem. sequitur enim: Et crediderunt viri Niniuitæ in Dominum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt sacco à maiore vsque ad minorem. hæc Epitasis, subditur felix Catastrophæ: » Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat » vt faceret eis, & non fecit.

Similes protases, epitases, & catastrophas, vetus Testamentum frequentes suppeditat: nos in Antagonistarum gratiam assertæque veritatis confirmationem ex pluribus paucas tantum, easque illustriores, huc in medium adferemus. Sit igitur Esther 3. » secundum hoc ex libro Esther petatum exemplum. Missæ sunt » literæ per cursores Regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos à puero vsque ad senem, » paruulos & mulieres, vno die. En grande malum, Aman inuidia populo Iudæo intentatum. sequitur: Et mandauit Esther Cap. 4. » Mardocheo: Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susanna repereris, & orate pro me. Non comedetis, & non bibetis » tribus diebus & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti & periculo. Iuit itaque » Mardocheus, & fecit omnia quæ ei Esther præceperat. En serua Cap. 5. » ria impendentis mali deprecatio. Subiungitur tandem: Iudæis » autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium.

Apud

Apud omnes populos, vrbes atque prouincias, quocunq; Regis præcepta veniebant, mira exultatio, epulæ atque conuiuia, & festus dies: intantum vt plures alterius gentis & sectæ, eorum religioni & cæremonijs iungerentur.

Sit tertium eiusdem ferè notæ ex Iudith historia desumptum: Audientes hæc filij Israel, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde à facie eius. Tremor etiam & horror inuasit sensus eorum, ne hoc faceret Hierusalem & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus, & templis earum. & infrà: Et clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiunijs & orationibus, ipsi, & mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes cilicijs, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio. Et clamauerunt ad Dominum Deum Israel vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuisionem, & ciuitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutionem. & capitibus aliquot interiectis: » Cùm omnis exercitus decollatum Holophernem audiisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt, ita vt nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, euadere festinabant Hebræos, &c.

Sit hoc quartum ex primo Machabæorum libro huc allatum: Et elegit Lyfias Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem & Gorgiam, viros potentes ex amicis Regis: & misit cum eis quadraginta millia virorum, & septem millia equitum, vt venirent in terram Iuda, & disperderent eam. & infrà: Et congregati sunt Iudæi, & venerunt in Maspha. Et ieiunauerunt illa die, & induerunt se cilicijs, & cinerem imposuerunt capiti suo: & disciderunt vestimenta sua. Et clamauerunt voce magna in cælum, dicentes: Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adiuues nos? Sequitur: Et exierunt de castris in prælium, & tuba cecinerunt hi qui erant cum Iuda. Et congressi sunt: & contritæ sunt gentes, & fugerunt

c in cam-

» in campum. Et Iudas reuersus est ad spolia castrorum, & accep-
 » perunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & pur-
 » puram marinam, & opes magnas.

2. Reg. 24. » Sit quintum, & inter communes postremum: Immisit Do-
 » minus pestilentiam in Israel, demanē vsq; ad tempus cōstitu-
 » tum, & mortui sunt ex populo à Dan vsq; ad Bersabee septua-
 » ginta millia virorum. & infrà: Cumq; vidisset Dauid Angelum
 » cēdētem populum, dicit ad Dominū: Ego sum qui peccaui, &
 » ego iniquē egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, ob-
 » secro, manus tua contra me, & cōtra domū patris mei. & sub-
 » ditur: Venit autem Gad propheta ad Dauid in die illa, & dixit
 » ei: Ascende, & constitue altare Domino in area Arcana Iebu-
 » sai. Et ascendit Dauid iuxta sermonem Gad, & edificauit alta-
 » re Domino, & obtulit holocausta, & pacifica: & propitiatus est
 » Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.

» His communibus cladibus vera, vt cōiungere licet, ad Deum
 » conuersione, feruidaq; prece depulsis, vnā aut alteram perso-
 » nalem maioris firmamēti causa adijcere lubet. De impio ergo
 3. Reg. 21. » Achab ita scriptum comperimus: Si mortuus fuerit Achab in
 » ciuitate, comedent eum canes: si aut mortuus fuerit in agro,
 » comedent eum volucres cœli. & infrà: Cū audiuiisset Achab
 » sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem
 » suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso
 » capite. Subditur autem: Et factus est sermo Domini ad Eliam
 » Thesbiten dicens, Nonne vidisti humiliatū Achab coram me?
 » Quia igitur humiliatus est mei causa, nō inducam malum in
 » diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.

2. Par. 33. » Huic cognatū est illud Manassēum: Manassēs seduxit Iudam
 » & habitatores Hierusalem, vt facerent malum super omnes
 » gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel. Lo-
 » cutusq; est Dominus ad eum, & ad populum illius: & attende-
 » re noluerūt. Idcirco superinduxit illis principes exercitus Re-
 » gis Assyriorum: ceperuntq; Manassē, & vincitum catenis
 » atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam

coan-

coangustatus est, orauit Dominum Deum suum: & egit pœ-
 nitentiam valde coram Deo patrū suorum. Deprecatusq; est
 eum, & obsecrauit intentē: & exaudiuit orationem eius,
 reduxitq; eum Hierusalem in regnum suum: & cognouit
 Manassēs, quod Dominus ipse esset Deus.

Et illud rursum Ezechia Regis Iudæ: In diebus illis, expo-
 nit Esaię volumen, ægrotauit Ezechias vsque ad mortem: &
 introiuit ad eum Esaias, & dixit ei, Dispone domui tuæ, quia
 morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem suam
 ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domi-
 ne, memento quomodo ambulauerim coram te in veritate, &
 in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.
 Et fleuit Ezechias fletu magno. Et factum est verbum Domini
 ad Esaiam dicens, Vade, & dic Ezechia, Hæc dicit Dominus:
 Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: & ecce ego
 adijciam super dies tuos quindecim annos, & de manu Assyri-
 orum eruam te & ciuitatem istam.

Et illud tandem senioris Tobia & Saræ: Manifestè vana
 facta est spes tua, & elemosynę tuę modò apparuerunt. &
 infrà: Domine memor esto mei, & ne vindictā sumas de pec-
 catis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum me-
 orum. Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, &
 præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedi enim mihi
 magis mori, quàm viuere. & infrà rursum: Amplius ex te nō
 videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum
 tuorum. & paucis interiectis: Ad hanc vocem perrexit in su-
 perius cubiculum domus suæ, & tribus diebus & tribus no-
 ctibus non manducauit, neque bibit: sed in oratione persi-
 stens cū lachrymis deprecabatur Deum, vt ab illo imprope-
 rio liberaret eam. & subditur tandem: In illo tempore exau-
 ditę sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: &
 missus est Angelus Domini sanctus Raphael, vt curaret eos
 ambos, quorū vno tempore sunt orationes in conspectu Do-
 mini recitatæ.

e 2

En

In locis com-
munibus.

Et omnia hæc apertè ostendunt, & intentatas calamitates Christianæ pietatis officijs anteuerti, & iam illatas eisdem, si non omnino profligari, imminui certè posse: Neque hoc Melanchthon, licèt aliàs multa euidenter vera impudenter negare soleat, inficiari audet. ait enim: Sciendum est, poenas mitigari nostra poenitentia, aut prorsus remitti, vt testatur historia Ionæ. Et Esaïæ primo dicitur: Si fuerint peccata vestra vt cocinum, erunt candida vt nix. item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. & infra: Huc pertinent preces illæ, quæ petunt mitigationem in poenis, & simul testantur peccatum mereri maiorem poenam, sed Deum parcere infirmitati nostræ: vt, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? & multa, quæ sequuntur. & paucis interpositis rursum: Postremò semper in conspectu sit dictum Ezechielis, quod etiam de poenarum mitigatione concionatur: Viuo ego, non lo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Hanc esse sententiam multorum aliorum dictorum iudico: vt, Eleemosisyna liberat à peccato, videlicet quod ad præsentis poenas attingit, id est, merentur mitigationem calamitatis huius vitæ. Hactenus Philippus, & benè, vno hoc dempto, quòd omnes huiusmodi poenas vitæ præsentis limitibus cõtineri asseuerat. Nam si verè sunt debitæ, vt ipse non diffitetur: consequens fit vt alibi exoluendæ veniant, si hîc integrè solutæ non fuerant. Sed de hoc in disputatione de Purgatorio ex professo.

Cap. 18.

Quia ergo iustitia Dei vtrouique suas partes strenuè exercet, ita id tamen, vt mitigari, & expugnari quoque queat: fit vt Prophetæ, Apostoli, ceterique Sancti, imò Dominus ipse, qui grauioribus sceleribus obstricti tenentur, seriò passim inculcent, vt ad Dominum sese cõuertant; impendentia quæ vitæ fortunisque pericula, precibus, ieiunijs, eleemosynis, aliisque id genus pietatis munijs impigrè amoliri studeant. Repentè, inquit Dominus per Hieremiam, loquar aduersus gentem & regnum, vt eradicem & disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa de malo suo:agam & ego poenitentiam super malum,

malum, quod cogitavi vt facerem ei. Et subito loquar, degente & de regno, vt ædificem & plantem illud. Simile est huic illud Ezechielis:

Conuertimini, & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. & illud Iohannis: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Et conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus est, & misericors. Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? & illud Danielis, cuius supra meminimus: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. & illud Præcursoris Domini: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum poenitentia. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ex scripturis itaque manifestum est, non omnem semper poenam vnà cum culpa aboleri. Tum poenas eiusmodi officijs Christiano homine dignis in mortali hac vita posse redimi: Neque has solùm, sed cæteras quoque clades, quas Deus in scelerum vindictam vel ob aliquam aliam occultam causam irrogare interdum solet. Proximum est iam, vt idem quoque ex perpetua Ecclesiæ traditione probemus, & confirmemus.

Cap. 18.

Cap. 2.

Cap. 4.

Matth. 3.

c 3

Ex

Ex Canonicis satisfactionibus, quas Ecclesie proceres, grauiumque Synodorum sanctiones pœnitentibus præsumunt, eisdemque præsumi, ac iudici volunt, planum fit non omnem semper debitam pœnam unâ cum noxa absumi.

SECTIO QUARTA.



Ep. ad Theod. Arelat.

Pœnitentes salubri satisfactione purgandi.

Ep. ad Nicet.

Locus eius nominis primus: Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesie potestatem tradidit, vt confitentibus absolutionem darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitteret. & aliorum loco idem: De ijs Christianis, qui inter eos, à quibus fuerant captiui, cibis immolatijs asseruntur esse polluti, Consultationi tuæ charitatis hoc etiam respondendum esse credimus, vt pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione spectanda est. Hic Leo præter nouam vitam cordisque compunctionem, & legitimam coram Ecclesie præposito patrum scelerum confessionem, requirit quoque operum satisfactionem: non qua satisfiat homini, sed qua satisfiat Deo, peccatorumque reliquæ exhauriantur, & ipsi pœnitentes repurgentur. Monet enim, non tam ipsum opus externum, quo solo satisfiat proximo, spectandum hac in re esse, quàm ipsam cordis compunctionem, seriumque pœnitendi studium, quæ soli Deo, eiusque vicario nota sunt.

26. q. 7. c. De his.

Peccata non sunt paria.

Eundem cordis gemitum & ceteri quoque Pontifices præcipue spectari volunt. Nicolaus primus: Qui pro criminibus pœnitentiã egerunt, & ad cingulum militie conuertuntur, constat eos contra sacras regulas agere. Verum quia crimina non æqualia sunt, perhibes quoque alios horum propter nimiam hebetudinem in desperationem cecidisse, alios ob hoc ad paganos fugisse: tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca,

ca, & tempora regionis illius, & modum culpæ, nec non & pœnitentiã, & gemitus hominum ad confessionem venturorum præsens positus inspicere vales.

Negari non potest hæc ipsa, & alia nonnulla, quæ in hunc locum adduci solent, ad publicam pœnitentiã in partem quoque referri posse. At hoc interim catholicæ veritati nihil quicquam aduersatur. Quandoquidem publicis illis satisfactionibus ita consulebatur proximo, vt tamen maximè illis ipsis satisfieret Deo. Quod dicimus, ex ritibus & ceremonijs, hoc est, ex precibus & supplicationibus, quibus eiusmodi satisfactiones olim indicebantur, planissimum est. Cõstat enim Antistitem vniuersumque Clerum humi prostratum, ardentibus precibus & lachrymis absolutionem, plenamque veniam, & reconciliationem huiusmodi reis non à populo, sed à Deo efflagitare solitos fuisse.

Sed neque ex ipsis solum ritibus ac precibus planum id est, sed ex ipso quoque pœnitendi vel satisfaciendi modo. Neque enim istiusmodi pœnitentes publica tantum onera ac probra subibant, sed multa quoque priuata & occulta, quibus soli Deo satisfiebat. Nam vt soli proximo fieret satis, nullis opus erat χαμευνίαις, aut ξηροφαγίαις, aut precibus, aut cilicijs, aut ieiunijs, aut alijs similibus, quibus illi ordinaria lege multabantur: sed sat erat, si læsis ad iudicis arbitrium satisfacerent, si sacris arcerentur, si externo aliquo simbolo tanquam rei notarentur, si noxam agnoscere, pacemque & veniam publicè precari compellerentur.

Quare nulla est illa Aduersariorum argumentatio: Publicis pœnitentijs satisfiat proximo, ergo non Deo. Imò maximè illis satisfiat Deo: Siquidem non modò Ecclesie disciplina, sed diuina quoque iustitia exigit, vt publicam pœnam subeant, qui publicè offendere veriti non fuerant. Quanquam ad præsentem Canonem quod attinet, non minùs is agat de priuatis vel occultis noxijs & pœnis, quàm de publicis. ait enim: Tibi committimus, qui modum culpæ, nec non & pœnitentiã, & gemitus hominum ad confessionem veni-

In indicenda satisfactione spectanda loca, tempora, persona, modus culpæ, gemitus pœnitentis.

Per publicas pœnas Deo satisfieri, ex ritibus earum planum est.

Ex modo satisfaciendi nonum, publicè pœnitentes Deo satisfecisse.

Publica delicta multari debent publica pœna.

venientium præsens positus inspicere vales. Certum est enim, qui gementes, vereque poenitentes ad confessionem veniunt, eos non tam publica delicta exponere quam priuata, hoc est, ignota & occulta: publica enim longa enarratione, aut curiosa explicatione non magnopere indigent.

De poenit. & remif. c. Deus. Satisf. ratio non tam ex quantitate delicti, quam ex contritionis qualitate petenda est.

Innocentius tertius: Cæterum cum poenitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam poenitentis contritionem, per discreti sacerdotis arbitrium sit moderanda pensata qualitate personarum, super fornicatione, adulterio, homicidio, periurio, & alijs criminibus, consideratis circumstantijs omnibus, & præsertim nouitate Liuoniensis Ecclesie, competentem poenitentiam delinquentibus imponatis, prout salutatorum videritis expedire. Ethic quoque Canon discretè de illis poenitentijs & satisfactionibus differit, quæ priuatim, dum scelerum exomologeses excipiuntur, à sacerdote absoluentem imponi consueuerunt. Commonet enim ne temere, aut eorum salutem, quibus imponuntur, dissentaneè imponantur, sed pro delictorum ratione, & personarum qualitate, & aliarum circumstantiarum conditione commodè.

Eod. titul. c. Significauit.

Publicè poenitentes Deo reconciliantur.

Alexander eius appellationis tertius: Quoniam præfatus P. Deo exinde reconciliari desiderat, mandamus quatenus ipsi poenitentiam, secundum quod visum fuerit, misericorditer imponatis, attendentes quod pro libertate sua, & Ecclesie deuotione hoc fecit. Quare in his debetis talem discretionem habere, vt alij, & ipse idem pro austeritate poenitentia à seruitio Ecclesie nullatenus retardentur, nec aliquod salutis periculum debeant formidare. Et hæc quoque poenitentia vel satisfactio plenam cum Deo reconciliationem molitur: tametsi publicam humiliationem non excludat.

Ad cap. 9. lib. 1. Reg. Cum Christo regnatus, crucifigatur oportet. 2. Tim. 2.

Gregorius Magnus: Non omnia nostra Christus expleuit. Per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat: Si compatimur, & conregnabimus. quasi dicat: Quod expleuit Christus, non valet

nisi

nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet. Hinc beatus Petrus Apostolus dicit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Hinc Paulus ait: Adimpleo ea quæ defunt passionibus Christi in corpore meo. Atque qui residuum illud, de quo Gregorius hinc disputat, non est noxa, aut poena æterna, vt satis constat, est ergo poena temporanea.

Clemens tertius: Consultationi tuæ respondemus, quod si ipsis procurantibus, vel studiose negligentibus, filij in lectis reperiuntur oppressi, ab officio altaris debent perpetuò abstinerere: & eis grauior, quam laicis, non tamen publica (nisi in publicum id veniat) poenitentia debet imponi. Verum si ex incuria eorum mortui inueniantur in cunis, & illud occultum fuerit, eis poenitentia pro arbitrio poenitentiarij imponatur. En hinc quoque apertè docetur, vt propter publica crimina satisfaciendum est publicè, ita propter occulta occultè. Secretò autem nõ homini, aut Ecclesiastico coetui fit satis, sed Deo, cui nihil est occultum.

De poenitent. & remif. c. Quæstium.

Secreta satisfactioe Deo fit satis.

Calixtus primus: Indubitanter credimus, tam Domini sacerdotes, quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores, testante Domino per prophetam: Nunquid, qui cecidit, non adiciet, vt resurgat? & infra: Videns propheta scelera sua mundata per poenitentiam, non dubitauit prædicando, & Domino litando curare aliena. Procul dubio digna illa satisfactio, cuius hoc loco fit mētio, eiusdem est notæ cum ea poenitentia, qua se à sceleribus repurgatum docet propheta. Atqui is per expiatoriam illam poenitentiam non se probabat hominibus, his enim humani cordis sensa patere non possunt, sed Deo, cui omnia sunt aperta & nuda.

Epi. 2. ad Epi. Gall.

Digna satisfactio restituit honorem & locum.

Anacletus: Si quis aduersus sanctæ Ecclesie columnas causam habuerit: prius ad eos recurrat charitatis studio, vt familiari colloquio ea sanent, quæ sananda sunt. Si autem aliqui eos prius quam hæc egerint lacerare, accusare, vel infestare

Epist. 2. ad Episc. Ital.

Ecclesie columnæ Epi. scopi.

f

præ-

Qui sacerdotibus iniuria afficiunt, Christum iniuria afficiunt.

præsumpserint, excommunicentur, & minimè absoluantur, antequam per satisfactionem condignam egerint poenitentiam. Quoniam iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur. Est hîc sermo de ijs, qui contra priuatam admonitionem Episcopos accusant. Hos enim tanquam Christo iniurios, non priùs ad fidelium communionem vult admitti, quàm per condignam satisfactionem benè restituant, quod præpostera accusatione male turbauerant.

Ep. 22. c. 4.

Innocentius primus: At dicitur vera & iusta à sacerdotibus benedictio auferre omne vitium, quod à vitioso fuerat iniectum. Ergo, si ita est, applicentur ad ordines sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei: quia benedictione ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus sit poenitentiae locus: quia id præstare potest ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. & alio rursum loco idem: Cæterùm de pondere assumendo delictorum, sacerdotis est videre, vt attendat ad confessionem poenitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis. Et hîc quoq; Pontifex non solum poenitentis fletum, veramq; coram legitimo sacerdote peccatorum confessionem exigit, sed diurnam quoq; satisfactionem.

Ep. ad Episc. per Lucan. c. 23.

Deum satisfactione placare debent viduae incesta.

Gelasius: Viduae, quæ propria voluntate professam pristini cõingij castitatē mutabili mente calcauerint, periculi earum intererit, quali Deū satisfactione placare debeāt: quia, iuxta Apostolum, primā fidem irritam fecerūt. En ob violatam castimoniam fidem Christo pactam, non fidelium coetui tantum faciendum est satis, sed Deo quoque, huic enim fides stipulata, seruata non fuit. Eidem & Felix quoque Pontifex propter Anabaptismi sacrilegium satisfactum oportere desinit.

Ep. ad Episc. diuers. quin.

Qui Confessarium fallit, se fallit.

Qui, inquit, satisfactorius Deo per poenitentiam se rebaptizatum legitimè doluerit, vtrùm ad hoc facinus concurrerit, an impulsus accesserit, requiratur: sciens quòd se decipiat ille, qui fallit, nihilque per nostram facilitatem excelsi iudicij tribunali derogari. Cui illa sunt rata, quæ pia, quæ iusta, quæ

vera

vera sunt: & aliter necessitatis, aliter tractanda est ratio voluntatis. Hîc minimè obscure innuitur sublime illud tribunal, à quo nemini appellare fas est, eas tantum satisfactiones ratas gratasque habere, quæ veræ sunt, quæ iustæ sunt, quæ piæ sunt. Ergo si quæ eius generis non sunt, illæ reum simpliciter non absoluent.

Vigilius: Quia pro peccatis plurimis in gentibus iniquitas ipsa surrexit, in estimatione fraternitatis tuæ, aliorumq; pontificum per suas dioceses relinquatur, vt si qualitas, & poenitentis deuotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio sit vicina. Quorum tamen reconciliatio, non per illam impositionem manus, quæ per inuocationem Spiritus sancti fit, operatur; sed per illam, qua poenitentiae fructus acquiritur, & sanctæ communionis restitutio perficitur. Et hic quoque locus præter alia dignos quoque poenitentiae fructus requirit. Hi autem à digna satisfactione non secernuntur.

Mittimus hîc Lucium tertium, Sixtum quartum, Leonem decimum, quorum primus eos omnes anathemate condemnat, qui secus de Sacramentis, eorumque partibus sentire vel docere præsumunt, quàm docet ac sentit sancta Romana Ecclesia. Secundus Petrum Oxoniensem eodē illo execrationis telo ferit, quòd inter cætera defenderet, neminem priùs posse absolui, quàm iniunctam poenitentiam integrè absoluisset. Tertius Lutherum tres esse Poenitentiae partes, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, negantem hereticum pronunciat. Mittimus hîc eos omnes rursum, qui de Purgatorio & Indulgentijs tulerunt, qui vtrique sunt minimè pauci. Mittimus tandem omnia illa Pontificum decreta, quæ de solennibus & publicis poenitentijs ex instituto præscribunt: non quòd ad rem non faciant, (nam secretum & publicum rei naturam non mutant) sed quòd in re non penitus obscura nimij esse non velimus. Ad Canones proinde Synodales, qui ad Pontificum decreta proximè accedunt, nunc hæc nostra se vertat disputatio.

Vis illata eleuat criminis magnitudinem.

Epist. ad Eucherum c. 3.

Duplex manus impositio: altera reconciliatoria, altera confirmatoria.

Anathematis vinculo innodati, qui aliter de Sacramentis sentiunt, quàm Ecclesia Romana.

Lutherus tres poenitentiae partes negat.

Can. II.

Indulgentiā
promeretur,
qui in operi-
bus poenitē-
tiæ strenuē se
se exercent.

Synodus Nicena: Quicumque cum omni timore & lachry-
mis perseverantibus, & operibus bonis, conversionem suam
non verbis solis, sed opere & veritate demonstrant, cum tem-
pus statutum ab his fuerit impletum, & orationibus iam coe-
perint communicare, licebit Episcopo aliquid humanius cir-
ca eos cogitare.

Can. 202.

Peccatoris
promptitudo
& peccati qua-
litas specta-
nda Confessa-
rio.

Synodus Sexta: Oportet, qui facultatem ligandi & soluen-
di à Deo receperunt, peccati qualitatem speculentur, & pec-
catoris promptitudinem ad reversionem, ut sic medicamen-
tum admoueant ægitudini aptum: ne, si de peccato sine dis-
crimine statuant, à salute ægrotantis aberrant. Et hic quo-
que Canon singularem in præfinitenda poenitentia Confessarij
industriam postulat, postulant eandem & aliæ quoque Synodi.

De poenit. &
remission. c.
Omnis.

Synodus Lateranensis: Omnis utriusque sexus fidelis,
postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus
peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio
sacerdoti, & iniunctam sibi poenitentiam proprijs viribus
studeat adimplere. & infra: Sacerdos autem sit discretus
& cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & o-
leum vulneribus fauciati: diligenter inquirens peccatoris
circumstantias & peccati: ex quibus prudenter intelligat,
quale debeat ei præbere consilium, & ejusmodi remedi-
um adhibere, diuersis experimentis utendo ad sanandum
ægrotum.

Can. 28.

Confessarius
satisf. iniun-
cturus, omnes
peccati & pec-
catoris circū-
stantias ex-
pendere de-
bet.

Synodus VVormatiensis: Poenitentibus, secundum diffe-
rentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio tempus decernat-
ur. Debet itaque sacerdos in poenitentia danda singulorum
causas singulatim considerare, originem quoque, modumque
culpæ, & affectus gemitusque delinquentium diligenter
examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam &
personarum, locorum quoque & ætatum qualitates inspicere,
ut etiam pro cōsideratione locorum, ætatum, vel temporum,
seu pro qualitate delictorum atque gemituum vniuscuiusque
delinquentis, à sacris regulis oculos non flectat.

Synodus

Synodus Turonēsis: Episcopis & Presbyteris diligenti cau-
tela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi peccata
confitentibus tempus abstinentiæ præscribant, ut iuxta mo-
dum peccati poenitentibus abstinentia indicatur. Quoniā va-
riè & indiscretè ab aliquibus Sacerdotibus hæc iudicia perfe-
runtur. Vterque hic Canon ut & præcedens quoque citra
vllam controuersiam, de illis poenitentijs, & satisfactionibus
præscribit, quæ in secreta Confessione in qualēcunque ad-
missorum peccatorum compensationem à sacerdotibus indi-
ci consueverunt.

Iuxta modū
peccati absti-
nentiæ indi-
cenda.

Synodus Africana: Poenitentibus secundum differenti-
am peccatorum Episcopi arbitrio poenitentiæ tempora decer-
nantur. Nec Presbyter inconsulto Episcopo reconciliet poe-
nitentem, nisi absentia Episcopi necessitate cogente. Est hic
sermo de publica satisfactione. At publicum veræ satisfacti-
onis vim non infirmat, sed confirmat. Efficacior est enim ea
satisfactio, qua Deo & homini satisfacit simul, quàm qua Deo
tantum, prout hæc illa quoque multò est difficilior.

Car. 3. ca. 3r.
26. q. 7. c. Poe-
nitentibus.Publicum sa-
tisfactionis
vim auget.

Synodus octaua exponit Theodorum protospatarium,
qui malo inductus cōsilio in Ignatium Patriarcham Constan-
tinopolitanum periurus extiterat, à Romani Pontificis lega-
to interrogatum, Sacerdoti ne alicui periurium confessus es-
set, iustamque propter admissum scelus poenam subiisset, re-
spondisse: Se periurij quidem crimen cuidam Abbati ritè
confessum esse, multamque ab eodem sibi indictam subiisse:
Nescire tamē, sacerdoti ne is Abbas fungeretur, nec ne. Sed
& reliquis quoque, qui eodem illo periurij crimine teneban-
tur, non prius ad Ecclesiasticam communionem aditus pate-
factus est, quàm secundum normam à Synodo præscriptam
satisfecissent.

Constantinop.
quarta act. 9.
Theodorus
protospata-
rius in Igna-
tium perimus.

Synodus Florentina: Quartum Sacramētum est poeniten-
tia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis: qui in tres
partes distinguuntur. Quarum prima est cordis contritio, se-
cunda est oris confessio, tertia est satisfactio pro peccatis, se-
cundum

In instruct.
Arme.Poenitentia
materia actus
poenitentis.

cundum arbitrium sacerdotis. Quæ quidem præcipue fit per orationem, ieiunium, & eleemosynam. Eisdem assignat Tridentina, & Agrippinensis quoque Synodus.

Ses. 14. cap. 3.

Synodus Tridentina: Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius poenitentis actus: nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentię partes dicuntur. & infra: Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemq; poenitentium nõ esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit. rursus: Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.

Can. 30.
Satisf. & fructus poenitentia digni, in idem recidunt.
Ca. 2.
Votifragæ puellæ Deo satisfacere debent.

Synodus Agrippina: Veteres Orthodoxi poenitentia partes tres nobis tradiderunt, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, seu fructum poenitentia dignum.

Synodus Valentina: De puellis, quæ se Deo vouerant, si ad terrenas nuptias sponte transferint, id custodiendum esse decernimus, vt poenitentia his non statim detur: & cum data tamen fuerit, nisi plenè satisfecerint Deo, in quantum ratio poposcerit, earundem cõmunio differatur. Et hinc quoq; Deo pro peccatis satisfieri asseritur. Asseritur idem & à Romana quoque Synodo sub Symmacho celebrata.

Ca. 3.

Synodus Cabilonensis prima: De poenitentia verò peccatorum, quæ est medela animæ, vtilem omnibus hominibus esse censemus: & vt poenitentibus à sacerdotibus (facta confessione) indicatur poenitentia, vniuersitas sacerdotum noscitur consentire. Porrò autem vndenam satisfactionis modus, hoc est, qualitas & quantitas peti debeant, id in altera quadã eiusdem loci Synodo præfinitur his verbis.

Ca. 15.

Synodus Cabilonensis secunda: Modus poenitentia peccata sua

ra sua confitentibus, aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum autoritatẽ, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos poenitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti authores. Eisdem imponendæ satisfactionis modos, ac quasi fontes eisdem penè verbis aperit & Synodus Moguntina quoque.

Synodus Moguntina: Modus & tempus poenitentia peccata sua confitentibus, aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum autoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem approbatam imponi debent à sacerdotibus. Nam qui peccatis grauib; leues quosdã & inuitatos imponunt poenitentia modos, consuunt puluillos secundum propheticum sermonem sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite vniuersè gratis ad capiendas animas. Sed discretio seruanda est inter publicè & absconsè. Nam qui publicè peccat, oportet vt publica multetur poenitentia, & secundum ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur.

Qui aut pro ratione morbi, vel peccati quantitate citra vllum personarum delectum satisfactionis officia indicere oporteat, id in eadẽ illa Cabilonensi Synodo, cuius proxime meminimus, præfinitur in hunc modum: Si medici, q; corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personam cuiuslibet acceptionem his, quos sanare cupiunt, cauterio, aut ferro, aut duris alijs quibuslibet rebus parcunt: multò magis id ipsum his obseruandum est, q; nõ corporum, sed animarum medici existunt. Neq; enim pensanda est poenitentia quantitate temporis, sed ardore mentis, & mortificatione corporis. Cor aut contritum & humiliatum Deus non spernit.

Synodus Tributensis: Si quis Sacerdotem, non coactus, sed propria voluntate seductus, morti tradiderit, quinquennio plenissimæ castigationis poenitentia subternatur. Carnem non manducet, vinum non bibat, ad vesperum ieiunet, arma non portet, ecclesiam non intret: sed ante fores stans

Modus Satisfac. ex Canonibus, Scripturis, & Ecclesiastica consuetudine petendus.

Similia leguntur in Syn. Remens. ca. 12.

Decipiunt animas, qui pro grauib; delictis leues Satisfactiones iniungunt.

Cabil. 2. c. 34.
In indicenda satisf. profopoleptia cauenda.

Psal. 50.
Ca. 5. Vuor. c. 26.

Poenitentia eius, qui voluntarie Sacerdotem interfecit, diuturna & grauis.

ORET

oret Dominum puro corde, vt absoluatur à tanto crimine, hoc est, à tanti criminis poena temporanea. Siquidem noxa vnà cum poena æterna primo statim veræ conuersionis articulo penitus abolentur. Et hinc quoque euident est, quod supra aliquoties iam inculcatum est: nempe per solennes vel publicas poenitentias nõ minus, imò magis Deo satisfieri, quàm homini.

Can. 2.

Synodus Laodicena: His, qui diuersorum peccatorum lapsus incurrunt, & oratione, & confessione, & poenitentia malorum suorum perfectam conuersionem ostendunt, pro qualitate peccati, poenitentia tempus attribuendum est, propter misericordiam & benignitatem Dei. Qui ergo huiusmodi sunt, reuocandi sunt, & ad communionem applicandi.

Decret. 12.

Christi satisfactio superabundans.

Synodus Senonensis: Superabundans atque sufficiens est Christi satisfactio: cuius plenitudinem assequimur, dum, sicut semel tantum mortuus est, ita semel ei conspelimur per Baptismum. Peccata verò, quæ post Baptismum commissa fuerunt, poenitentia quidem expiantur, sed quæ morienti Christo non semper configurat. Cùm autem huiusmodi poena temporalis, aut venialis tantum peccati reus, repente nonnunquam intereat, nec illi pateat aditus in coelestem illam Hierusalem, nec item gehennæ subiaceat: fit vt primum purgetur ex ijs, quæ gessit in corpore, saluus tamen aliquando futurus, sic tamen quasi per ignem.

Qui hic plenè non satisfecit, ablegatur ad purgatorium.

Cap. 23.

Non satisfacimus pro culpa, aut poena æterna.

Synodus Moguntiacæ: Satisfactionem ab his, qui deliquerunt, doceat præstandam. Non illam quidem, qua culpa peccati, & æterna poena diluitur: hæc enim satisfactio ex sola Christi propitiatione donatur: sed illa à nobis præstada est, qua poena temporalis, quæ post culpæ remissionem nonnunquam remanet, elemosynis, aut ieiunijs, alijsque pietatis operibus redimitur, quæ tamen ipsa etiam ex merito passionis Christi efficaciam sumunt.

Cap. 17.

Interreligio: Etsi satisfactio, quæ culpam & æternam poenam expiat, soli Christo tribuenda sit: satisfactio tamen, quæ in

in poenitentia fructibus consistit, maximè autem in ieiunio, oratione, & elemosyna; siue à nobis ipsa suscepta sit, siue à Parochis & Sacramentorum dispensatoribus nobis iniuncta sit, si ex fide & charitate peragitur, peccatorum causas exciudit, & peccati reliquijs medetur, & temporalem poenam, vel mitigat, vel tollit, & in exemplum denique adhibetur. Hæc Pontifices, hæc Synodi de nostra satisfactione, nostræque satisfactionis materia. Nunc Patres, & veteres quoque Theologos eadem illa de re differentes audiamus.

Satisfactio officia ad multa conducunt.

Quæ de Satisfactionis nostræ materia, eiusdemque necessitate, in Romana Ecclesia creduntur, & prædicantur, ea perpetua, constantique veterum Theologorum traditione valide rursum firmantur & illustrantur.

SECTIO QUINTA.



Rigenes: Est dura & laboriosa via per poenitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator in lachrymis stratum suum, & sunt illi lachrymæ panes die ac nocte. Et cùm nõ crubescit, sacerdoti Domini indicare peccatum suum. Quòd si primo statim contritionis actu tota culpa & poena simul condonantur, profectò via poenitentia, nec dura est, nec laboriosa est, sed plana omnino & facilis.

Hom. 2. in Leuit. Laboriosa via per poenitentiam peruenire ad peccatorum remissionem.

Basilus: Deus pro remissione peccatorum nostrorum dimisso vnigenito filio suo, quantùm in ipso est, ea iam antè omnibus condonauit. Quoniam autem misericordiam & iudicium: vir sanctus canit, & testatur Deum misericordem esse & iustum: necesse est, vt, quæ suis locis à Prophetis & Apostolis de poenitentia dicta sunt, ea à nobis præstentur, vt appareant iudicia iustitiæ Dei, & misericordia eius consummetur ad condonationem peccatorum.

Expo. illud Psal. 110. Miser. & iudic. canit.

In poenitentia cocunt iustitia & misericordia: hæc in remissione, illa in satisfactione.

Ad cap. 3. Math.

Chryostomus: Agamus poenitentiam, etiamsi indulgentiæ

g tiæ

Pœnitentia
deposcit no-
nam vitam,
& veteris per-
fructus pœni-
tentia emen-
dationem.

Expon. illud:
Impof. Heb. 6

Latum inter
Baptifmū &
Pœnitentiam
discrimen.

Baptifmus
nō magis tol-
lit prauos ani-
mi habitus q̄
Pœnitentia,
fed plerunq;
minus.

Orat. de Bap.

Magno opus
melimine, vt
vulnera post
Baptifmum
accepta ob-
ducantur.

tię modum peccata excedere videantur, & non modò veniā peccatorū, verūm etiā p̄miorū gloria perfruemur. Pœnitē-
tiam verò dico, non solūm vt à malis prioribus desistamus, ve-
rūm etiā vt bonorū operum fructibus impleamur. Facite, in-
quit, fructus dignos pœnitētia. Quo autē modo fructificare po-
terimus? Si vtiq; peccatis aduersa faciamus. Aliena rapuisti? in-
cipe donare iā & propria. Longo es tēpore fornicatus? à legi-
timo quoq; vsu suspendere cōiugij, ac perpetuā continentiam
sepius paucorū dierum castitate meditare. Iniuriā vel opere
cuiquā, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba cōiucijs:
& percutiētes te, nunc officijs, nūc etiā beneficijs placare cō-
tēde. Neq; enim vulnerato sufficit ad salutē, tantūmodo spicu-
la de corpore euellere, sed etiā remedia adhibere vulneribus.
Athanasius: Est inter Pœnitentiā & Baptisma nō leue discrimen. Quem enim pœnitet, is desinit quidē peccare, sed tamen
retinet vulnerū cicatrices. Qui autē baptizatur, veterē homi-
nem exuit, supernē quoq; renouatur, quasi de integro regene-
ratus Spiritus gratia. Quòd autē, quę de vulnerū cicatricibus
hīc apud Athanasium, & apud alios quoq; leguntur, non sunt
referenda ad prauos animi habitus, aut certē ad illos non præ-
cisē: sed ad pœnas, quę post culpā condonata reliquę inter-
dum sūt, id ex discrimine, quod author inter Baptifmū & Pœ-
nitentiā hoc loco assignat, est euidentissimū. Certū est enim,
& experientia quotidiana compertissimum, Baptifmum pra-
uos adulatorum habitus non magis abolere, quā eos abolet
pœnitentia: imò plerunq; minūs: siquidem verē pœnitentes
maiorē vt plurimū conatum adferunt contra vitiorum ha-
bitus, quibus antē laborauerant, quā Baptifmi candidati.
Gregorius Nazianzenus: Quāuis obnixis precibus, multoq;
luctu, & gemitu, & lachrymis cicatrix egrē tandē, vt ego quidē
statuo, obducatur: præstat tamē secunda purgatione minimē
egere, verūm in prima cōsistere, quę omnibus cōmunis est, &
labore vacua. Repetit eadem paucis dūtaxat mutatis & Nice-
tas eiusdē Scholiastes quoque. Quāquā, ait ille, lachrymarum
quo-

quoq; Baptifmus est: haudquaquā tamē ita purgat, vt primus
Baptifmus. Vt enim varia sunt superni splendoris genera, sic &
purgationū. Nam iuxta meā legē ac sententiā Nouatianorum
dogmati oppositā, egrē tandē per pœnitentiā cicatrix obdu-
citur, quemadmodū Deus per Hieremiā loquitur: Ecce ego
inducā ipsis cicatricis obductionē & medelam, & curabo eos.
Atq; si lachrymarū Baptifmus nō ita purgat, nec ita quoq; faci-
lis est, vt Baptifmus aque: (quēadmodū disertē hoc loco fate-
tur Gregorius & Nicetas, & alij p̄terea cōplures) ergo pœnitē-
tia nō omnē pœnā simul demolitur. nā ad culpę demolitionē
quod attinet, nullū inter isthęc Sacramētadiscrimē intercedit.

Gregorius Nyssenus: Nō est consentaneū, vt qui se ægrotare
confitetur, eadē victus ratione vtatur, qua vtuntur illi, q̄ pro-
spera sunt valetudine. Deū offendisti? delicijs indulgēs in mor-
bum dilapsus es? eum inedia ac ieiunijs cura. Animus laborat
incontinentia? adhibeatur temperatię medicamētum. Multi-
plici pecunię cupiditate in febrim incidisti? liberalitate & elec-
mosyna depellatur, hęc enim est nimie expletę mētis curatio.

Eusebius Cæsarensis: Natalis confessor manē confurgens
cilicio se induit, & cinere conspergit, & multis lachrymis er-
rorem suū deslens, ante pedes Seuerini Episcopi sese proster-
nit. Et vestigijs omnium non modò clericorum, sed etiā laico-
rum, multa cum lamentatione prouolutus, in lachrymas &
miserationes omnem prouocabat Ecclesiam, vt indulgētiam
sibi à Christo continuis & iugibus precibus, pro ipso implora-
rent: ostendente simul in conspectu omnium liuores corporis
& cicatrices, quas pro nominis ipsius confessione susceperat.

Zozomenus: Quoniā verò omnino non peccare diuinū est:
peccantibus autem & pœnitentiam agentibus veniam dare
Deus præcipit: qui verò cōfiteri refugiunt, maius peccatorū
onus acquirunt: p̄terea visum est antiquis, vt velut in theatro
sub testimonio Ecclesiastici populi pandantur delicta, & ad
hanc rem Presbyterum bonę conuersationis, seruantem quę
secretum, ac sapientem virum statuerunt, ad quem accedentes

In expof.
orat.
Non eadem
victus ratio
sani & ægri.

Lib. 6. c. 34.
Insignis Na-
talis confes-
soris pœnitē-
tia.

Lib. 9. histo.
tip. c. 35.

Solus Deus
ἀναμάρτητος.

Mos confitē-
di veterum.

hi, qui deliquerant, delicta propria fatebantur. At ille secundum vniuscuiusque culpam indicebat & multam, quod etiam hactenus in occidentalibus Ecclesijs seruatur, & maximè apud Romam.

In quaest.

Iustinus philosophus & martyr interrogatus, cur Iosias Rex alioqui pijsimus ac religiosissimus gentili gladio animam posuisset, respondit: Aerumnosum luctuosumque vite finem habuit Iosias, quod Hieremie preceptum neglexerat, qui iussu Dei ei vetuerat, ne cum Aegypti Rege bellum gereret, sicut apud Hieremiam scriptum est. Vt ergo cum liberum & expiatum peccatis ex vita Deus exciperet, idcirco eum gladio gentili poenas luere huius negligentie passus est: vt posteris documento esset, non esse contemnendos prophetas; & si iustus vix saluabitur, quid peccatori & impio futurum sit?

Iosias punitus in hac vita, ne plebs retur in altera.

In Ioan.

Cyrillus Episcopus Alexandrinus: Si quis nostram in semetipso recordatur alicuius peccati conscientiam, si quis obnoxium se nouit delicto: confugiat ad poenitentiam, & spontaneum suscipiat carnis interitum, vt purgatus in praesenti vita spiritus noster mundus & purus pergat ad Christum Dominum nostrum. Hic locus clarè indicat, per primam contritionem non plenam statim ab omni poena purgationem contingere: Nam aliàs nullo post culpam expiatam opus esset carnis interitu, nulla acri diuturna que eiusdem mortificatione, (haec enim per interitum significatur) nulla denique poenarum perpeffione.

Vera poenitentia spontaneum carnis interitum deponit.

In epit. diuin. decret. c. de poenitent.

Vulnera post Baptismum accepta non sunt medicinalia per solam fidem

Matth. 7.

Theodoretus: Sunt ergo medicabilia etiam ea quae post Baptismum fiunt vulnera: Medicabilia autem, non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborum facti peccati quantitati comoderatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina est illis manus imponenda. Nolite, inquit, dare sanctum canibus, nec margaritas porcis. Has habet Ecclesia leges de Poenitentia. Et hic quoque author acrem & diuturnam, peccati que quantitati comensuratam satisfactionem exigit: Exigit eandem & Eusebius Emissenus quoque.

Eusebius

Eusebius Emissenus: Non putemus tam facile remitti posse iniusta semel crimina, & profundo vulnere in animam ipsius impressa visceribus. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis dolores. Tota incumbendum est spiritus contritione, vt vestigia mala tanquam sagittae quaedam de conscientia depellantur. Non sufficit dicere summis labijs, Peccaui, parce, remitte. Et Saul dicebat, Peccaui, sed non obrinuit illam veniam, quam Dauid vna poenitentiae voce promeruit.

Hom. 5. ad Monach.

Hesychius: Emundatio leprose poenitentia est. Haec autem opera necessaria habet, quae virtutibus, & actionis studio delere valeant peccata. Propter quod Ioannes Baptista populo Iudeorum dicebat: Facite fructum dignum poenitentiae. Nam vt subtilis legislator considerauit eos, qui non omnia possunt, quae pertinent ad strictam poenitentiae rationem, exhibere. Opus enim habet poenitentia orationem intentam, elemosinas, vigiliis, sacrum ieiunium, postremo etiam illa, quae Dauid dicit: Factae sunt mihi lachrymae meae panes die ac nocte. & Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Sed & cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Hactenus, quid praecipua Orientalis plagae columina de nostra satisfactione sentiant exposuimus. Nunc paucis & Occidentalis quoque Ecclesiae proceres ea ipsa de re verba facientes audiamus.

Ad plenam peccatorum remissionem non fat est dicere, Parce, remitte, peccaui.

In Leuit. Poenitentia operibus & actibus studiosis constat. Matth. 3.

Pluribus indiget perfecta poenitentia.

Psal. 41.

Psal. 6.

Psal. 101.

Irenaeus: Poenitentibus suam largitur benignitatem Deus. Etenim per succinatorium in facto ostendit suam poenitentiam Adam, folijs ficulneis semetipsum contegens, existentibus & alijs folijs multis, quae minus corpus eius vexare potuissent: condignum tamen inobedientiae amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum, tale quid significans: Quoniam eam quam habui a Spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, & nunc cognosco quia dignus sum tali tegumento, quod delectationem quidem nullam praestat, mordet autem & pungit corpus. Et hoc

Lib. 3. c. 37.

Adamus amictum ostendit suam poenitentiam.

videlicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui misericors est, tunicas pelliccas pro folijs ficulneis induisset.

Lib. de poenitentia.

Eod. lib.

Vulnere iterato, iteranda medicina.

Qui satisfacit, Deo satisfacit, in quæ peccatur.

Epist. 8.

Epist. 40.

In Epitaphio Paulæ.

Super Malac.

Tertullianus: Confessio satisfactionis consilium est, satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Idem: Iteratæ valetudinis iteranda medicina est: gratus Domino extiteris, si, quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti? sed reconciliari adhuc potes: habes, cui satisfacias, & quidem volentem. Atqui nemo satisfacit Deo, sed neque eidem quoque, satisfacere potest pro noxa: multò verò minùs pro pœna æterna: ergo quicumque satisfaciunt, pro pœna temporali eidem satisfaciunt.

Cyprianus: Legimus literas tuas, charissime frater, quibus significasti de Victore quodam presbytero, quòd ei, antequam poenitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quæ deliquerat, satisfecisset, temere Terapius Collega noster preposteram festinatione pacem dederit. Quæ res satis nos mouet recessum esse à decreti nostri autoritate, vt ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, nulla cogente necessitate pax ei concederetur. Et hac rursus autoritate, disertè confirmatur, per publicas satisfactiones, non minùs, imò magis, satisfieri Deo, quàm proximo. Conqueritur enim sanctus Episcopus Victor priùs fuisse reconciliatum, quàm per plenam poenitentiam satisfecisset Domino Deo. Alibi alijs verbis idem repetit. Virgas, ait, & flagella sentimus, qui Deo, nec bonis factis placeamus, nec pro peccato satisfacimus. & infra: Ad lapsorum perniciem se verterunt, vt egros à medela vulneris sui auocent, & intermissis precibus & orationibus, quibus longa & cõtina satisfactio placandus est, ad exitiosam temeritatē inuitent.

Hieronymus: Affligendum est corpus, quod multis vacauit delicijs: lögus risus perpeti cõpensandus est fletu: mollia linteamina, & serica preciosissima, asperitate cilicij cõmutanda. & alio rursus loco idem: Qui peccator est, & quæ remordet propria consciëntia, cilicio poenitentię accingatur, & plangat, vel pro-

propria delicta, vel populi; & ingrediatur Ecclesiã, de qua fuerat egressus; & cubet, vel dormiat in sacco, vt præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset.

Ambrosius: Grandi plage alta & proluxa opus est medicina. Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem. idem: Qui agit poenitentiam, non solum diluere, lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum. rursus: Volo veniam reus speret, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus: vt ignoscatur obsecret: & cū secundò & tertio fuerit dilata eius cõmunio, credat remissius se supplicasse. & alio itē sermone: Nos quoque, si tam grande peccatū fuerit, vt minimè solis fletibus abluatur, addamus misericordię oleū, acrimoniamque, ieiunij. Nullū enim tam graue delictū est, quod nō purgetur abstinentia, & elemosynis extinguatur. Hęc omnia, & alia id genus complura, quæ passim apud eundem Patrem obuia sunt, non ad peccati maculam, sed ad definiti temporis pœnam referenda esse certū est. Constat enim apud omnes, & ex Scripturis manifestum est, primo vero gemitu remitti peccatum quo ad noxam.

Augustinus: Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiam dolorem, per humilitatis gemitū, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus elemosynis. idem: Sanè cauendum est, ne quisquam existimet, infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnū Dei non possidebunt, quotidie patrandæ, & elemosynis quotidie redimenda. In melius est quippe vita mutanda, & per elemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus, non ad hoc emendus quodam modo, vt ea semper impunè liceat committere. Nemini enim Deus dedit laxamentum peccandi, quanuis miserando deleat iam facta, si satisfactio congrua non negligatur.

Gregorius: Cogitandū est summopere, vt qui se illicita meminisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, qua-

Præteritæ delicia vitæ austeritate penfandæ.

Ad virg. laps. cap. 8.

Lib. 2. de poenitent. c. 51.

Lib. 1. de poenitent. c. 16.

Nullum delictum quod elemosyna & abstinentia purgari nō queat

De poen. medic. c. 5. & lib. 50. Homil. hom. 50. c. 15. Poenitentia longè aliud querit, quàm nouam tantum vitam.

Hom. 14. in Euang.

Qui illicita designauit, satisfactorius à licitis abstineat oportet.

Ad c. 9. lib. 1. Reg.

Nostri crux sine Christi cruce nullius roboris est.

Past. p. 3. c. 31.

quatenus per hoc conditori suo satisfaciatur, ut qui commisit prohibita, sibi metipso abscindere debeat etiam concessa. & alio rursus loco idem: Dicat hinc aliquis, Quid ergo mihi contulit, si nihilominus opus est me assidue portare crucem, quasi illa non suffecerit? Multum adeo contulit: nullus enim esset nostre crucis usus, neque fructum ex ea caperemus vllum, nisi Christi crux præcessisset: cuius merito valet nostra crux, quicquid valet. idem rursus: Admonendi sunt, qui admissa deserunt, nec tamè plangunt, ne iam relaxatas estimant culpas, quas etsi agendo non multiplicat, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim scriptor, si à scriptione cessauerit, quia alia non addidit, etiam illa, quæ scripserat, delent. Et simili modo, nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit: cum profectò necesse sit, ut verba præmissæ superbiæ verbis subiunctæ humilitatis impugnet. Nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi & illa, quæ ligauerat, soluat.

Sacerdotibus publica poenitentia non est indicenda.

Leo primus: Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut, qui in presbyterali honore fuerint constituti, hi pro crimine aliquo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi. Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam Dei misericordiam priuata explenda est secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. At quorsum opus priuata secessione vel priuata satisfactio ad emerendam Dei misericordiam, si omnia simul vno momento remittuntur?

De modo bene viuendi. c. 27.

Bernardus: Propter verecundiam peccati oculos tuos leuare crubescere: ambula demissa facie: moesta moerore incede abiecto vultu: cilicium & cinis inuoluant membra tua: cilicium operiat corpus tuum. Esto semper plangens, semper moerens, semper suspiria cordis emittens: semper sit compunctio in corde tuo. Serui Dei semper debent vigilare, peccata sua cum lachrymis ad memoriã reducere, & exponens illud Apostoli, Si nosmetipsos iudicaremus, &c. Bonum est iudicium, quod me illi distincto diuinoq; iudicio subducit, & abscondit: pror-

1. Cor. II.

prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis. Volo vultui iræ iudicatus presentari, non iudicandus. Spiritualis homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona mea. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire ieiunijs, cæterisq; sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis humiliter de me sentiam, & iuxta præceptum Domini, inutilem me reputabo, qui quod facere debui, tantum feci.

Cassianus: Quisquis post Baptismum & scientiam Dei, in illud mortis corpus incurrerit, hoc est, in aliquod capitale crimen: sciat se non quotidiana gratia Dei, hoc est, facili remissione, quam momentis singulis exoratus Dominus erroribus nostris donare consuevit, sed, vel diuturna afflictione poenitentis, aut poenali dolore purgandum, aut certè pro his in futuro æterni ignis supplicio addendum.

Saluianus, Episcopus Massiliensis: Agnoscit David reus culpam suam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget poenitet, gemmas regias abdicat, crepitantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exoneratur, cultu & corde multatur, sollicitudine carceratur: & tamè Rex tanti nominis, sanctitate maior quam potestate, prærogatiuis meritum præcedentium supereminens, cum tanto habitu supplicet, non euadit. Et hic tantus tam grandis fructus poenitentiae est, quod æternis quidem piaculis non addicitur, sed in presenti tamen veniam non meretur.

Timotheus: Quando (serò poenitens) lugebit, qui dies lugendi perdidit? Quando satisfaciet, qui tempus satisfactionis amisit? Ad ieiunia forsàn longa fugiet? est quidè hoc aliquid, sed elemosynis misceatur secundum illud: Bonum est ieiunium cum elemosyna. Sed quomodo & exomologesis diuturna opitulabitur in extremis iam sito? Si nulla poena dimisso per confessionem peccato manet, & castigationem omnem abdicamus ab eo, ut quid tam acriter Apostolus Paulus Corinthijs fidelibus post Baptismum prolapsis comminatur, dum ait: Quid vultis? in vir-

h

ga ad

Collat. 23.

Non ea facilitate eluuntur capitalia, qua venialia.

In ser. 2. Reg. 12.

Insignis poenitentia Davidis.

Burcard. in Decret.

Tob. 12.

1. Cor. 4.

ga ad vos veniam, an in spiritu mansuetudinis?

26. q. 7. c. Ab infirmis. Aegris indicanda satisfactio, non in dicenda.

Theodorus Episcopus: Ab infirmis in periculo mortis positus, per presbyteros pura inquirēda est cōfessio peccatorum: non tamen illis imponenda est quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorū orationibus & eleemosynarum largitionibus pondus pœnitentiæ subleuandum, si fortè migrauerint. Si verò conualuerint, pœnitentiæ modum à sacerdote sibi impositum diligenter obseruent. Alijs verò pro qualitate peccati pœnitentia decernenda est pœnitentiū arbitrio.

Ser. 2. de S. Andr.

In purgatorio compēfatur, quod hīc negligitur.

Petrus Damianus: Ne tibi blādiaris, si grauius peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulāte dicitur: cū in purgatorijs ignibus perficiendū sit, quicquid hīc minus feceris: quia dignos pœnitentiæ fructus quærit altissimus.

In pœnit.

Beda: Multi, quod non sine dolore dicendum est, in pœnitentia non tam peccati remissionem, quàm temporis constituti expectant expletionem.

Tantum Deus parcat, quantum nos flagellamus.

Pacianus: Rogo vos fratres, ne pudeat deijcere mœroribus animū, sacco corpus inuolueri, cinere p̄fundere, macerare ieiunio, mœrore cōficere, multorū precibus adiuuare. In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantū Deus vobis parcat.

De Sacram.

Hugo Victorinus: Tribus autē modis, vt mihi videtur, peccatorū purgatio agitur. Aliquādo secundū solā seueritatem: aliquando secundū solam pietatem: aliquando secundū moderationem vtriusque, vt miseratio ipsa non sit sine nonnulla seueritate, nec seueritas sine miseratione. Siquidem in Purgatorio est intolerabilis afflictio, sine totius consolationis remedio. In voluntaria satisfactio, est afflictio cum multiplici consolatione. In lauacro regenerationis, est plena emendatio nihil habens afflictionis. Prima purgatio agitur per incendium, secunda per flagellum, tertia per lauacrum.

Triplex via purgandi peccatum.

Lib. 4. Sent. Salubriter fatetur satis, à peccato recessit, oportet.

Petrus Episcopus Parisiensis: Nō est dicenda illa peccati satisfactio, quā quis agit pro vno peccato, dum perdurat in altero. Quia nihil prodest ieiunare, & orare, & alia bona opera facere, nisi mens reuocetur à peccato. Et si aliquando conuersus

taci-

tacitum peccatū Sacerdoti fuerit cōfessus, de vtroque est ei imponenda satisfactio, quia de primo condignè non satisfecit.

Diuus Thomas: Satisfactio debet esse talis, per quā aliquid nobis subtrahamus in honorem Dei. Habemus autem tria bona, corporis, animę, & fortunæ. Ex bonis fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleemosynā, ex bonis corporalibus per ieiunium, per orationē bona animę submittimus Deo. & alio loco idem: Sacerdos non remittit totam pœnam temporalem, sed partem: & ideo pœnitens manet adhuc obligatus ad pœnam satisfactoriam.

In addit. q. 15. & 4. d. 15.

Sacerdotis absolutio nō perimit semper totā pœnam peccato debitam.

4. d. 18. & in comp.

Pro offensa Deo non fit satisfactio, sed pro peccati libidine.

Beatus Bonaventura: In peccato sunt duo, Dei offensa, & libido deordinata. Offensa Dei est infinita, at peruersa libido est finita: Pro offensa nō satisfit, sed Dei misericordia per suā gratiam remittit. Verūm quia iustus est, peruersam libidinem non totam remittit, sed pro illa exigit pœnam condignam.

Alex. 4. p.

Inter alia Deo maxime debetur satisfactio honoris.

Et vtriusque p̄ceptor: Et si omnis honor Deo est debitus, maximè honor satisfactionis. Tum quia est honor emundationis peccati, quod propriè committitur in iniuriam Dei: tum quia est de perfecta reconciliatione cum Deo, cuius factus est peccator aduersarius per peccatum: tum quia est humiliatio sub creatura contra contemptum, quo efferebatur peccando contra suum creatorem: tum quia honor est iniunctus ad exhibendum Deo, & propter alia multa.

Mittimus reliquos Scholę Theologos: Oēs enim vel ipsis satisfactionis mastigibus attestātibus idē hīc p̄fitentur & sentiūt: nec ipsi solū, sed reliq̄ quoq̄, quotquot iā inde ab Apostolorū ætate scripserūt, aut docuerūt. Parū me mouēt, inq̄ebat Caluinus, quę in veterū scriptis de satisfactioe passim occurrūt. Vnde quidē eorū nonnullos, dicā simpliciter oēs ferē, quorū libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos. En Caluini de veterū Patrū sententia in cōstituenda & asserēda nostra satisfactioe, & simul obserua insignē arrogātiissimi hominis impudentiā: Nugatur enim oēs ante se, vel lapsos esse, vel nimis asperè & durè de satisfactioe locutos esse.

Caluini de Patrum consensu testimonium.

*Eadem orthodoxa veritas corroboratur & collustratur tandem ali-
quot non contemnendis Scholæ argumentis.*

SECTIO SEXTA.

Post tot illustria Scripturarū, Conciliorum, Patrum, Pontificumq; testimonia, superuacaneū videri poterat, aliud adhuc externum patrocinium huic veritati quærere: aut aliud quodcunq; in illius confirmationē amplius moliri. Verūm quō improborum cauillatio minūs in posterum valeat, infirmorumq; fluctuatio minūs quoq; noceat, argumentis internis, quibus satisfactionis nostræ regnū validissimè hæcenus constitutum, nonnulla quoque externa adiungere placet.

Quōd igitur post culpam profligatam nonnullus interdum pœnarū reatus residuus fiat, quas remissius contritū in hoc, vel in altero sæculo dependere oporteat, id ex manifestis peccati effectis, diuinęque sapientiæ & prouidentię ordine, nec non ex erroribus & paradoxis, quæ ex opposita assertione necessariò consequuntur, adeò apertum est, vt vel hinc solūm Antagonistarum insolentia comprimi queat. Nam vt à capitulum horum vltimo exordium faciam: Si sola fides, vel sola ministri absolutio, vel sola mentis contritio peccati vè detestatio, omnem semper noxā & pœnam, pœnæ vè reatū simul absumeret, nullum discrimen inter eum intercederet, qui centum millibus nefarijs flagitijs sese contamināset, & eum qui vno solo. Siquidem, vt isti ponunt, omnis omnino fides, & omnis contritio, & omnis absolutio, tollit omnem semper noxam & pœnam, quantæcunque illæ extiterint. Nullum rursum inter peccata, quæ ante & post susceptum Baptismum perpetrantur: & per consequens, inter regenerationis & absolutionis Sacramentum: vel inter huius veriūs & illius Sacramenti effectum. (Sacramenta enim suapte natura inter se sunt discreta.) Atqui vtrunque consecrarium à communi Patrum

Sublata satisfactio, tollitur discriminē, quod inter multa & pauca, inter parua & magna peccata, & inter Baptis. rursum & Pœnitentiæ Sacramentum intercedit.

trum omnium sensu atque consensu est alienum, neque diuinis quoque literis satis consentaneum. Clamant hæc enim: Pro delicti mensura erit & plagarum modus. rursum: Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. demūm: Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, non iam relinquitur hostia pro peccatis, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio.

Deinde si post peccatum, per fidem vel pœnitentiam delictum, nihil restat, pro quo Deo satisfiat: quorsum ab Ecclesia & Scriptura exiguntur ieiunia? quorsum preces? quorsum elemosynæ? aliaque id genus pieratis officia? Exiguntur hæc, ais, sed à sceleratis & peccatoribus. Atqui iniustorum opera, quantumlibet secundum se honesta, iratum numen per se placare, ablatamque per peccatum eiusdem amicitiam redintegrare non possunt. Nam si per se id possent, homo solis naturæ viribus instructus, ad iustitiam & gratiam componere se posset. Exiguntur ergo ab vtrisque, & eò quidem salubrius ab his, quàm ab illis, quō horum opera ad quiduis impetrandum sunt efficaciora, quàm illorum.

Adhæc si culpa nunquam remittitur ante pœnam, sed vtrunque semper simul, ergo multò minūs pœna remittetur ante culpam: quippe cum pœna dependeat ex culpa, tanquam effectus ex causa, nō cōtrā culpa ex pœna. Cum igitur Adam, David, Moyses, & alij præterea penè innumeri, propter admiffam in Deum offensam, præfinitas ab eo pœnas ad vltimum vsque vitæ spiritum pertulerint, consequens fiet vt ad illud vsque tempus eisdem, quibus primo admissi peccati momento, noxijs semper obstricti hæserint: Atque ideo vt nunquam veri Dei serui extiterint. At istuc absque atrocissima sanctissimorum virorum contumelia, & aperta Scripturarum iniuria, quæ illos sanctos, Deoque gratos pronunciat, animo concipi non potest, nedum tanquam diuini Spiritus oraculum in vulgus profeminari.

Pœna dependet à culpa, non cōtrā culpa à pœna

homo ab homine iam emendato, & à crimine absoluto, iuste poenas exigit, vt iuste exigere certum est: iuste profectò & Deus quoque, qui in quouis peccati genere non minùs, imò magis offenditur, quàm vllus omnino mortaliù, multam aliquam ab eiusmodi exigere poterit.

Peccans, & proximū vel Deum, & publicā quoque iustitiā lædit.

Dicent forsā, peccantes hoc ipso quòd peccant, nō solūm hominibus, in quos peccant, iniurios existere, sed iustitiæ quoque ordinem turbare, eiusdemque decorem & venustatē contaminare: atque ideo eorum, qui læsi fuerant, amicitia vtcun- que iam instaurata, læsæ iustitiæ satisfactum adhuc oportere. Sicut, exempli causa, qui alterum infamiā notauit, damnōve, vel ignominia iniuste affecit, non satisfacit officio, si dixerit: Ignosce, peccaui, si quid in posterum eiusmodi, vel occidito. Sed præter hanc animi submissionē, culpæ vè detestationem, vel deprecationem, damnum, quod intulit, vel infamiæ labem, quam aspersit, eluere quoque, atque emendare debet. Re ètè id sanè: at nos vicissim in cœlesti illa curia idem quoque locum habere dicimus. Quā ob rem si peccator plenè se Deo reconciliatum volet, non sat erit, si dicat: Peccaui, ignosce, vitam & mores emendabo. Sed quemadmodum peccando Dei Opt. Max. amicitiam læserat, eiusdemque, quod in se quidē erat, honorem & famam contaminauerat: ita aliquid quoque aliās indebitum sibi adimat, oportet, quod in Dei honorem & laudem itidem conuertat, impendatque. Indebitum hīc dicimus, quod, secluso peccato, sub nullum diuinum, aut humanū præceptum cadit.

Quicquid pugnat cum nostra satisfactiōe, idem etiam pugnat cum Purgatorio, & Indulgentijs.

Denique si virtute fidei, aut prædicatione Euangelij, aut generali absolutione ministri, quicquid noxæ vel poenæ extabat, id totum vno quasi momento simul, vt istis placet, absorbetur, nullus post hanc vitam Purgatorij reliquus erit locus, nullus Indulgentiarum, aut suffragiorum, aut quorumlibet operum poenalium vsus. Quod etsi Sectarum duces non inuiti concedant, salua tamen fide, & Scripturarū veritate, concedi id nullo modo potest. Vel sola ergo paradoxa, quæ ex Antagonistarum

rum doctrina necessariò consequuntur, non omnem semper poenam vnà cum culpa aboleri persuadere poterant.

Eundem post expiatam poenam remanentis noxæ reatum digito quodammodo ostendunt complures noxiæ peccatorum reliquæ. Nam vt de cæteris paululūm silcamus, quàm foedæ ex sola originis labe in toto homine residuæ sunt cicatrices, quàm turpia vbique eiusdem vestigia? Hinc frequens ille intellectus nostri error, mentisque hallucinatio; hinc praua voluntatis vota, noxiæque eiusdem desideria; hinc iniqua inferiorum viriū rebellio, & pertinax illa inter carnem & spiritū pugna; hinc corporis totius languor, partiumque imperata exequi solitarū tarditas; hinc omnis generis morbi & ægritudines, & certus tandem vitæ interitus, & integra corporum in primas suas partes analysis; hinc diuturna illa ac molesta veterum Sanctorum apud inferos mora; hinc lamentabiles illi piorum hominū threni. Infelix, inquebat ille, ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? & alius: Homo natus de muliere, breui viuēs tempore, repletur multis miserijs. Fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. & alius item: Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsq; ad diem sepulturæ in matrem omniū. Hinc, ne mul- tis morer, ingens illud, quod in omne hominum genus crudeliter grassatur, malorum ac miseriarum chaos.

Variæ & foedæ orig. peccati cicatrices.

Rom. 7. Job 14.

Eccl. 10.

Eccl. 10.

Orig. peccati reliquæ in renatis non sunt veræ rationis poenæ.

Ad cap. 6. Roma.

3. p. q. 69. a. 2. Lib. 6. cap. 5. con. Iul. & 13. de Trin. c. 16.

Non subeant hæc sanè veræ, propriae, debitæque poenæ rationem in renatis. Siquidem Baptismi Sacramentū tollit omnino propriæ rationis debitum. At sunt tamen veræ propriaeque illius peccati reliquæ; sunt verè rursus propriaeque cruces ac molestiæ ex turbido illo fonte natæ; sunt mali denique malæ damnatæque; illius arboris foetus. Siue eiusmodi foetus cum glossa ordinaria absolutè poenam appelles: siue cum Thoma & alijs multis Scholæ Theologis poenalitates, ad certamen, virtutumque exercitium relictas: siue cum Augustino mala, seculique huius miseriae: siue cum alijs quibusdam pec-

catorum supplicia; siue alio quocunque vocabulo. Nam cum de re ipsa cōstet, frustra disputatur de nomine. Certū est enim verè vexare, verè affligere, verè infestare: neque quicquam omnino illis deesse, quod ad verarum pœnarum rationem faciat, si secundum se absolutè spectentur, & non ex personæ, cui cohærent, conditione.

Orig. peccatū inter mortifera minimum.

Iam si originis peccatum, quod inter lethalia minimum est, post acceptum Baptismum, quod in abolēdis pœnis Sacramentorum omnium efficacissimum est, (Tollit enim omnem omnino pœnam debitam) talia post se vestigia relinquit: quid nos de cæteris, quæ post regenerationis lauacrum ex instituto designantur, ac leui tantum contritione inducuntur, cogitare par est? An non ratio dicat, si originalis noxæ reliquijs sola debiti ratio deest, quod minus verè propriæque pœnæ sint, veræque & propriæ pœnæ habeantur, nihil hîc quicquam ad perfectam pœnæ rationem defuturum esse? Quod si nulla externa pœna eiusmodi peccata multarentur, sed ea sola, quam secum ipsa adferūt, vel quam post se vt plurimum relinquūt: adhuc verè affirmare liceret, non omnem semper pœnā vnā cum culpa aboleri.

Quoduis peccatum suum secum portat vindicem.

Peccata flagitiosa appetiti insigunt perniciosos carnalium illecebrarum habitus, memoriae obscœnas rerū imagines, intellectui callida inuenta, dolos, fraudes, &c.

Ecquænam, inquis, sunt pœnæ illæ, quas personale peccatum quasi sui ipsius vindex post se vt plurimum relinquit? Pro peccatorum numero, & ratione sunt hæc multæ, & inter se diuersæ, nec possunt commodè satis ob oculos proponi, quod pleræque ex illis sint internæ & spirituales. Generatim tamen dici potest peccata, maximè verò flagitiosa, diuturnoque vsu confirmata, in appetitu quidem habitualemente relinquerentur: ex qua multi mox oriuntur effrēnes in compositione animi motus, multa vana inceptaque desideria, multa in tempestiua ac præproperea consilia: quæ omnia virtutis studium vehementer impediunt, congenitæque nobis flammæ flammam adiungunt. In memoria verò & phantasia obscœnas rerum iam olim præteritarum imagines, quæ in animæ regno magna

magna sæpe concitant prælia, feruenterque peccaturo, vel diuina meditaturo graues plerunque ingerunt difficultates. In ratione autem prauas & noxias persuasiones, callida inuenta, astutiam carnisque prudentiam sanctæ simplicitati Christianoquæ candori contrariam: cuiusmodi simplicitas ac candor in ijs comperiri solet, qui, vel peccare nesciunt, vel eo certè modo, aut peccati genere peccare nesciunt. Tum fraudes rursus & imposturas, ac temerarias de alijs suspiciones: facilè nanque peccatis assuetus aliorum mores & animos ex suis iudicat & spectat. Falsa tandem & erronea in his, quæ fieri vel omitti par est, iudicia: Nam vt quisque affectus est, ita de rebus iudicare solitus est.

vitiosus alios ex suo animo spectat.

Quin & supremum illud mentis *κρηγιον* caliginosum quoque, & ad res diuinas commentandas, vel pertractandas, vel capeffendas, diuinosque influxus hauriendos hebes, tardum, ac stupidum plerunque efficiunt. Quid multis? peccata ita discedunt, vt totam animæ ditionem actu vel habitu turbatam deformatamque relinquunt. Nec enim illa ab innocentia pristinaque dignitatis gradu solum per peccatum deijcitur, multisque illustrium virtutum ornamentis, ac cœlestium charismatum prærogatiuis despoliatur: sed grauius quoque secundum omnem sui partem vulneratur. Et quanuis hæc vulnera per pœnitentiam coalescant, cicatricem tamen plerunque ex se reliquam faciunt. Certum est enim, quicquid tandem ea de re commentantur nonnulli, non omnes qui ex peccato resurgunt, ad parem dignitatem, aut mentis feruorem, aut spiritus suauitatem, aut in Deum fiduciam, aut donorum gratis datorum magnitudinem splendoremque semper exurgere.

Peccata animæ regnum turbatum relinquit, etiā cum recedūt.

Non omnes, qui resurgūt, in integrum semper restituntur.

Imò verò quidam vix multo demum sudore ac tempore spiritus detrimenta, quæ ex peccato acceperant, integrè instaurant; alij etiam nunquam. Infigit enim peccatum nescio quid carnale, mundanum, ac terrenum animæ viribus, quod semel infixum, absque peculiari Christi gratia,

Nō mortifera tantum, sed quādā quoque venialia damnosa vestigia ex se relinquūt.

Luxuria & gastrimargia pessimos ex se fetus edūt

magnoque conatu & studio ægerrimè inde euellitur. Neque eiusmodi malas qualitates, prauasque affectiones in animæ facultatibus impressas relinquunt peccata mortifera tantum, sed quædam quoque venialia, tametsi non æquè noxias, nec æquè etiam pertinaces. Nam & illa quoque nisi per opposita studia ex animæ regno expellātur, interioris hominis ordinem nonnihil conturbant, eiusdemque nitorem in partem obfuscant: licet id non eo gradu, nec eo quoque discrimine, quo lethalia solent.

De incommodis porrò, damnis, cladibus, nec non & notis quoque, quæ luxuria, gastrimargia, ira, inuidia, aliæque id genus vitiorum portenta, quantumlibet poenitentia telis iam confecta prostrataque iaceant, cum corpori, tum externis quoque bonis adferre solent, superuacaneum est multis hoc loco differere. In oculis enim sunt numero non paruo, quos hæc & his cognata scelerum monstra diu multumque antè vexatos & excarnificatos, & omnibus cum corporis tum fortunæ quoque commodis miserrimè exutos, in extremam calamitatem præcipientes egerunt. Quis percensere valeat morbos, cruciatus, intempestiuos interitus, immedicabiles famæ, status, honorumque iacturas, hereditatum patrimoniorumque euerfiones, aliasque clades sola gula & a sotia, vt de alijs interim vitijs ac flagitijs nihil dicamus, multis sæpe pepererunt, & pariunt subinde?

Iam si peccata per gratiam remissa, (de illis enim hîc est sermo) eiusmodi poenis, cladibus, atque incommodis afficiunt non paucos palam, certa quadam coniectura colligere licet ceteros quoque, qui manifestò non mutantur, occultos suos manes poenarumque aculeos non euasuros; vbiunque tandem illos, illasve sentiant. Nec enim Deus *πρασωπολήτωρης* quispiam est, ita vt in hunc grauiter & publicè animaduertat, illum verò, æquè magnis vel maioribus quoque plagis dignum, impunem prorsus dimittat: sed omnes omnino malè operantes, vel hîc, vel alibi pro admissorum celerum quali-

Qui publicè nō flagellantur, secreta flagella non euadunt.

qualitate & quantitate castigat. Sicut & versa quoque vice omnes studiosè agentes in alterutra vita pro meriti qualitate præmio donat.

Sed & perpeffionis & mortis Christi Domini nostri vis, ne tota semper poena vnà cum noxa induceretur, certa quadam ratione deposcebat quoque. Nam etsi illa secundum se sit infinita, nulli tamen communicatur infinitè: aliàs enim omnes omnino homines, & sancti essent, & iusti essent, & æquè iusti essent, imò infinitè iusti perfectique essent, quod falsum est. Nec enim illa omnibus communicatur, nec quibus communicatur, ex æquo communicatur semper, sed huic copiosius, illi parcius: prout hic illo est, vel magis præparatus, vel ad maiorem minoremve gloriam à cœlesti patre præordinatus. Iam si Christi Redemptoris nostri crux, crucisve eiusdem energia non vno eodemque modo operatur in omnibus imperitendo cœlesti supernaturalique bono, sed diuerso pro diuersa cuiusque vocatione, vel dispositione: inferre licet, non vno quoque eodemque modo operari in semouendo spiritali malo, sed diuerso, pro diuersa cuiusque conditione. Atque ideo interdum vniuersam promeritam poenam simul absument: quandoque verò aliquam illius partem residuam faciet, eandemque maiorem vel minorem, pro maiori vel minori peccati detestatione, aut peccatoris compunctione.

Christi mors non æqualiter communicatur omnibus, neque in imperitendo gratia bono, neque in semouendo peccati malo.

Tandem ne tota semper, & omnis semper poena vnà cum culpa relapsis condonaretur, id infirmæ cæcæque nature nostræ conditio, tum diuinæ quoque iustitiæ ratio, suauius eiusdem ordo & dispositio deposcebat quoque. Nam etsi Deo Opt. Max. proprium sit misereri & parcere, peccatoresque ad se redeuntes obuijs vlnis complecti: attamen, vt post vetustissimos quoque Ecclesiæ Patres rectè admonet Synodus Tridentina, iustitia illius poscebat, vt aliter ab eo in gratiam reciperentur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquissent, aliter verò, qui semel à peccati ac dæmonis seruitute liberati, ac Spiritus sancti dono potiti, scientes denuo Dei templum

Deo proprium misereri & parcere.

Aliter suscipiendi Baptismi candidati, aliter relapsi.

violare, ac Spiritum sanctum contristare non formidassent.

Et ut hoc illius iustitia, ita alterum quoddam huic cognatum eiusdem quoque sapientia exigebat: nempe ne ita nobis absque vlla prorsus satisfactione peccata post primam reconciliationem condonaret, ut occasione hinc accepta, peccata leuiores reputantes, in Spiritum sanctum interim contumeliosi, in grauiora subinde scelera laboreremur, thesaurizantes nobismetipsis iram in die iræ. Palam est nanque, per pœnas non solum peccati reliquias exhauriri, sed incitatas illas peccandi libidines vehementer quoque comprimi, & veluti habens quibusdam, ne immoderatiùs ad illicita sese effundant, coerceri. Denique ut nullum pœnæ debitum, nullum peccandi vel relabendi periculum visisset, adhuc conueniebat, ut illa à nobis exigeret Deus, ex quorù solutione magna, cum ad nos ipsos, tum ad alios quoque utilitas, rediret. Eiusmodi autem satisfactionis officia esse, id apud prudentes & orthodoxè institutos extra controuersiam est.

Primò enim opera eiusmodi tanquam amara quadam capotia vitiosos habitus, qui paulò altriùs animo insederant, paulatim exhauriunt. Mox intestino dolori, quem ex commissis peccatis capimus, etsi non apertè semper ac planè, certè obliquè ac indirectè testimonio sunt. Qua ratione & ijs quoque in partem fit satis, qui ex nostris fortè sceleribus non paruam offensam tulerant. Nam etsi Deus Opt. Max. cor contritum & humiliatum non despiciat, attamen quòd internus animi dolor alterius cæteros plerunque lateat, neque per verba, nisi lentè admodum, in certam aliorum notitiam deueniat, consentaneum erat, ut pro delicti ratione aliquid eiusmodi subirent pœnitentes, vnde de vera eorum resipiscentia ab alijs quoque coniectura fieri posset.

Deinde verò pœnitentiæ nostræ exempla alios quoque, quonam modo suam illi vitam instituere pietatemque & iustitiam colere, nec non & improbitatem fugere debeant, com-

mo-

monefaciunt. Nam cum pœnas, vel vltro susceptas, vel ab ijs, qui præsunt, iustè pro peccatis nobis irrogatas, ceteri mortaliū perpendunt, & ipsi quoque summam cautionem, ne in similia peccata concidant, sibi adhibendam, & mores pristinos corrigendos esse intelligunt. Vnde etiam illud salubriter, ac sapienter in Ecclesia obseruatum est, ut, cum publicum aliquod flagitium ab aliquo admissum esset, publica id pœnitentia & satisfactione vindicaretur.

Vindicabantur quidem & occulta quoque peccata, si grauiora viderentur, publica interdum pœnitentia, sed id rariùs, & ex Confessarij consilio familiarìus, quàm ex vllò Ecclesiæ præcepto, aut maiorum instituto. Proba medicum, inquebat Origenes, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmare cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam: ut ita demum si quid ille dixerit, si quid consilij dederit, facias & sequaris. Si intellexerit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo & ceteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.

Accedit huc, quòd vltro illa perpeffione id cõsequamur, ut capiti nostro Christo in partem quoque cõformemur, nonnullamque eiusdè imaginem & similitudinè consequamur. Quæ sanè res tanti ponderis est, ut sanctissimi quique præcipuam vitæ huius felicitatè in eo vno collocandam duxerint. Certè Apostolos Christi lætabundos incessissè legimus, quòd aliquid pro Iesu nomine perpeti digni cõsenti essent. Sed & Bernardus quoque, nihil equè deforme esse iudicat, atque sub capite spinoso delictū existere membrū. Alio loco idem Bernardus duo in peccato reperiri monet, maculā videlicet, & plagam: & hanc quidem tolli pœnitentia, illam verò Dei misericordia. In maculæ autem abstersione, æternæque pœnæ cõdonatione, ut author est

Au-

Satisf. nostræ multis modis alijs conferunt.

Non tantum publica, sed priuata quoque peccata publicè quòdoque plebs sunt.

Satisf. nostræ nostro nos capitū Christo assimilant.

Act. 5.

In peccato comperitur macula & plaga: hanc pœna, illam Dei misericordia inducit.

Pœnæ comprimunt peccandi libidinem.

Satisfactionis officia cum nobis ipsis, tum alijs quoque salubria sunt.

Satisf. opera vitiosis habitibus medentur.

Satisf. munia nostræ contritionis indices sunt.

Augustinus, apparet cœlestis numinis gratia & benignitas: in poenitentia verò, qua inflicta plaga poenis temporalibus curatur, eiusdem feueritas & iustitia cernitur.

Postremò satisfactionis molestia, vel vltro à nobis suscepta, vel pro peccati mensura ad sacerdotis arbitrium indicta, Dei animaduersionem, suppliciaque in nos constituta, non infrequenter anteuertimus: vel si, cœlesti numine vehementiùs contra nos commoto, id non impetramus, certè causam nostram satisfactionis officijs mitiorem melioremque efficitur, simul etiam certam quandam fidutiam concipimus fore aliquando, vt cum eo regnemus & viuamus beati, cum quo nunc patimur & commorimur afflicti & miseri.

Cùm ergo hæc ita habeant, decet pios omnes in actionibus poenitentię strenuè sese exercere existimantes etiam si fortè ad plenum iam satisfecerint, (id quod nemo tamen facilè sibi persuadere deberet) inanem operam neutriquam sese sumere: quin potiùs dum hoc ipsum agunt, certissima æternæ felicitatis merita sibi comparare, id quod multò præstabilius est, quàm pro momentaneis poenis in totum, vel in partem satisfacere. Quòd si piorum verò studium ea in re excellere par est, indecorum profectò fuerit, si eorum conatus, labor, ac industria hęc cessent, vel torpeant, qui ex profundo peccatorum barathro singulari Dei beneficio, nō ita multò antè sese emeruisse intelligunt. Cæteris nanque exæquatis magis elaborare hęc debent poenitentes, quàm innocentes, tametsi ob causas iam allegatas, & quæ allegari adhuc poterant, neutros in hoc tam utili ac sancto opere segniùs agere cōueniat. Constat ex his ergo, non omnē semper poenam vnà cum culpa aboleri:

tum idem ad numerum opus varium sæpe vsu fortiri:
tum denique nunquam ab operibus pijs & satisfactorijs cessandum esse, etiam si te magnos spiritus progressus habere intelligas.

Non

Non vnã eandemque operum omnium, quibus Deo fit satis, rationem esse, sed variã dissimilemque.

SECTIO SEPTIMA.



Stensum est, Satisfactionis officia non solum vtilia, sed ad obtinendam plenam cum Deo reconciliationem sæpe quoque necessaria esse: nunc de ijs operibus & functionibus differendum est breuiter, quibus cœlesti numini salubriter fit satis. Nam vt non quiuis homo, qui contracto à se, vel altero debito satisfaciatur, idoneus censetur: ita non quoduis quoque hominis opus, quod in satisfactionem, aut satisfactionis partem impendatur, aptum iudicatur.

Ad certam itaque & efficacem satisfactionem duo inter cetera necessaria haberi solent. Alterum horum est, vt is, qui satisfacit, sit iustus: Opera enim, quæ sine fide & charitate fiunt, Deo absolutè non sunt grata, tametsi sua interdum mercede non careant. Alterum est, vt eiusmodi opera in Dei honorem, conflatoremque debitorum compensationem suscipiantur & perficiantur, quæ molestiam aliquam adferant. Nam cum satisfactiones sint quædam patratum scelerum vindicationes & expiationes, æquum est omnino, vt aliquid acerbitalis contineant.

Cæterum quod de poenaliu operum vsu hoc loco asseritur, id ita accipiendum non est, quasi illos, qui molestis illis actionibus sese exercēt, certo aliquo doloris sensu affici oporteat, (sæpe nanque, vel patendi consuetudo, vel flagrans in Deum charitatis vis efficit, vt quæ ex se perpeffi molestissima sunt, parum admodum sentiantur, nec ob id tamen satisfactoria esse desinunt) sed quòd eiusmodi opera in patratum scelerum expiationem adhiberi conueniat, quæ ex se molestiam ciere nata sunt: siue actu illam moueant, siue non. Siquidem non id omne statum, quod vi propria poenam, vel volupta

Non quoduis hominis opus est satisfactorium.

Efficaciter facturus satis, & iustus sit, & in molestis functionibus sese exerceat, oportet.

Non omne, quod natum est infestare, semper infestat quoque.

k

tem

Satisf. officia Dei animaduersiones à nobis amoluntur.

Præstabilius est, mereri vitam æternã, quàm pro poenis satisfacere.

tem natum est adferre, eam etiam semper adfert. Sepe enim, vel aliunde impeditum, vel naturę suę oblitum, oppositum adfert. Comperias, quos grati sōni, suauesque cibi maiorem in modum offendant; alios contrā, quos agreſtis mensa & mīsa mira voluptate afficiant: & tamen neutrum horum eiusmodi vim ex se habet.

Omne opus
pium suo mo-
do est satisfac-
torium.

At verò licet omne omnino viatoris opus studiosum & pi-um, hoc est, ex libero arbitrio & Spiritus sancti gratia ortum, dici queat, & dici quoq; debeat satisfactoriū, quemadmodum idem quoq; vitę eterne est meritoriū: à Patribus tamen Scho-
lęq; Theologis ijs præcipuè rebus & functionibus id nominis tribui solet, quę in boni cuiuspiam utilis, vel delectabilis despoliatione cōsistunt. Quò nimirum hac ratione priuatio pri-
uationi medeatur: Nam & ipsum quoq; culpę malum in qua-
dā boni honesti priuatione positū est præcipuè. Vel certè quò
superuacanea carnis oblectatio, immoderataq; vtilium pos-
sessio, per iustam carnalis hominis mortificationē, externique
commodi diminutionem sanetur ac comprimatur.

Ea efficacius
satisfaciunt,
quę boni vti-
lis, vel oble-
ctabilis pri-
uationem ad-
ferunt.

Hoc autem operum genus, etsi latè admodū ex se & secun-
dum se pateat, pro bonorum tamen qualitate ac numero, quę
à Deo accepimus, hostiumque multitudine, quibus cum pu-
gnandum est nobis assiduè, adorationem, ieiunium, & elec-
mosynam, veluti ad tria quædam summa rerum capita redu-
citur. Oratione Deo litamus ex opibus animæ: eleemosyna ex
bonis fortunę: ieiunio ex corporis commodis. Ieiunio rur-
sum pugnamus contra illicitas carnis illecebras: eleemosy-
na contra infatiabilem habendi cupiditatem: oratione con-
tra vitę superbiam. Oratione tandem certa quadam propor-
tione expiamus & vindicamus commissā in Deum: eleemosy-
na, perpetrata in proximum: ieiunio & abstinentia, in nosmet-
ipsos admissa.

Oratione, iei-
unio & elec-
mosyna sum-
matim quod-
uis satisfacto-
rium opus
continetur.

Omnia satisf-
fact. officia
compendio
ad tria capita
reducuntur.

Quò si cui cætera omnia, quę affligendi simul & expian-
di virtutem habent, ad tria hæc capita reducere iubeat, is qui-
dem ad orationem referre potest omnes omnino cūm inter-

nos

nos tum externos quoque patrię & religionis actus, internaq;
eorundem actuum principia: Ad eleemosynam verò omnia
externa charitatis officia, quę proximo impendi solent, aut
quouis quoque modo eidem impendi possunt: Ad ieiunium
autem, quicquid mortificandę carnis vi pollet, vt sunt vigilię,
peregrinationes, χαμενίαι, ξηρόφαγίαι, σακκοφορίαι, αυτοπληξίαι, &
plurima id genus alia.

Sed neque vitę huius miserię & δυσυχίαι exiguum quo-
que purgandi perficiendique robur habent: modò tamen
leni patientique animo, vt par est, excipiantur: nam si qui
vapulantes refractariorum equorum more recalcitrant,
aut contra flagellantem petulanter se efferunt, illi sanè pœ-
nam & animaduersionem sustinent, cæsi autem ad cō nul-
lum apud Deum fauorem, aut pœnarum mitigationem,
aut noxarum relaxationem promerentur, vt nouam quoque
pœnarum causam, hoc est, culpam sibi accersant.

Vitę huius ca-
lamitates pa-
tienter tole-
rante sunt sa-
tisfactoriæ.

Differimus hęc de eo calamitatum genere, quod diui-
nitus præter communem naturę ordinem excitatum in
vnum, vel plures, vel etiam in omnes in scelerum vindi-
ctam, vel ob aliam occultam causam grassatur; cuius ge-
neris plura exempla veteris Testamenti historia nobis sup-
peditat: non de illis, quę generali primæ causę synergia
per secundarias & ordinarias causas subinde eueniunt; cu-
iusmodi sunt messium sterilitates, communes hominum,
& pecudum pestes, &c. Nec de illis etiam pœnis, quę ex
causis liberis accidunt, vt cū iudex homini nequam ne-
cem, vel aliam civilem pœnam, secundum iustitię ordinem
irrogat.

Triplex cala-
mitatum ge-
nus: natura-
le, transnatura-
le, & libe-
rum.

Gen. 7. 19.
Exod. 78. 9. 10
Num. 21.
2. Reg. 24.
4. Reg. 17.

Habent tamen & illa ipsa communia incōmoda, vt & cæte-
ra quoque, quę ex aliena voluntate dependent, si patientiū in-
dustria ac studio ex cōmunibus propria fiant, suam quoq; ex-
piandi satisfaciendiq; energiam, cæteris tamen, vt plerisq; vi-
sum est, imparem. Nam etsi hæc, & illa, & ista, hoc est, primi, sc-
cundi, & tertij ordinis mala, non solum ex voluntaria eorum,

Supernatura-
les clades eg-
teris efficaci-
us expiant.

k 2 qui

qui cęduntur, tolerantia vim habeant, verum ex seipsis quoque, hoc est, ex damno, vel incommodo, quod adferunt: (Nam aliās in idē omnino rediret, magnum ne pari patientia flagellum sustineres, an parū, quod manifestō falsum est. Siquidem cęteris æquatis vnum quodque, quod homo propter Deū summe dilectū agit, vel patitur, eō magis habetur satisfactorium, quō ex se fuerit grandius, patratū ve, vel perpeſſū difficilius.) attamen quōd primi generis peculiari præpotentis Dei consilio, præter consuetum naturæ cursum, in præteritorum scelerum vindicationem irrogantur, cum purgatorijs cruciatibus, vel cum Sacramentarijs quoque satisfactionibus non nihil cognationis habere videntur: licet interim sacramentaria non sint, nec sacramentariæ quoque dici debeant.

Et quoniam calamitates illæ, quæ præter vſitatum rerum ordinem cœlitus infliguntur, eo ferè modo se habent, quo pœnæ purgatoriæ, (nec enim vltro assumuntur, sed in peccati vindictam à cœlesti numine inferuntur) fit vt ad sui efficacitatem solū animū submissum, patientemq; deſcant. Communes autem, vt & libera quoque, nisi prono proprioq; voluntatis studio acceptentur, & ex communibus proprię reddantur, parum admodum spiritalis emolumenti afflicto adferunt. Quamobrem monendi sunt ægrè habentes, vel aliās miseri, vt, quod sentiunt incommodum, patienter ferant, voluntariaque acceptatione proprium efficiant.

Circa vltices porrò pœnas admonendum hoc loco occurrit, non omnes qui diuinitus cęduntur, ideo statim cędi, vt sanentur, vel repurgentur. Cęduntur enim quidam, ne per superbiam interioris sanitatis iacturam faciant, hoc est, ne grauiorem mentis plagam accipiant. Alij, quō maiorem cœlestis beatitudinis coronam sortiantur. Alij, quō diuinæ gloriæ amplificandę vel manifestandæ materies existant. Alij denique, vt iræ diuinę poculum, quod in omne æuum hausturi sunt, in hac misera vita adhuc constituti degustare incipiant. In aperto est nanque, alio sine colaphizatum fuisse Iob,

alio

alio Apostolum Paulum, alio Mariam Moyſi sororem, alio cęcum illum Euangelicum, alio tandem Pharaonem, & Antiochum. Quauis ergo, quicunq; purgantur, in partem puniantur: non omnes tamen, qui puniuntur, vel in molestis actiōibus exercentur, illico etiam purgantur.

Dices forsā: Difficilius est, pro noxa & pœna æterna Deo satisfacere, quā pro pœna temporali: atqui vtrunq; per solū charitatis actum, citra vllum omnino cruciatum expiari posse. Scriptum est enim: Si quis diligit me, diligitur à patre meo. rursum: Charitas operit multitudinem peccatorū. item: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Ad hæc, vt salutem consequare, sat esse si mandata obserues: horum autem finem esse charitatem. Præterea vt quidam magna animi hilaritate sua inter egenos dispertiuntur, ita alios magna spiritus suauitate precari, diuinaque mysteria meditari: nonnullos eque pasci, hoc est, recreari, ieiunio, ac alij splendide mensę apparatus. Denique si sola opera pœnalia essent satisfactoria, eō vnum quodque opus magis fore satisfactoriū, quō magis fore molestum & arduum: atque ita auari elemosynam magis fore expiatoriam, quā liberalis; orationem ignaui & desidis, quā feruentis; ieiunium gulosi lurconis, quā parci ac sobrij, at hæc omnia oppidò absurda videri. Mitto hęc, Deum mortalium pœnis non oblectari: tum aliud nihil esse, aucthore Anselmo, satisfacere, quā debitum honorē Deo exoluere, istuc autem citra pœnam, aut opus pœnale præstari posse.

Sed hæc, & si qua sunt alia his cognata, quę de pœnaliū operum necessitate asserta sunt, nō infirmant. Certum est enim, Deum in vtroque Testamento ab homine peccatore exigere pœnitentiam, neque vllum omnino, nisi peccatum à se perpetratum defleat, vitęque emendationem certò proponat, in gratię suę communionem recipere. Atqui vera pœnitentia veram includit contritionem: vera autem contritio absque vero mentis dolore constare non potest. Includit eadem &

k 3 tacitum

Transnaturales plage cum pœnis purgatorijs non nihil affinitatis habent.

Communes clades vt satisfactoria sint, maiorem deſcant a sensu, quā diuinitus immissæ.

Non omnes, qui diuinitus cęduntur, eodem fine cęduntur.

Iob 1. 2.

2. Cor. 12. Num. 12. Ioan. 9. Exod. 7. 8. 14. 2. Mach. 9.

Ioan. 4. 1. Pet. 4. Luc. 7.

tacitum quoque sacramentalis exomologesios ac satisfactionis propositum: quantę autem molis molestięque sit, secreta peccata syncerę confiteri, explicatione non indiget. Atque ita nulla obtingit peccati admissi remissio absque pœna. Et quoniam veteris Testamenti patribus id clām non erat, quoties se Deo reconciliatos cupiebant, toties ad opera carni molesta sese accingebant.

Nulla cōtin-
git peccati re-
missio absque
interna vel
externa pœ-
na.

Nemo me-
reri potest æ-
terna pœna
condonatio-
nem.

Sed & nemo quoque mortalium quocunque actu pro noxa & pœna æterna Deo satisfacit, aut satisfacere eidem potest. Quandoquidem omnis omnino humanus actus, aut iustus est, aut iniustus, Huius ex se nihil meretur: illius meretur aliquid, at non culpę & pœnę æternę condonationem. Hoc enim debito non tenetur iustus, alioqui iustus dici non posset. Meretur autem gratię tantum & glorię augmentationem. Autoritates porrò in medium allatę si quid probant, solum probant operum molestiam ad plenam peccatorum remissionem per se sat non esse, & hoc verum est, nec citra errorem ab vllō negari potest. Nam vt nulla in hac vita potest esse vera contritio absque vera dilectione, ita nulla vicissim potest esse vera dilectio absque vera peccati detestatione. Quò enim quisque magis diligit Deum vel proximū, eò magis odit peccatum contra illos admissum, cauetque studiosius ne illorum offensam incautę incurrat. Omnis itaque vera dilectio virtute contritionem, confessionem, & operum quoque satisfactionem in se continet, vt & omnis quoque vera contritio dilectionem.

Dilectio &
contritio à se
in vicem di-
uelli nō pos-
sunt.

Ad plura ob-
ligatur homo
quā ad nu-
dam Decalo-
gi obseruati-
onem.

Quod de p̄ceptorum obseruatione deinde obiectabatur, illud causę nostrę nullum prorsus p̄iudicium adfert, Nam si ratio illa aliquid necessariò concluderet, concluderet quoque nullo opus esse Baptismo aut vllō alio Sacramento. Sunt enim omnia & singula noui testamenti Sacramenta iuris positiui. Mandatorum itaque obseruatio ad salutem est necessaria, sed per se non sufficit: Nisi quis fortę dicat illum, nec Deum, nec seipsum quoque satis diligere, qui peccatum con-

tra

tra illum admissum non detestatur, cæteraque salutis remedia elementer ab ipso proposita & instituta pio animo non complectitur.

At multò verò minùs eidem aduersatur, quod de quorundam ieiunantium, vel erogantium, vel orantium hilaritate allegabatur. Nam etsi eleemosyna, ieiunium, & oratio positiuę non sint semper molesta, sunt tamen illud semper priuatiuę. Adimunt enim aliquid eiusmodi, quod ex se natum est molestiam inferre. Eleemosyna enim priuat bono vtili, ieiunium oblectabili. Idem & de oratione quoque, hoc p̄sertim deprauatę naturę statu, dici fortassis queat. Arduum est enim, animum à rebus istis caducis, quibus affixus hæret, auocatum, totum in Deum transfèrre. Communiter tamen dici solet, orationem nullo ex ijs, quę in bonis haberi solent, orantem priuare, sed Deo eundem cum omnibus, quę possidet, submittere. Quicumque enim diuinam opem implorat, se indigum & subditum, Deum autem potentem ac Dominum esse declarat.

Eleemosyna,
ieiunium &
oratio nō po-
sitiuę sem-
per, priuati-
uę semper
sunt molesta.

Ad id porrò, quod de molestiarum quãtitate adducebatur, responderi potest, pari iustitia, pari que feruore, & charitate posita, eò vnumquodque opus magis satisfactorium, & magis quoque meritorium esse, quò magis est molestum: modò tamen maior illa molestia ex operis natura, aut naturali operantis constitutione proueniat, non etiam ex vitiosa eiusdē consuetudine. Solet enim facilitas, vel difficultas, quam quis inter operandum experitur, ex tribus nasci: nempe ex operis natura, qua nimirum opus secundum se arduum est: vt mortem pro patria, vel iustitia oppetere. Tum ex naturali operantis complexione: Sunt enim, qui difficulter ieiunāt; alij, qui egrę continent, aut aliud eiusmodi vitium expugnant. Tum denique ex vitiosa operantis consuetudine: Nam vt gulę assueti inedia difficulter ferunt, ita auaritię sordibus immersi magna cum molestia eleemosynam erogant. Iam vt difficultas, quę ex operis, vel operantis natura prouenit, satisfactionis

Quò opus ex
se magis est
arduū, eò cæ-
teris æquatis
magis est sa-
tisfactoriū.

vim

Difficultas, quæ ex operis, vel operantis natura puenit, auget meritum: quæ autem ex hominis vitio, nequaquam. vim intendit: ita facilitas, quæ hinc nascitur, vtrunque dimi-
nuit. At verò difficultas, quæ ex vitio nondum emendato ori-
tur, ea neutrum auget: sicut quoque facilitas, quæ ex studioso
habitu nascitur, meriti & satisfactionis rationem non eleuat,
sed adiuvat. Nec enim credibile fit, vitium augere meritum, vir-
tutem autem illud diminuere: nam aliàs vitiosi ex suo vitio
reportarent lucrum, studiosi verò ex sua virtute detrimen-
tum.

Ad postremum respōdetur, Deum mortalium pœnis non
oblectari, vt pœnæ sunt, vel vt bono aliquo priuant: oblecta-
ri tamē illis, vt iustæ sunt, vel vt homini vtiles sunt. Sicut san-
cti quoque de impiorum vindicta lætantur, non quòd impios
odio habeant, sed quòd Dei iustitiam diligant. Anselmi di-
ctum expositione nō indiget: Nam vt Deo satisfiat, non ea so-
lùm, quæ per se, vel per vicarios suos mandat, obseruare oportet;
sed aliquid quoque sibi adimere, quod in illius honorem
cedat; siue illud sit bonum vtile, siue oblectabile. Patet ergo
nihil allatum esse hætenus, quod vllum omnino satisfactionis
opus pœnæ expers esse, vel esse quoque posse, clarè ostendat.

Sed nunquid, ais, vt opera satisfactoria suapte natura molesta,
pœnæque coniuncta sunt semper: ita eadem quoque, vt id præstent,
quod spondent, viua semper esse oportet? Eiusmodi esse debere,
obiter assertum est Sectionis huius initio. Sed tamen assertio hæc
non omni prorsus difficultate caret. Nam etsi multi id statuunt,
& Apostolum id sentire existiment: non desunt tamen, qui oppositum
sentiant, & oppositum quoque defendant. Opinantur enim hominem à
peccatis semel absolutum, & denuo relapsum, pro eiusmodi peccatis
per opera mortua satisfacere posse. Præcipua ratio, qua hi nituntur,
est, quòd auctu peccati transeunte nihil in peccatore fiat reliquum,
præter æternæ pœnæ reatum. Cùm hic ergo per contritionem tollatur,
vel in temporalē pœnam, vt quibusdam placet, permutetur,
temporaneæque pœnæ debitum, quod remanet, sit finitum,
suisque limitibus circumscriptum: ad iustum, inferunt illi,

illi, imò etiam supra iustum, in quocunque vitæ statu poterit
illud dependi. Quemadmodum si Deo, vel homini quippiam debeo
ex voto, vel præcepto, vel iuramento, vel alio quocunque vinculo,
quomodocunque affectus illud dependero, à debiti vinculo liber euado.
Addunt, apud inferos eiusmodi pœnas necessario induci; alioqui peccatum condonatum, perinde
multatum iri, ac non condonatum: Cùm itaque mortui non sint
potioris conditionis quàm viui, poterit vtique & in huius quoque
vitæ statione citra gratiam induci. Allegant & alias rationes,
& nonnullas quoque authoritates, sed hæc interim sunt præcipuæ.
Horum autem Antagonistæ allegant alia quæque valida, vel etiam validiora.

Vnum in hac controuersia certum est, nempe istiuscemodi opera
mortua, ex se, nec gratiæ, nec gloriæ meritoria esse. Notum est enim
illud Apostoli: Si linguis hominum loquar & Angelorum, & habuero
prophetiam, & omnem fidem, & distribuero in cibos pauperum
omnes facultates meas; charitatem autem non habuero, nihil mihi
prodest. & illud Gregorij: Opera humana nisi ex radice charitatis,
nihil habent viriditatis. & illud Augustini: Quæ poenitet, oportet
nō solùm timere Deum iudicem, sed etiam diligere, quia sine
charitate non potest esse salus. Nec ratio huius obscura est: Constat enim
cuiusque arboris fructus arboris naturam æmulari: si ipsa ergo
arbor vita æterna indigna censetur, fieri profectò nequit, vt fructus,
qui ex tali arbore fluunt, eiusmodi vitam ex condigno promereantur.

Aequè certum est, opera genere suo honesta, tametsi mortua,
nō omnis penitus roboris apud Deum expertia esse. Nam vt multis
sacris, profanisque exemplis ostendi potest, vt minimum valent ad
obtinendam mercedem aliquam temporaneam: aut certè ad propul-
sanda cladem aliquam ceruicibus impendentem. Amat enim Deus
quod suum est, quale vtique totum illud est, quod malum, aut
peccatum nō est, siue quod rectè rationi consentaneè editum est.
Hinc illud Augustini:

1 Pium

Deus non delectatur pœna, vt pœna est, sed vt iusta est.

Sic ne opus mortuū satisfactoriū, dignabile est.

Opera mortua, nec gratiæ, nec gloriæ meritoria esse. 1. Cor. 13.

De pœn. d. 7.

c. Nullus. d. 7. de pœn.

Opera mortua nō omni prorsus vacent.

De poen. d. 3. c. Pium est. Pium est credere, & nostra fides hoc expostulat, ut cum gratia Christi destruxerit mala priora in homine, etiam remuneret bona. Et cum destruxerit, quod suum non inuenit, amat & diligit bonum, quod in peccante plantauit. & illud rursus Hieronymi: Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem quenquam aliqua quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus, ut propter mala multa obliuiscatur paucorum bonorum. & illud Gregorij: Cauendum nobis est, ut si forte aliquid boni agimus, in presenti seculo remunerationem accipiamus: ne forte dicatur nobis: Receperunt mercedem suam. Nisi enim diues ille aliquod bonum egisset, unde in presenti seculo remunerationem accepisset, nequaquam Abraham ei diceret: Recepisti bona in vita tua.

Luc. 16.

Dan. 4.

Huc & illud Danielis: Consilium meum Rex &c. rectè quoque referri queat. ait enim: fortè ignoscet delictis tuis. Siquidem dubium nullum erat, quin culpam Deus ignosceret, si Rex ex animo sese ad illum conuerteret. Certum quoque erat, quod eandem non condonaret, si obstinatè in sceleribus suis persisteret. Incertum autem erat, an graue illud flagellum, quod ei comminatus fuerat, ignoscere vellet: Quandoquidem certò destinatas temporales poenas non semper condonat, ne iustis quidem & amicis, nedum iniustis & hostibus.

Opera moraliter bona disponunt ad gratiam

Sed neque temporali solùm mercede pensantur, sed nonnulla quoque interdum spiritali. Nam etsi primam gratiam & iustificationem non promerentur, disponunt tamen remota ad utrunque. Quòd si præcepta fuerant, omissionis peccatum cauent: atque ideo, ut peccator, si usque in peccato perduret, minores apud inferos poenas exoluat, efficiunt. Certum est enim, quò quis plura opera præcepta negligit, eò plura grauioraque poenarum debita sibi conflare. Quin & prauos quoque habitus ex animæ regno paulatim expellunt, & studiosos inserunt. Sanctorum intercessionem excitant, fidam Angelorum custodiam retinent, & alia præterea multa bona

ta bona suis authoribus accumulunt.

Vnde ob oculos videmus peccatores in officijs Christiano homine dignis plurimum se occupantes, feliciter tandem ad Deum conuerti: Contrà verò, qui scelera sceleribus citra ullam religionem agglomerant, ad extremum in peccatis suis miserabiliter præfocari. Quare Christus quoque legis Doctores & Scribas, plurima alioqui fraude & iniquitate, ut id genus hominum solet, contaminatos, acri oratione ad misericordiæ opera prouocat. Væ vobis, ait, Scribæ & Pharisei &c. Veruntamen quod superest, date elemosynam: & ecce omnia munda vobis. Quòd si alicubi in Scripturis, vel in Patrum quoque monumentis legitur, eiusmodi opera virium expertia esse, id totum ad æternæ vitæ meritum, non ad ea, quæ hæcenus exposuimus, referre oportet.

Dispar bene & male operantur exitus.

Luc. 11.

Luc. 11.

Luc. 11.

Cæterùm an opera moraliter tantùm bona, hoc ipsum, quod valent & præstant, quodcunque tandem illud sit, ex condigno valeant & præsent, an tantùm ex congruo, id à latis hinc inde rationibus disquirere non attinet. Satis comperitum est, suapte vi apud Deum non esse meritoria. Sed neque dubium quoque est, eadem illa opera non niti certa aliqua mercedis sponzione, aut iustitiæ lege, ita ut Deus propter legem à se latam, aut sponzionem abs se factam, ad quodcunque præmium ea admittere obstringatur. Si quid ergo promerentur, aut possunt, communi eruditorum sententia, id congrui tantùm merito possunt & promerentur: hac tamen adhibita moderatione, ut conuenientia illa non spectetur ex natura operis, vel rei; sed ex natura & benignitate præpotentis Dei. Decet nanque infinitam illius clementiam, eximiamque eiusdem liberalitatem, ut aliquam quoque operum moraliter tantùm bonorum rationem habeat, tametsi nulla lex ad id illum compellat.

Quicquid opera moraliter tantùm bona merentur, id congrui tantùm merito promerentur.

Vnde dum Patres, quorum paulò antè meminimus, non tam iniquum esse Deum pronunciant, ut propter mala multa

1 2 obliui-

Patres cōmō-
dè exponi de-
bēt, qui ope-
ra moraliter
tantum bona
meritoria ef-
se docent.

obliuiscatur paucorum bonorum, & alia quædam in eandem
sententiam, non id pronunciant de rei, aut legis, aut certè cu-
iuspiam promissionis iustitia, sed tantum de ea æquitate &
ἐπιεικείᾳ quæ ex profusa Dei benignitate, insignique eiusdem
liberalitate & clementia petitur: Consuevit is enim id genus
operum talibus in hoc seculo præmijs compensare, quæ sub
certæ sponsonis mercedisve legem non cadunt, sed spiritali-
bus gratis adiiciuntur, iuxta illud: Primùm quærite regnum
Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Matth. 6.

39

39

Opera mor-
tua nō ex se,
neque ex le-
ge, sed tantum
ex Dei beni-
gnitate sunt
satisfactoria.

Sed quid tandem ad quæstionē? Hoc ipsum ferè, quod iam
dictū est, puta opera illa, de quibus hoc loco differimus, ex se
aut ex propria ipsorum natura non esse satisfactoria, vt qua
vitæ spiritu sint planè destituta: Sed neq; ex certa quoq; lege,
aut sponsonē sunt talia: nulla enim eiusmodi extat lex, aut
sponso. Sunt tamen satisfactoria, aut certè eiusmodi esse pos-
sunt, ex quadam iuris ἐπιεικείᾳ, diuinæque benignitatis & mi-
sericordiæ decencia. Decet enim immensam illam Dei Opt.
Max. clementiam, vt horum quoque operum rationem ali-
quam habeat. Hæc sententia inter duas extremas, quarum su-
prà facta est mentio, est quasi media. Statuit enim opera mor-
tua, ex se, aut ex lege, apud Deū non esse satisfactoria: eiusmo-
di tamen, ex liberali eiusdē acceptatione vel esse, vel esse pos-
se. Prior itaque opinio hæcenus admitti potest, quatenus isti-
nscemodi officia ex rei natura, vel ex legis iustitia satisfacto-
ria esse negat: Vt autem omnem vim, omnemque vsum & fru-
ctum illis adimit, admitti non debet. Neque rationes, qui-
bus nititur, aliud probant, quàm hoc ipsum, quod iam con-
cessum est. Posterior ad modum iam expositum recipi po-
test.

Sed illi interim, qui non ex gratia, sed ex iustitia satisfacto-
ria esse volunt, poenam post culpam expiatam reliquam fini-
tam esse allegant, Tum satisfactionis officia nō maiorem vim
deposcere, vt valida sint, quàm opera præcepti, aut voti,
aut iuramenti. Tandem opera eiusmodi cōmuni eruditorum
senten-

sententia aliquam saltem temporalem compensationē pro-
mereri: inter temporalia autem commoda temporarias poe-
nas infimas quodammodo obtinere. Meminimus, & hæc, &
alia quædam similia ab illis allegari solere: sed quæ allegant,
nihil necessariò probant. Nam etsi poena, quæ peccato condo-
nato debebatur, finita sit: non potest tamen ea, neque in to-
tum, neque in partem quoque per modum iustæ satisfactio-
nis ab inimico homine dependi. Apud Deum nanque nihil ad
exactæ iustitiæ rationem est meritorium, aut satisfactorium,
quod ex charitate non est natum. Hoc tamen nihil impedit,
quò minùs tantam poenam per modum vindictæ apud inferos
irrogare queat, quantam peccatum condonatum, vel aliàs ve-
niale iustè promerebatur. Sed neque absurdè quoque asseri-
tur eiusmodi peccata æterna poena per accidens plecti.

Exemplum, quod de voto, vel iuramento, vel præcepto ad-
ferebatur, parum ad rem facit. Nam etsi tria hæc, & si qua id
genus sunt alia, obligent ad præstandum debitum, voto, præ-
cepto, vel iuramento conflatum, nihil tamen horum obligat
ad operis qualitatem. Siquidem legislatoris scopus, vel operis
qualitas, nisi in lege exprimentur, sub præceptum non cadunt.
Imò verò exempla illa nobiscum faciunt. Nam vt opus pro-
pter præceptum, vel votum, vel iuramētum susceptum & per-
fectum non est iustè satisfactorium, neque meritorium quo-
que, nisi charitate fuerit informatum: ita nec cetera quoque,
quacunque tandem de causa suscipiantur. Aliud est enim, præ-
ceptum quodcunq; explere, vel debitum exoluere, aliud me-
ritoriè, vel satisfactoriè illud explere, vel exoluere. Porrò au-
tem momentaneæ ne poenæ condonatio, inter infima seculi
huius bona reponi debeat, an secùs, id morosa inquisitione
nulla indiget: At satis interea compertum est, plerosque o-
mnes multò impensius contristari, dum valetudinis iacturam
fecerunt, quàm oblectantur, dum ea integra vtuntur, multò
rursus profusius gaudere, dum graui morbo vel periculo
defunguntur, quàm dum præter spem inexpectato aliquo mu-

Apud Deum
ex condigno
nihil est me-
ritorium, aut
satisfactorium,
quod ex cha-
ritate non est
natum.

Pleraque præ-
cepta & vota
non obligant
ad operis qua-
litatem, sed
tantum ad
ipsum opus.

nere donantur, aut commodo potiuntur.

Informis satisfactio non viuificatur per gratiam.

At quæret fortassis hîc quispiam, num redintegrata charitas informi illi demortuæque satisfactioni spiritualis vitæ sensum inspiret, perinde atque Baptismo in lethali peccato suscepto? Quicquid sit de Sacramentalibus satisfactionibus, de quibus non idem omnium est iudicium, certè reliquæ spirituali vita nunquam donantur. Nusquam enim Spiritus sanctus, qui in Scripturis loquitur, alijs quàm ex fide & charitate natis operibus vitam æternam, quæ propria boni operis merces est, promississe legitur. Quare qui mortifero peccato obstricti ieiunant, vel orant, vel elemosynas erogant, vel alia pietatis opera exercent, illi per informe illud opus nihil ex condigno apud Deum promerentur, nec ex iustitia quoque apud eundem satisfaciunt, licet instaurata iam Christi gratia, opus mortuum ratum gratumque habeant.

Quod fit, in Deum referri potest: quod iam effluxit, non potest.

Est sanè patrati operis rati habitio Deo grata, æternæque vitæ meritoria: at non eã vim habet illa, vt opus vitæ spiritu destitutum & iam pridè dilapsum, vita informet. Secùs foret, si opus necdum absolutum in suo adhuc stadio decurreret. Quod enim fit, dum fit, in Deum referri potest: quod autem iam effluxit, & in Deum, dum flueret, relatum non fuit, id amplius in eum referri nequit, cum nulla ad præteritum sit potentia. Vnde precibus illum vrgere, vt id acceptum habeat, aliud nihil est, quàm stolidè ineptire, oleumque & operam frustra ludere.

Quid opus est multis? Si nuda illa de opere moraliter tantum bono rati habitio tantum virium haberet, vt opus alioqui mortuum viuificare posset, profectò minimi ponderis opus demortuum maioris sæpe meriti foret, quàm alterum secundum se nobilissimum, nec non ex feruentissima charitate ortum: quippe cum, & sæpius, & feruentius quoque quispiam in opere informi ac demortuo oblectare se queat, quàm in viuio. Sequeretur hinc rursus, idem ad numerum opus, modò vitæ æternæ, modò pœnæ æternæ esse meritorium. Constat enim variam animi affectionem in idem

idem ad numerum opus cadere posse. Sequeretur tandem, qui vnum denarium in egenos erogasset, mille quotidie merita coaceruare posse: vt qui millies quotidie eiusmodi opus queat approbare. At hæc omnia sapiunt quiddam paradoxum & nouum. Opera itaque mortua perpetuæ morti manent obstricta, sicut versa quoque vice semel viuia semper manent viuia. Nec enim hæc vnquam imputantur in pœnam, nec illa vnquam in gloriam. At ipsa verò rati habitio, si bona est, meritoria est: sin autem mala est, cum peccato & vitio coniuncta est.

De Baptismo fictè suscepto alia est ratio: Nam illud indelebilem sui effectum, quasi quoddam perpetuum spiritualis vitæ seminariū, post se relinquit, atque ideo viuificari potest: opus autem, quod nulla sui parte amplius existit, exuscitari ad vitam non potest. Sed & aliud quoque inter hoc & illud intercedit: quandoquidem satisfactionis vis maiorem in partem ex poenitentis qualitate, & dispositione dependet: Baptismi autem energia Ecclesiæ fide & Christi morte præcipuè nititur. Hæc autem in perpetua, recentique semper apud Deum Opt. Max. memoria sunt. Nititur his & aliorum quoque Sacramentorum efficacia, verum id alio modo, & ratione, vt alibi explicatum est fusius. Quod si neutrum horum placet, Baptismi viuificationem inter peculiaria priuilegia referri dicas. Voluit enim Deus in hoc, & per hoc Sacramentum suarum miserationum abyssum ostendere: in alijs, & per alia non item.

Sunt, qui informia satisfactionis officia in ea, quæ effectum, & in ea rursus, quæ nullum ex se vestigium relinquunt, discernant. Arbitrantur autem illa per gratiam reualescere vt cunque posse, hæc autem non posse. Sed neque hæc quoque doctrina satis est firma, aut, quæ recipiatur, satis quoque idonea. Nam cum illa, quæ corporis extenuationem, vel facultatum diminutionem, vel aliud quippiam eiusmodi adducunt, neque in se, neque in effectum suo extiterint meritoria, non erunt de iustitia quoque, satisfactoria. Mirro hîc, nullum inter omnia existe-

Baptismus perpetuum vestigium, vitæque spiritualis seminariū post se relinquit.

Sine informia satisf. officia effectum post se relinquunt, siue nullum, nunquam ad iustitiam efficiantur satisfactoria.

re,

re, quod perpetuū post se effectum relinquat, nec vllū rursum, quod non aliquem saltem momentaneum pariat. Nam & oratio quoque, quæ alioqui maximè succedanea est, si intentior fuerit, corporis vires non solum defatigat, sed multum quoque extenuat.

Sed & meritò quoque ab opinationis huius authoribus queri potest, ecquidnam ipsorum iudicio incipiat hęc iure satisfactorium esse. Non ipsum opus: quia illud iam dilapsum est. Nec operis rursum effectus: nam hic simpliciter necessarius est, quippe qui causam suam non possit non sequi. Satisfactio autem, vt efficax sit, opus voluntarium habeat oportet. Adde his, eiusmodi effectum, neque ex charitate, neque ex opere charitate informato exortum esse, sed ex opere modis omnibus mortuo: quod autem eiusmodi est, id ad iustum satisfactorium esse non valet. Quòd si dixerint satisfactionem non prouenire ex opere ipso, aut ex operis effectu, sed ex nouo voluntatis studio, nouaque eiusdem approbatione: iam in idem planè redibit, effectum ne aliquem post se relinquat, aut nullum omnino: cum approbationis huius obiectum tam opus ipsum esse queat, quam operis vestigium.

Disceptari quoque circa hoc caput solet, Possit ne poena post culpam condonata residua, per opus alio titulo debitum redimi? Fieri istuc posse negarunt nonnulli, sed citra vllam grauem rationem. Certum est enim, maius quiddam esse vitam æternam, quam redimere poenam temporariam.

Præceptū, aut votum boni operis vim non eleuat.

Efficax satisfactio, opus voluntarium deponit.

Maius est, mereri vitam æternam, quam redimere poenam temporariam.

Præceptū, aut votum boni operis vim non eleuat.

ra, nam

ra. nam aliàs Ecclesia minùs consultè faceret, si qua vota, vel iuramenta approbaret, vel opera alioqui libera præciperet.

Adde, si opus aliàs debitum præcisè esset meritorium, nullo autem modo satisfactorium, consequens fore, martyrium iusta necessitate postulante susceptum, elemosynam item in extremè egentes erogata non esse satisfactoria, sed æternæ tantum vitæ meritoria: at hoc est falsum, & à rectæ rationis iudicio prorsus alienum: vtrunque enim opus Deo est gratissimum, atque ideo non ad promerendum solum, sed ad satisfaciendum quoque efficacissimum. Vt igitur debitum meriti rationem apud Deum non infringit, neque diminuit: (nam sub æternæ mortis comminatione Decalogi præcepta ad vnum omnes obseruare obligamur, & tamen ijs obseruandis gratiæ gloriæq; augmentum iuste promeremur, iuxta illud: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. rursum: Voca operarios, & redde illis mercedem.) ita idē quoq; debitum satisfactionis virtutem non eneruat. Inter homines tamen aliàs debitum, nec meritum parit, nec pro altero in solutum cadit.

Quinimo tantū abest, vt debiti ratio satisfactionis vim ex se eneruet, vt interdum quoque opus alio titulo debitum Sacramentalis satisfactionis loco iniungere cōueniat: Vt si non leuis spes sit, quod diuina humanæ lege facere quispiam tenebatur, neque tamen faciebat, id eum facturum esse sedulo, si sacerdotis autoritate, quasi nouo quodā vinculo ad id astringatur. Fatendum est tamen, non ita frequenter eiusmodi opera in satisfactionem, aut satisfactionis partem solere iniungi. Quapropter vt opere præcepto, vel alio nomine debito, præfinitam à Cōfessario poenitentiam explere liceat, de præfinitis voluntate clarè liqueat, oportet. Nam etsi ad exactiorem præceptorum obseruationem, nouasque vires, quas ex Ecclesiæ clauibus mutuuntur, opera aliàs debita imponi queant, communis tamen eiusdem Ecclesiæ vsus non habet, vt alia quam indebita indicantur.

Sed dixeris: Si vnum idemque ad numerum opus simul est

m

meri-

Martyriū est maximè meritorium & satisfactorium.

« Matt. 19. 24.

Expediendum opus aliàs debitū poenitentiam præferre.

Poenitentibus opera tantum indebita indici solent.

Vnius boni operis multiplex inter- dum existit merces.

Non est eiusdem mereri & satisfacere.

Aequè satisfactoria est contritio, qua vnum, & qua multa peccata petuntur.

Satisfactio absolutè perfecta opus aliàs indebitum poscit.

meritorium & satisfactorium, gemina ergo mercede pensatur? Gemina vtique, neque id nouum, aut in spiritali militia inusitatum est. Nam vna prorsus eademq; verè rationis contritione, & ius consequimur ad cœlestem beatitudinē, & peccatorum remissionem, & æterni supplicij condonationem, & virtutum tandem pridem amissarum instaurationem. At non est tamen necessarium, vt vnū idemq; opus respectu eiusdem vtrunq; sit perpetuò. Quandoquidem excellentis perfectionis & sanctimonie mortales magnis subinde meritis locupletantur, & tamen pro suis delictis non satisfaciunt. Contrà verò, qui purgatorijs pœnis exercentur, citra vllam nouorum meritorum acquisitionem iugiter satisfaciunt. Nisi quis fortè dicat eiusmodi pro peccatis suis non tam satisfacere, quàm satis pati. Luunt enim pœnas à Deo sibi taxatas & irrogatas.

Et quemadmodum contritioni, si vera est, meritum non adimit, quòd pœnæ simul & culpæ expiatoria existit: ita nihil omnino quoque eidem officit, quòd magnam peccatorum vim simul conficit. Etenim tantas parit opes, qua mille simul expiantur, quantas, qua vnum tantum: modò tamen æqua vtroque sit intensio, idemque vtroque feruor, & studium. Idem dixeris de Baptismo: vtrunq; enim tollit omnem, quam comperit, noxam; siue ea magna fuerit, siue parua. Vnde modicum & multum vtrique est accidentarium. Cùm ergo dicitur, equalia præstantes equalibus potiri, ad essentialia præmij referri id debet, non ad accidentarium, vel accessorium.

Ceterum quum satisfactio opere aliàs indebitum constare perhibetur, ad illud satisfactionis genus spectatur, quod ad rei equalitatem absolutè exhibetur; cuiusmodi est id, quod inter homines passim obtinet: non ad illud, quod secundum iustitiæ mixtæ rationem præstat. Nam vt eiusmodi non deponit rei ad rem equalitatem, ita neque vt id, quod debiti nomine persoluitur, sit quippiam aliàs indebitum: liberum est enim Deo opus aliàs debitum veluti indebitum in satisfactio-


nem,

nem, aut satisfactionis partem admittere. Eodem modo occurrendum est, si quis contenderit vna re distinctis debitis satisfieri non posse. Quauis id enim de rigore iustitiæ fieri non queat, attamen benigna creditoris acceptione fieri posse nemo dubitat: maximè verò, si eiusmodi debita ex diuersis contractibus non fuerint nata, sed tantum ex diuersis nominibus, vel obligationibus: exempli causa, simul ex voto, iuramento, & præcepto: aut simul ex diuina, humana, & naturali lege.

Superuacaneò in quæstionem hîc vocatur, Num interna quoque opera satisfaciendi vi polleant. Constat enim vtraque satisfactoria esse. Nam etsi concedi queat internos actus vnà cum externis magis esse satisfactorios, quàm solos internos, puta velle dare elemosynam, & reipsa dare elemosynam, quàm velle tantum dare: (vnde etiam externa tantum opera in satisfactionem iniungi solent) habet tamen & interior quoque actus suum in satisfactione locum, & quidem necessarium. Nam & hic quoque suo conatu constat, & vt hîc ponimus, ex diuina gratia promanat.

Non easdem esse pœnitentium omnium leges, nec easdem quoque indictæ, & non expletæ satisfactionis causas.

SECTIO OCTAVA.



Um alia non pauca obseruanda sint à Sacerdote, vt rectè suo fungatur munere, tum id cum præcipuè obseruare oportet, ne audita peccatorum exomologesi prius pœnitentem absoluat, quàm diligenter curarit, vt, quod ille de re fortè, aut existimatione proximi malè detraxit, integra restitutione compenset. Nemo enim absolui debet, neq; legitimè quoq; absolui potest, nisi dâna alteri, contra iuris æquitatē illata, resarciat; aut, vbi primùm potuerit, id se facturum, certò apud se constituat, promittatque.

Vna re distinctis quandoque debitis satisfieri potest.

Et interna & externa opera sunt satisfactoria.

Qui damnatum dedit, non debet absolui, nisi damnatum resarciat.

Alieni restitutio non est propriè satisfactiōis pars.

Non eadem pœna multandi sunt, qui paruo & magno, publico & secreto peccato se polluerunt.

Probrosus est, publica pœnitentia digna admisisse, quàm publicè pœnituisse.

c. Nihil. de pœnit. d. 3.

De pœnit. d. 3. c. Reperiuntur.

Ad c. 25. Leui. hom. 15.

Ad satisfactionis porrò modum quod attinet, (Nam alieni restitutio viam ad idoneam satisfactionem munit veriùs, quàm intrinsecam illius rationem ingreditur.) si eum non ex priuata cuiusquam opinione, aut affectione metiri velimus, sed ex rei ipsius natura, vt sanè debemus, perspicimus non eadem multandos esse pœna, qui publico ac nefario flagitio se polluerunt, & qui vulgari & occulto, sed alia atque alia. Veteres non vulgata & publica facinora tantùm vulgata & publica pœnitentia multabant, sed interdum quoque secreta. Tamen id non tam ex lege, quàm ex vltroea pœnitentium deuotione.

Verùm qualiscunque tandem in secretis criminibus satisfactionis ratio apud priscos obtinuerit, certè in manifestis hoc perpetuò obseruatum est, vt qui ea commisissent, non antè absoluerentur, quàm vel publicam, vel solennem pœnitentiam subiissent. Hanc quidem, si publicè & insigniter Ecclesiam perturbassent, aut populum commouissent: illam verò, si non ita grauiter, tamen publicitus, deliquissent. Vtraq; notam ponit veriùs, quàm infert: Siquidem probrosus est, publica pœnitentia digna perpetrâsse, quàm læsis publicè satisfecisse.

Solenni, quòd lamentabilem illam primi parentis ex terrestri paradiso eiectionem designaret, perpetuumque pœnitendi propositum quodammodo includeret, semel imposita amplius non repetebatur. Publica repetebatur quidem, attamen, ne despectui haberetur, non ita crebrò. Priuatam toties redintegrare consuetum erat, quoties regeneratum in peccatum relabi contigisset. Quare si qua in sanctorum Patrum, aut Ecclesiasticorum Scriptorum monumentis occurrunt, quæ prima facie pœnitentiæ redintegrationem inficiari videntur, (cuiusmodi est illud Ambrosianum: Reperiuntur qui sapius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo. quia sicut vnum est Baptisma, ita & vnica est pœnitentia. & illud Origenem: In grauiori-

bus

bus semel tantùm conceditur pœnitentiæ locus: Communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & semper redimuntur. & illud Augustini: Cautè & salubriter prouisum est, vt locus illius humilimæ pœnitentiæ semel concederetur, ne medicina vilis, vel minùs utilis esset ægrotis.) illa omnia, & si qua eius notæ sunt alia, non ad priuatam, aut publicam, sed ad solennem pœnitentiam referre oportet.

Sed & aliud quoque inter publicam & solennem pœnitentiam intercedebat: Nam, quòd hæc grauibus quibusdam Augustisque ritibus, & cæremonijs constaret, rarissimè per alios quàm per Episcopos imponebatur: illa verò, quòd frequentiùs occurreret, per quosuis Ecclesiæ rectores (modò legitima iurisdictione non destituerentur) indici poterat, & subinde quoque indicebatur. Hæc rursus promiscuè viris & foeminis, cæterisque omnibus, cuiuscunque demum ordinis, vel loci extitissent, imponebatur: illa, quòd præter publicam notam, grauia quædam onera includeret, & in longum spatium, imò verò in vniuersum propemodùm vitæ decursum sese porrigeret, neque altaris ministerio adscriptis, neque iunioribus, neque matrimonij iugo pressis, citra expressum in fontis coniugis consensum, irrogabatur.

Cæterùm publica & solennis pœnitentia his ferè ritibus & cæremonijs imponebatur. Publicam solennemque pœnitentiam accepturi, primo Quadragesimæ die sacco cilicioque induti, detractis calceis, vultuque in terram demisso, præ foribus templi coram Episcopo se prosternebant, parochisque & archipresbyteris, eoque sub cuius pastoralis cura pœnitens viuebat, præsentibus, deq; lachrymis & conuersione cuiusque pœnitentis arbitrantibus, pœnitentiæ modus indicebatur. Mox illis in ecclesiam introductis, Episcopus vnà cum Clero in terram prostratus, pœnitentiæ psalmos pro illorum salute & absolutione Deo decantabat. Postea ab orando resurgens, manusque singulorum capitibus imponens, aqua sacra sin-

m 3 gulos

Epist. 54. ad Maced.

Pœnitentia solennis per solos Episcopos ordinariè imponebatur.

Elib. syn. c. 22. Syn. Arelar. c. 22. & 23.

c. In capite. d. 50.

Ritus & cæremonia: solennis pœnitentiæ.

gulos lustrabat, iniectoque cinere, cilicio illorum capita operiebat. Tum suspirijs ex imo pectore ductis denunciabat, quod sicut Adam propter peccatum proiectus fuit de paradiso, ita ipsos propter admitta crimina eijciab ecclesia. Mandabat deinde ministris, vt statim omnes è templo exigeret. Quod dum fiebat, Clerus versiculum illum, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, concinebat. Hoc autem facto, ita illi à limitibus ecclesie extorres erant, vt nisi in sacra Domini coena, ea attingere non possent.

Poenitentia publica non iisdem ritibus imponebatur.

Poenitentia verò tantum publicæ, & non solennes, non eisdem vbique ritibus indicebantur, sed pro locorum diuersitate, eorumque, qui preerant, voluntate, alijs sepe & alijs, nunquam tamen omnino nullis. Vtraque autem satisfactio, vt ob publica crimina indicebatur, ita publicam quoque Christiani coetus ædificationem spectabat, quãuis hanc non solam. Spectabat nanque & priuatam quoque poenitentium emendationem, patrique sceleris vindicationem.

De antiquis poenitentijs, seuerisque earundem legibus, ex Synodo Nicena, Elibertina, Ancyrana, Neocesarensi, Aurelianensi, Petro martyre Alexandrino, Greg. Neocesa. Burcharde, Iuone, Beda, alijsque, cum Synodis, tum Patribus quoque quàm plurima in hunc locum adferri possent. Verum quod poenæ satisfactorie ad veterum Canonum normam hoc tempore non exigantur; neque commodè fortè exigi queant, non adferemus ea de re hinc multa; sed ea tantum, quæ aliquam priscæ seueritatis ideam ob oculos nobis ponant. Quod vel hac saltem ratione intelligatur, quantum à primo illo feruore veterisque Christiani populi deuotione hoc tempore degeneratum sit.

Eorum igitur, qui publicæ poenitentia legibus apud veteres subiacebant, alij erant catechumeni, alij laici, alij clerici. Catechumeni orantes, si quod fortè in crimen incidissent, ordine suo moti inter audientes ad tempus reijciebantur. Quod si hinc rursus nouo scelere sese contaminassent: veluti deplo-

Syn. Nic. c. 13. Felix 3. epist. 1. cap. 4. Syn. Neocesa. cap. 5.

Multum degeneratum à veteri feruore.

rati ab Ecclesie septis arcebantur. Populares, qui quouis capitali flagitio sese obstrinxerant, inter orantes, vel audientes catechumenos ablegabantur. Qui capitaliori, ab ingressu ecclesie, Christianorumque conuiujs aliquandiu excluderentur. Qui capitalissimo, ab omni prorsus fidelium consortio longo nonnunquam tempore proscriberentur.

Clericorum publicè poenitentium eadem propemodum erant poenæ. Nam pro sceleris perpetrati ratione, hoc est, qualitate & quantitate, alij tantum ab officij sui ministerio prohibebantur: alij sola inedia multabantur: alij exauthorati ad certum vel incertum temporis spatium laicorum ordini accensebantur: nonnulli denique seuerissimæ cuiuspiam monasterij disciplinæ in omnem vitam addicebantur. Exauthorati porrò, si aliquot illustria verè resipiscentiæ specimina ediderant, post exactam decem annorum poenitentiam loco & ordini plerunque restituebantur.

Deponerentur autem non ob ea tantum crimina, quæ in sacris iam constituti perfecerant, verum ob ea quoque, quæ ante susceptos ordines perpetrata in ordinis susceptione clam habuerant. Quod si crimen, cuius causa à sacra functione moti fuerant, redintegrassent, aut aliud eiusdem grauitatis designassent: ad extremum vsque vite diem ordinis sui munere & dignitate exuti, inter plebeios, laica tantum communione potiebantur.

Porrò autem exauthorationis causæ Maiorum nostrorum ætate tot penè extabant, quot criminum capitalium facies. Nec enim illi tantum loco suo mouebantur, qui vsuras exegerant, vxorem post susceptos sacros ordines apud se retinuerant, vel acceperant, seipsos absciderant, Pascha cum Iudæis celebrauerant, adulteri vel scortatores extiterant, indictam à sacerdote poenam non expleuerant, Synodalia statuta temere conuellere ausi fuerant, aut quem oportebat honorem & obseruantiam eisdem non detulerant, in curia causam dixerant &c. sed ceteri quoque, qui quocumque alio mortifero, publico

August. epist. 54. & de Eccles. dog. c. 67. Opat. lib. 2. cont. Parm.

Syn. Epan. cap. 12.

Varia erant poenæ & multæ clericorum, pro criminum admissorum diuersitate.

Dist. sz. c. Presbyter.

Syn. Nice. c. 9.

Syn. Iller. c. 4. 15.

Syn. Eli. c. 20. Syn. Neoca. 1. Syn. Elib. c. 33. Syn. Nice. c. 1. Anti. Syn. c. r.

Exauthorationis causæ apud veteres extiterunt quæ plurimæ.

Syn. Rom. sub Syl. c. 10.

Cap. II.

Synod. Neo-
caes. c. 9.
Syn. Tol. 1. c. 2.Gregorius
Neocaesari-
ensis, *Ἰαυμα-
τουργό* vulgò
appellatus.Variæ pœni-
tentium stati-
ones & ordi-
nes.

coque crimine sese obstrinxerant. Si, inquit Synodus Aureli-
anensis prima, Diaconus, vel Presbyter crimen capitale com-
miserit, ab officio simul & communione pellatur. Ab officio
autem moti, nisi admissi criminis grauitas aliud efflagitasset,
aliudve cautum extitisset, minorum ordinum munia obire per-
mittebantur: maiorum autem non item, si qui ex illis in ma-
ioribus constituti erant.

Cæterum vt flagitia, ob quæ publica satisfactio imponeba-
tur, non erant paria, sed alia alijs atrociora: ita diuersi quo-
que pœnitentium erant ordines, diuersæque & inter se distin-
ctæ in Basilicis, publicisque oratorijs, eorundem stationes.
Etenim quidam ex illis *πρόκλαυσιν* obtinebant: alij *ἀκρόασιν*, alij
ὑπόπτωσιν, nonnulli *σύσασιν*, quidam denique *μέσασιν*. *Πρόκλαυσις*
eos excipiebat, qui à communi fidelium consortio, extra
oratorij portam constituti, magno cum gemitu & ciulatu
ad publica sacra introeuntium preces, communesque eo-
rundem apud misericordiarum patrem intercessionem effla-
gitabant. *ἀκρόασις*, quæ & *νάρις* quoque appellabatur, illis pa-
tebat, quibus concioni duntaxat, diuinorumque oraculorum
interpretationi adesse licebat. *ὑπόπτωσις* eos continebat, qui-
bus publicè tantum cum cæteris orare, Scripturarumque le-
ctionem, & explicationem audire fas erat. *σύσασιν* occupabant,
qui intra templum vnà cum sanctis & impollutis hominibus
diuinorum mysteriorum celebrationi licitè intererant. In
μέσασιν tandem illi commanebant, qui, omnibus pœnitentiæ
muneribus fideliter iam absolutis, ad intermissum sacræ com-
munionis vsum aspirabant.

Syn. Nic. c. 11.
Publicè pœ-
nitentes de
classe ad clas-
sem ascende-
bant.
Synod. Neo-
caes. c. 5.

At non toto pœnitentiæ tempore in ijsdem classibus
eidem hærebant semper, sed de classe in classem gradatim
ascendebant: si tamen partes suas impigrè diligenterque obi-
bant. Nam insigniter desides, vel in pristinum vitiorum cœ-
num relabentes adeò non ascendebant, vt inferiorum quoque
pœnitentium ordinem repetere compellerentur: Quod ipsum
in catechumenis quoque obseruabatur, si qui ex illis in altio-
ri gradu

ri gradu positi, nouum aliquod facinus designassent.

Ad publicæ verò pœnitentiæ tempus quod spectat, si illud
Synodali decreto definitum non extabat, Episcoporum iudi-
cio præfiniebatur. Eorum nanque in eiusmodi pœnitentijs in-
dicendis præcipua erat authoritas, quanuis nõ tota: nam & in-
feriores quoque Ecclesiarum rectores non infrequenter id
muneris exequabantur. Leuissima, breuissimi que temporis
pœna indicebatur digamis. Plectebat autem hos Ecclesia,
non quòd secundas nuptias veluti illicitas condemnaret, sed
quòd castimoniam, singularemque Christi cum Ecclesia con-
iunctionem omnibus commendatam percuperet. Annua
pœnitentia decernebatur Duumuiris, cæterisque Magistrati-
bus, qui idolis sacrificantium coronam gestauerant: Par il-
lis, qui cum proximo controuersiam aliquam habentes, re-
conciliationis gratiam abnuerant: Tum illis etiam, qui alea
luserant, aut ob virium defectum fidem negauerant.

Duorum annorum multa irrogabatur Sacerdoti, qui dijs
sacrificantium stemma deportauerat: Falso testi, qui crimen
dudum antè testum, postea prodiderat: Clerico, qui obli-
dionis tempore cæde, vel sanguine se contaminauerat. Tri-
um annorum his, qui spontè nullis additi tormentis fidem ne-
gauerant: Parentibus, qui sponsalium fidem violauerant:
Diacono, qui mortiferum crimen in ordinatione occultatum,
fera ductus pœnitentia ultro tandem detexerat. Quinque
annorum pœnæ subiacebant: Qui casu hominè peremerant:
Qui adulterium designauerant: Qui demortuæ vxoris foro-
rem duxerant: Viduæ, quæ lenoni, quo cum antè Veneris
consuetudinem habuerant, nupserant: Christiani, qui cum Iu-
dæa, aut infideli matrimonium inierant: Parentes, qui Iudæis
vel gentilibus filias suas elocauerant: Diaconi, qui crimen
aliunde postea compertum, dum initiarentur, non aperue-
rant.

Septem annorum pœnitentiam irrogatam legimus vo-
luntario homicidæ, mulieri proprios foetus necanti: adul-
terio,

Propriū Epi-
scoporum &
maiorū Sacce-
dotum erat,
publicas pœ-
nitentias in-
dicere.

Syn. Laod. c. 1

Syn. Elib. c. 56

Syn. Her. c. 7.
Syn. Eli. c. 79.
Pet. Mar. c. 2.

Syn. Eli. c. 55.

Syn. Eli. c. 74.
Syn. Her. c. 1.
Dist. 50. c. de
hist.

Pet. Mart. c. 1.

Syn. Elib. c. 54
Syn. Eli. c. 76.
Syn. Eli. c. 69.

Eadem 72.

Eadem 75.

Eadem 5. 10.

Eadem 76.

Syn. Eli. c. 5.

Syn. Her. c. 2.

n

terio,

e. Si pater. 30. terio, incestui, periurio, vel alteri eiusmodi facinori obnoxio:
 q. 4. 3. q. 12. c. nisi forsan peccati grauitas, aut personarum qualitas seue-
 Admonere. riorem, longiorisque temporis satisfactionem nonnunquam
 22. q. 1. c. pre- dicandum. efflagitasset. Decem annorum multa imponebatur adultero,
 33. q. 2. c. Hoc qui diu multumque in adulterij flagitio hęserat: Presbytero,
 ipsum. qui vxorem duxerat, vel turpi scortatione sese polluerat: Mo-
 Syn. Eli. c. 64. nacho & sanctimoniali, si in idem, vel simile sacrilegium in-
 Syn Rom. sub Syl. c. 10. ciderant: Catholico, si in hęresim lapsus, ad Ecclesię gremi-
 27. q. 1. c. De- uenire desiderabat: si Capitolium sacrificandi causa ascen-
 notam. derat: si parricidium commiserat. Duodecim annorum pœ-
 Synod. Elib. c. 22. na multabantur, tum Episcopi, tum cęteri quoque inferioris
 Ead. Synod. c. 46. gradus Presbyteri, si cum spiritali filia commercium habuisse
 33. q. 2. c. La- deprehensi fuerant.
 rorem. 30. q. 1. c. Si q. sacerdos.

Can. 1.

Can. 2.

Can. 3.

Can. 6.

Can. 8.

Can. 64.

Can. 12.

Can. 17.

Can. 63.

Can. 13.

Non eędem
 vbique pœni-
 tentię leges
 & modi.

Vt tēpora, ita
 cętera quoq;
 pœnitentię
 onera erant
 diuersa.
 Syn. Laod. c. 1.

Perpetuę pœnitentię Elibertina Synodus eum mancipat
 fidelem, qui ad idololatriam redierat: Flaminem, qui post sus-
 ceptum Baptismū dijs gentium denuo sacrificauerat: Chri-
 stianum, qui veneficijs, vel arte magica hominem occiderat:
 Adulterum, qui, acta pœnitentia de adulterio, mœchię vitio
 iterum succubuerat: Fœminam, quę, proprio marito nulla
 de causa deserto, alteri rursus nupserat, aut in lenocinij
 turpitudine ad mortem vsque vixerat: Parentes, qui filias
 suas publicę prostituerant, aut Idolorum sacerdotibus elo-
 cauerant: Adulteram, quę natum ex adulterio necauerat:
 Virginem, quę Deo dicata libidini seruierat, & alios prę-
 terea non paucos. Nec enim omnes referre licuit, sed nec lu-
 buit quoque, qui hoc, vel illo temporis interuallo pœni-
 tentię legibus subiiciebantur. Sed nec horum quoque eęqua
 vbique erat pœna, sed alicubi maior, alicubi rursus mi-
 nor.

Et quemadmodum tempora pœnitentibus pręfinita erant
 diuersa: ita cętera quoque eorundem onera non erant paria,
 sed plurima sepe intercapedine inter se dissita. Nam quibus-
 dam imponebātur tantum ieiunia, alijs peregrinationes, alijs
 ab hominum consortio exilia, alijs hæc omnia simul: alijs
 denique

denique, pro suscepti perfectique criminis ratione, vel loci
 consuetudine, vel eorum qui pręsidebant arbitrato, alia. Sed
 & illa ipsa quoq; non minima varietate constabant. Nec enim
 eadem vbique erat indicti ieiunij seueritas, nec eadem impo-
 sitę peregrinationis lex, nec eadem tandem separationis se-
 cessus' ve forma. Eorum nanque, qui ieiuniorum vinculo te-
 nebantur, alijs singulis statuti temporis diebus ieiunabant:
 alijs statis tantum: alijs solo pane & aqua, idque sub seram no-
 ctē, ieiunia soluebant: alijs ouis, caseo, piscibus, alijsque id
 genus similibus, (nam à carnibus ieiunantes ordinaria lege
 abstinebant) inter ieiunandum utebantur.

Quod si quis ieiunij onus commodę perferre non vale-
 bat, huic pio quopiam opere illud redimere interdictum non
 erat. Qui, inquit Burchardus, ieiunare non potest, hoc faci-
 at, quod Bonifacius Papa constituit: Pro vno die, quem in
 pane & aqua ieiunare debet, roget Presbyterum, vt Missam
 pro se cantet; nisi sint crimina capitalia, quę confessio prius
 cum lachrymis lauare debet, & tunc ipse adsit, & audiat Mis-
 sam, & deuotę offerat proprijs manibus panem & vinum
 manibus sacerdotis, & intentę respondeat, quantum sapit
 ad salutationes, & ad exhortationes sacerdotis, & humiliter
 Deum precetur, vt oblatio quam ipse & Presbyter pro se Deo
 obtulerunt, omnipotens Deus misericorditer per Ange-
 lum suum suscipiat. Et eo die, excepto vino, & carne, & san-
 guine, comedat quicquid vult. Et sic redimat reliquos anni
 dies.

Pari modo peregrinari iussi, non eodem modo peregrina-
 bantur. Nam alijs nudis pedibus detectoq; capite incedebant,
 alijs vtrisque tecti: alijs armis aduersus iniuriam muniti, alijs
 prorsus inermes: alijs ostiatim stipem mendicantes, alijs ex
 priuatis rebus itineris sumptus facientes. Sic qui separa-
 tionis iugo premebantur, alijs in monasterium veluti in sa-
 crum quendam carcerem detrudebantur: alijs procū extra
 eorum conspectum, quos sceleribus suis offenderant, abs-
 cedere

Syno. Tol. 11.
 c. 7.
 Dist. 50. c. Ei,
 qui homici-
 dium.
 Distinct. 82. c.
 Presbyter.
 Syn. Epā. c. 19
 26. q. 7. c. Sa-
 cerdos.

Ieiunantes à
 carnium esu
 abstinebant
 perpetuò.

Lib. 19 c. 21.

Lex redimē-
 di ieiunium.

Nec eadem
 peregrinanti-
 um pœnitenti-
 um lex, nec
 idem quoque
 sequestratio-
 nis eorūdem
 modus.

Syn. Nice. c. 5
 11. 12. 13.

Syn. Aure. c. 7

Syn. Ille. c. 4. cedere iuebantur: alij domi, quasi in priuato ergastulo in-
 Synod. Arel. clusi, non solum à fidelium orantium coetu, verum ab eo-
 2. c. 30. rundem quoque colloquijs, atque conuiujs arcebantur: alij
 Aurel. i. c. 13. denique alijs oneribus, dum admissum crimen ad plenum ex-
 Synod. Aure. piaretur, exercebantur.
 2. c. 30.
 Syn. Ille. c. 6.

Peractis poenitentiae legibus, absolutio consequabatur, quae quinta sacrae hebdomadae feria impendi solita erat: quod illo tempore cunctis fidelibus, qui alijs impediti non erant, Eucharistiae Sacramentum administraretur. Absolui autem nemo solebat, qui indictam poenitentiam integrè non absoluisset: Obseruabaturque hoc tanta seueritate, vt ne in mortis quidem periculo constitutis absolutio simpliciter impenderetur, sed ea tantum lege & conditione, vt si aeger ex morbo quandoque reualuisset, ad peragendam ritè poenitentiam sese obstrictum intelligeret. Costabat autem haec publica absolutio duabus potissimum partibus, oratione videlicet, & manuum impositione. Nam siue poenitens priuate absolueretur, siue publice, nunquam absque manuum impositione absolutebatur. Manuum porrò impositioni accedebant preces, non quauis promiscuè, sed certa verborum forma conceptae, & quae à Synodo vel Episcopo essent approbatae.

Poenitens absolutionis beneficio potitus, corporis quidem cultui (nam & hunc quoque poenitentes mutare solent) pristinaeque viuendi consuetudini restituebatur semper, ordinis autè & loco non semper. Absolutionis minister idem erat, qui & condemnationis, nempe Episcopus, aut Presbyter legitima iurisdictione praeditus. Simplex enim sacerdos, nisi eius, qui imposuerat, iussu publice poenitentes reconciliare non poterat. Sed neque cuius Episcopo id iuris erat, sed illi tantum, qui poenitentiam iniunxerat: nisi forsàn mors, aut morbus, aut absentia, aut alia vrgens necessitas aliud esset flagitasset. Porrò publice rei absolutebantur publice; si tamen commodè fieri id poterat, nempe ante Basilicae absidem.

Solenn-

Solennes poenitentiae abierunt iam prorsus in dissuetudinem: publice locum suum vix tuentur: priuatae miserandum in modum sunt luxatae. Nam qualis, obsecro, censenda est ea poenitentia, satisfactiove, cum in mille quandoque scelerum compensationem vnus, aut alterius dici ieiunium, aut exigua quaedam elemosyna, aut aliquot psalmi recitandi, aut haec omnia quoque simul imponuntur? hoc praesertim tempore, quo ardens illud poenitendi studium in plerisque Christianorum peccatoribus adeò intepuit, vt ad impetrandam peccatorum veniam sat esse arbitrentur, si speciem dolentis praeseferentes, generatim tantum se peccatores esse exponant?

Est sanè magna hac hominum etate infirmitas, tantaque quorundam poenitentium morositas, vt vix leues quaedam admonitiones aequo animo admittant, nedum satisfactiones sceleribus suis pares: attamè si reus iudici, rationi & legi consentanea mandanti, morem gerere obligatur; si clauis sacerdotum ordini concessè non modò ad absoluendum, verum ad ligandum quoque, hoc est, ad certum satisfactionis pensum obligandum, sese extendunt; si rursus sacerdos exomologesi excipiens Dei, cui omnes parere tenentur, personam sustinet; si vera denique poenitentia, ad quam omnes, qui peccatis obstricti sunt, aspirare debent, non solum contritionem & confessionem in se complectitur, sed debitam quoque operum satisfactionem: non video quoniam illi rudo, salubriterque absoluere queant, qui aequabili moderatoque Ecclesiastici iudicis mandato obtemperare, hoc est, moderatam, & quam poenitens facillimè, si vellet, explere posset, satisfactionem admittere recusant?

Non damno tamen eos, qui tales absoluunt, praesertim si nullo errore ducti, aut despicationis spiritu incitati, sed rusticitate quadam impediti, aut quodam quoque humana imbecillitate superati, equabilem satisfactionem detrectant. Nam etsi poenitens satisfacere obligetur, non tamè obligatur ad hunc, vel illum satisfactionis modum praescribere, sed ad hunc, vel illum,

n 3

vel

Poenitentiae rigor maiorè in modum luxatus hac tēpestare.

Pauci feruè de poenitentibus hoc tempore.

Magna quorundam poenitentium morositas.

Confessarius Dei vicarius, & poenitentis iudex.

Periculosus eorum status, qui moderatas satisf. recusant.

Poenitens non obligatur semper ad certum satisfactionis modum.

vel istum indeterminatè: puta ad pœnitentiam à Confessario iniunctam, vel ad vltro-neam corporis castigationem, vel etiam ad Purgatorij pœnam. Cùm enim post culpam remissam non manserit debitor pœnæ infinitæ, sed finitæ, in alterutro seculo licebit eam dependere.

Reus nō obligatur iudici in omnibus obsequi.

Ad rationes autem proximè allatas, quæ oppositū suadere videbantur, dici possent, illas non esse necessarias. Nam etsi reus iudici obsequi teneatur, non tamen in omnibus, sed in ijs tantum, in quibus est illi subditus: atqui ut maximè pœnitens Ecclesiastico iudici subiectus sit, clauesq; Ecclesiæ ad omnes pœnitentiæ partes sese extendat, nō est tamē ei subiectus quo ad satisfactionis modū. Quare ut in sacerdotis arbitrio positum est hanc vel illā satisfactionē iniungere, ita vicissim in pœnitentis voluntate sitū videri queat hanc vel illā acceptare. Sic quoq; licet vera pœnitentiā cōplectatur nō solum contritionē & confessionem, sed satisfactionis quoq; molestiā, non tamen hanc aut illam absolutè, sed hanc vel illā indiscriminatim. Ad alias rationes, si quæ sint, similes solutiones adferri possent.

Quid factū sit opus, cū pœnitens omnem satisf. reculat.

At quid fiet, quæris, si pœnitens satisfactionem commodè præfinitam recuset? Inducat Confessarius, si potest, ut admittat: si id non potest, proponat rursus aliam, & item aliam, donec tandem aliquam admittat. Quòd si omnes simpliciter recuset: exquirat causas, cur nullam admittat. Ex causis autem allatis in Domino secum statuatur. Difficile est enim certò hęc aliquid pronuntiare, cū omnia hęc ex ignotis causis dependeant. Vix tamen contingere potest bonis causis illos nitij, qui omnes simpliciter detrectant. Quare equidem tales non absoluerē, sed ad aliū Confessariū cū bona gratia amādam.

Quid si Confessarius pœnitentem absoluere nolit, nisi pœnitentiam, quam indicit, definitè subeat? Sanè si de sua contritione pœnitenti certò constaret, possent ea contentus abscedere. Fecit enim, quod facere tenebatur: Ponimus nanque peccata sua integrè sincereq; fassum esse, veniamq; & absolutionem humili submissioq; animo expetiuisse, quæ pro-

inde

inde iure ipsi debebatur: tum satisfacere quoque voluisse, quanuis non eo modo, vel eo satisfactionis genere. Sed quia Sacramentum hoc primam gratiam conferte potest, & conferre quoque nonnunquam solet, satius est, alium absoluendi potestate præditum adire, vel certè iniunctam satisfactionem admittere: maximè verò, si ægrè habueris, & de iusti doloris pondere anceps fueris. Nam si vitam hanc caducam pecunia redimere obligaris, quando alia ratione hostium insidias eua- dere non vales: quanto magis vitam spiritalem per temporariam pœnam comparare obligabere, si probabili ductus ratione citra sacerdotalem absolutionem peccatorum remissionem consequi te posse diffidis?

Sacramentū absolutionis nō infrequenter confert primam gratiam.

Potior est vita animæ, q̄ corporis.

Pœnitentiam commodè ab vno indi-ctam, libereq; admittam, alter citra causam relaxare non debet: potest tamē, si vtilitas, vel necessitas id postulat, in aliam parem commutare. Caueat tamen inferior, ne temere contra superioris voluntatem à pœna, aut culpa absoluat. Idem enim vtrobique est periculum, eademq; temeritas, & inefficacitatis ratio. Nam ut inferior iudex à crimine, quod superior magistratus foro suo referuauit, absoluere nō potest: ita nec à pœna quoque, quam propter eiusmodi crimen reo irrogauit.

Confessarius commodè indi-ctā satisf. relaxare non debet: potest tamen mutare, si necessitas postulat.

Impositum satisfactionis opus ex obliuione, vel aliquali quoq; incuria nō explens, peccat nonnunquā, nō tamē lethali-ter, nisi fortè obliuio, vel incuria, qua hoc acciderat, studiosè fuerat quæsitā, operisq; satisfactorij expletio ad salutē habebatur admodū opportuna. Ratio huius est: Nā si simplex præscriptæ pœnitentiæ ommissio ex se semp lethalis esset: aut ob id hoc esset, quòd Christi Vicarius præscripsisset; vel ob id, quòd absolute ad salutē necessaria esset; vel ob id certè, q̄ necessarium pœnitentiæ membrū existeret. at nihil horū omniū est. Nō primum: siquidē simplex humani præcepti ommissio, si desit contemptio, & scandalū, & proximi damnū hinc ortum, & cetera eiusmodi, mortem non semper adducit. Nec rursus secundum: nam pœnam, quam pœnitenti in hoc seculo exoluere

Non semper lethali-ter peccat, qui iniunctam satisf. ommissionē omit- tit.

Humanū præceptum violatū nō semper adducit peccatum.

inte-

integrum erat, eam in altero dissoluere licebit. Nec tertium denique: quandoquidem Sacramentaliter absoluto nulla sepe satisfactio imponitur: siue hoc fiat, quod iam plenè offenso satisfactū credatur: siue, quod poenitens infirmior sit, quàm qui poenitentiae laborem subire valeat.

Quòd si indictam satisfactionem citra contemptum omit- tens, non semper lethali peccat, vt reuera non peccat: mul- tò sanè minùs lethali crimine se obstringet, si extra Christi gra- tiam constitutus illam exoluat. Grauius est enim, omnino o- mittere, quod facere tenebaris, quàm imperfectè illud exple- re. Quòd autem peccato obstrictus, quodcunq; tandem præ- ceptum obseruet, ipsa obseruatione peccatum nullum incur- rat, illud apud eruditos quæstionem nullam habet. Sed & ipsa quoque ratio, Christianæque religionis suauitas apertè istuc postulat.

Quandoquidem si ad Sacramentalem satisfactionem, aut alterius præcepti obseruationem, opus esset gratiæ præsidio, ita vt quicumque extra gratiam illa expleret, nouam statim no- xam incurreret, profecto Christi iugum planè importabile es- set. Nam vt primùm quispiam criminis alicuius conscientia laborare inciperet, confestim aliqua eiusmodi cogitatio ani- mum illius pulsaret: Siue hoc, vel illud opus præceptum ex- pleuero, siue neglexero, semper peccauero: hîc quidem, quia quod facere tenebar, omitto: ibi verò, quia quod facere debe- bam purus & à peccatis immunis, id peccatis contaminatus perficio. Atqui eiusmodi ratiocinatio humanæ salutis exitia- lissima esset, vtpote certa multorum desperationum, scæda- rumque omissionum causa.

Salubre est igitur & vtile, poenitentiam in gratia non ex- pletam redintegrare: hoc tamen, vt nouum peccatum euites, non est necessarium. Siquidem nulla extat lex, quæ eiusmodi redintegrationem absolutè præcipiat: nulla Ecclesiæ con- suetudo, quæ eam simpliciter confirmet. Sunt tamen, vt cre- brò iam antè repetitū est, eiusmodi satisfactiones ex se apud

Deum

Deum parum efficaces: tametsi ex gratia nonnunquam ad- mittantur. Quamobrem qui salutis suæ benè consultum volet, studeat hîc in gratia exoluere, quod debebat. Sunt sanè, vt à sacerdote indictæ sunt, sacramentales: at non ideo tamen per gratiam statim reuiuiscunt, aut ex se de iustitiæ rigore satisfac- toriæ sunt. Nec enim omne sacramentale opus, redeunte cha- ritate, vita donatur, sed quædam tantùm. Certum est enim, qui indignè communicat, aut confitetur, aut extremè laborans inungitur, eum gratiam Sacramenti, quam sua indignitate perdidit, postea recuperare non posse: tametsi aliam parem, vel etiam maiorem, per poenitentiam consequi valeat.

Circa munia illa satisfactoria occurrunt quædam adhuc dubia, discussione non prorsus indigna, quæ proinde breuiter proponemus, & discutiemus. Et primò quidem ambigere quispiam hîc posset, an Deus omnem omnino satisfactionem, quam Sacramenti huius minister iniungit, semper gratam ra- tamque habeat, ita vt ea ritè expleta, poenitens ab omni prorsus poenæ debito immunis euadat. Tum, an hi, qui priùs vi- ta hac mortali defunguntur, quàm poenitentiam à Cōfessario iniunctam plenè expleuerint, tantisper detineantur in Purga- torio, donec id, quod ex eiusmodi poenæ decreta reliquum fu- erat, integrè exoluant: Esto, alia via & ratione, dum in viuis adhuc agerent, pro cōtractis debitis satisfaciant. Tum rur- sum, vtrum, vt humanus spiritus non plenè purgatus, pro- pter poenæ debitum ad tempus detinetur in igni illo emenda- torio; ita in eodem quoque detineatur propter vitiorum ha- bitus animo adhuc adhærescentes. Tum denique, preces ne illas, quæ in satisfactione impositæ, vel aliàs debite sunt, tem- pore quo Missa, quam ex præcepto audire obligor, celebratur, exoluere liceat. Eadem omnino est quæstio de ieiunio in aliud ieiunium præceptum cadente, & eleemosyna absolutè neces- saria. Adde his, si lubet, num sacerdos Confessionem exci- piens discernere semper debeat poenitentiam commissis pec- catis exæquatam, an verò hac in parte liber existat, ita vt

o

quam-

Grauius est, omnino omit- tere, quàm extra gratiã ex- plere.

Qui ad præ- cepti obserua- tionem Christi gratiam ab- solutè neces- sariã dicunt, eiusdẽ Chri- sti iugum im- portabile ef- ficiunt.

Poenitentiam in peccato ex- pletã redinte- grare, cõsili- um est, nõ etiam præcepti.

Non omne opus sacra- mentale per gratiam viuifi- catur.

Dub. primũ.

Dub. secundã.

Dub. tertium.

Dub. quartũ.

Dub. quintũ.

quamlibet inoffensè iniungere valeat.

Satisf. nullo modo par, nò liberat poenitentem,

Primum dubium facilem responsionem habet. Certum est enim, poenam peccatis nullo modo parem, eam libertatem, & à poenis immunitatem non præstare. Dixerim, nullo modo parem: Siquidem equalitas illa non consistit in atomo, sed in quadam morali latitudine. Vnde non illi solùm satisfaciunt Deo, qui tantum exolunt, quantum ex legis præscripto simpliciter debebant; sed illi etiam, qui ad sacerdotis arbitriū aliquid minus numerant. Habent se enim indictæ satisfactio- nes ut rerum precia, quæ, ut notū est, inter iustitiæ limites sunt disparia. Omnis itaque poenitentia à Confessario decreta, si bona fide dependatur, poenæ debitum extenuat: non omnis tamen ab omni poena liberat, sed ea demum, quæ noxiarum pondus exæquat, aut quasi exæquat.

Indictæ satisfact. se habet ut rerum precia.

Sola iusta satisfactio liberat.

Sed neque secundum quoque, peculiarem aliquam difficultatem adfert. Planum est nanque, nullum omnino post Christum passum in Purgatorio detineri, aut ad Purgatoriū quoque amandari, nisi propter aliquod poenæ, aut leuioris cuiuspiam noxæ debitum: Cùm is ergo, de quo in proposito dubio agebatur, antequam hinc emigraret, pro contractis debitis plenè fecerit satis, nulla apparet ratio, cur ad Purgatorium, vel alium quemcunque locum extra cœlum ablegari debeat. Nec enim sancta huius vitæ opera minùs sunt expiatoria, quàm alterius vitæ supplicia: Imò sunt hæc illis eò minùs purgatoria, quò minùs sunt voluntaria, & minùs quoque propria. Sed pressius & clariùs. Si istiusmodi poenitēs amandandus est ad Purgatorium, aut eò amandandus venit propter debitum ex culpa natum: aut propter debitum ex sacerdotis præcepto ortū. Non propter debitum ex culpa contractum: quia illud, ut ponebatur, in vita iam dissoluerat. Nec rursus propter debitum ex Confessarij decreto natum: siquidem debita ex humano præcepto orta, per debitoris mortem expirant. Humana enim præcepta in hac tantum vita obligant.

Quicumque ad Purgatorium amandatur, poenæ vel noxæ debito obstricti tenentur.

Humana præcepta in hac tantum vita obligant.

Ad tertium paucis responderi potest, solos vitiosos habitus

noq

non esse eiusmodi debitum, quod introitum ad regnum cœlorum remoretur. Nam aliàs, qui pleni malis habitibus Baptismum susciperent, aut martyrium pro Christo subirent, post mortē non statim ad superos euolarent, quod falsum est, communiq; Doctorum sententiæ non modò contrarium, sed re- ctæ quoque rationi dissentaneum. Siquidem propter habitus, non hoc aut illo præmio, vel supplicio digni censemur, sed propter actus. Mali itaque habitus, non sat sunt, qui hominem à poenæ & noxæ debito iam absolutum in Purgatorio detinere valeant. Nunquid ergo, ais, huiusmodi mali habitus inferuntur in cœleste regnum? Nequaquam. Tollit enim Deus eo ipso omnem ab electis suis maculam & imperfectionem, quo illos ad claram sui visionem admittit, cœloque inserit.

Soli mali habitus nò impediunt ingressum regni.

Cœlum nullum malum habitum admittit.

Ad quartum respondent quidam, preces quocunque titulo debitas inter Missarum solennia licitè exolui. Ratio illorum est, quòd Ecclesiæ præceptum non deposcat, ut hi, qui Missæ sacrificio præstò esse obligantur, ea intelligant, aut mente pertractent, quæ, dum sacrificatur, recitantur, aut à sacrificante peraguntur. Verùm hæc sententia est nimis laxa, neque, quæ recipiatur, satis tuta. Nam si sola corporalis præsentia sat esset, legi satisfaceret, qui sacrificij tempore in aliquo templi angulo dormiret, aut luderet, aut data opera alijs quibusvis incumberet. Quod ne ipsi quidem opinionis huius authores fortassis concederent. Certū est tamen, opus non esse, ut præsentibus audiant, aut intelligant, aut sacrificij mysteria animo versent: nam aliàs surdastri, idiotæ, procū ab ara positi, rudes, &c. præcepto huic non satisfacerēt, neq; satisfacere quoque possent, quod vanum est. Sat est ergo, si præsentibus sint, nihilque, quod huic præsentia aduersetur, ex professò agant.

Præceptū de audiēda Missa, plus requirit, quàm nudam corporis præsentiam.

De ieiunio, à Confessario indictò, iuxta indicentis mentem iudicandum est. Clarum est autem, cùm is poenitenti iniungit, ut hoc, vel illo die ieiunet, aut Missæ sacrificium audiat, aut certas preces absoluat, non iniungere, ut ieiunium obseruet, aut Missam audiat, aut preces recitet, quas aliàs ex Ecclesiæ

De ieiunio indictò iudicandum iuxta indicentis mentem.

Per accidens
vna opera fa-
tisfit plu-
ribus debitis.

præcepto recitare, vel audire, vel obseruare obligabatur, sed opus aliquod alioqui indebitum. Fatendum est tamen, si in illū ipsum diem incideret aliud ieiunium, vel aliud festum, vna opera vtrique satisfieri. Nam vt vna eademq; opera interdum quis peccat contra plura præcepta, puta contra diuinum, naturale, & humanum; ita vna opera nonnunquam satisfacit pluribus præceptis, vel legibus, vel debitis.

In altero se-
culo folius
vindictæ ra-
tio habetur.

Ad quintum & postremum dicitur, aliter coelestem iudicem irrogare poenam in inferno, vel purgatorio, aliter terrestrem in hoc seculo. Nam cum in altero seculo non habeatur ratio præseruationis, aut internæ curationis, aut publicæ quoque edificationis, sed tantum vindictæ: Deus Opt. Max. tantam ibi infligit poenam, quantam ipsa peccati malitia iustè promerebatur. At verò Ecclesiæ ministri, quod non vnum hoc solum spectent, vt commissa scelera qualitercunque puniantur, sed simul quoque vt interni animi morbi curentur, eiusdemque radices euellantur: tum rursus, vt poenitentes à lapsu præseruentur, proximoque læso satisfaciant, nec non publicæ vindicationis seueritate à similibus flagitijs eundem exterreant, sepe pro minori peccato maiorem poenam imponunt: Vel quia vni peccati generi difficilius resistitur, quàm alteri; vel quia vnum egrius multò sanatur, quàm alterum; vel quia in vno vrget magis scandalum, quàm in altero. Quia ergo Confessarius non tantum iudex, sed simul quoque medicus est, debet mentis oculum conijcere, non modò ad peccati quantitatem, verum ad eiusdem quoque qualitatem, personæque delinquentis conditionem: tum ad alios quoque, quos suo ille scelere grauiter fortè offendit. Et hæc de poenitentijs, quæ iniungi solent, vel iniungi quoque debent, dicta sufficiant.

Satis.

Satisfactionem vni iniunctam, per alterum posse expleri, non semper id tamen, nec fructu quoque pari.

SECTIO NONA.



Orum, qui satisfactionis vinculo obstringuntur, duo sunt genera: Quicumque enim satisfaciunt, aut suum, aut alienum debitum redimunt. Nam singulari Dei clementia id inter cetera humane imbecillitati concessum est, vt vnus alterius loco satisfacere posset. Atque hoc vnum peculiare est huic parti. Quandoquidem vt pro altero conteratur, aut mereatur, si de merito loquamur, vt oportet, aut confiteatur, id communi lege fieri non potest. Sunt enim hæc, & cetera con- similia, onera personalia, quæ in alium cum fructu transferri non possunt. Vt autem alter pro altero poenas luat, aut debitum soluat, id cum in politicis & secularibus, tum in spiritualibus & Ecclesiasticis quoque adeò receptum est, vt vix aliud quicquam receptius: adeò manifestum, vt nemo, qui vel Scripturas legerit, aut Sanctorum communionem ex animo crediderit, de eo ambigat. Constat enim omnes, quotquot eodē Baptismo abluimur, eorundemque Sacramentorum participes existimus, eiusdem mystici corporis membra, vnus rursus eiusdemque familiæ, ac reipublicæ ciues esse.

Quicumque
satisfaciunt,
aut suum, aut
alienum de-
bitum redi-
munt.

Vnus alterius
loco satisfac-
cere potest:
conteri, aut
confiteri non
potest.

Iam vt in naturalibus pes non sua tantum, sed oculorum quoque causâ munere suo fungitur; nec rursus, quod oculi vident, id ad illorum propriam, sed ad communem membrorum omnium vtilitatem referendum est; nec denique, quod in familia ritè instituta vnusquilibet industria sua cōficit, istuc veluti peculium in proprium commodum seorsum seponit, sed in communem omnium vsum in medium adducit: ita in Ecclesia quoque mystica membra sibi inuicem subseruiunt, mutuasque sibi inuicem operas præstant. Neque enim communis illa operum & officiorum cōmunicatio, cuius in Sym-
bolo

Vt membra
naturalia in
naturalibus
sibi inuicem
subseruiunt:
ita politica
& spiritualia
in politicis &
spiritualibus.

bolo fit mentio, tantum hinc locum obtinet; sed altera illa priuata quoque, qua alter alterius onus gratuito in se suscipit.

Ciuitia & spiritalia inter se permutari possunt.

1. Cor. 9.

Quamobrem audiendi non sunt noui illi veterum errorum magistri, qui in solis ciuilibus, & temporalibus eam bonorum & officiorum κοινωνίαν admittunt. Nam & temporalia cum temporalibus, & spiritalia cum spiritalibus, & temporalia rursus cum spiritalibus, & spiritalia tandem cum temporalibus, ciuili obligatione & pactioe seclusa, licite permutantur. Si, inquit Apostolus, nos vobis spiritalia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus?

Rom. 15.

Et ne quis eam operum permutationem non in precibus, sacrificijs, ceterisque spiritalium munium partibus locum habere existimaret, sed tantum in verbi ministerio, alibi hunc in modum scribit: Nunc proficiscar in Hierusalem ministrare Sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritalium eorum participes factae sunt gentes, debent & in carnalibus ministrare eis. Certum est enim non omnes sanctos Hierosolymitanos euangelizasse gentibus, sed ex eorum numero paucos tantum.

Spiritalia seminantibus, subministranda sunt temporalia.

Colof. 1.

Eodem spectant, quae idem communis fidelium omnium preceptor, & gentium doctor de suis perpeffionibus, de quae nostro in Christo imitando studio alibi his verbis exponit: Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quae desunt passionibus Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. rursus: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Vult dicere: Quemadmodum mystici corporis caput Christus Iesus, ardenti charitate motus, pro membris suis semetipsum tradidit: ita, si vsus id postulat, vnumquodque eiusdem membrum pro altero sese contradat, oportet. Hoc autem mutuae operae debitum ad Galatas scribens legitur.

Galat. 6.

gis nomine exprimit. ait enim: Alter alterius onera portate, & sic

& sic adimplebitis legem Christi.

At quid opus est multis rationibus, aut diuinarum literarum testimonijs? Certum est, misericordiarum patrem non minus propensum esse ad miserandum, noxamque & poenam promeritam condonandum, quam ad condemnandum vel puniendum. Exploratum est nihilofecius eundem non ob propria tantum, sed ob aliena quoque flagitia, multos sepe multis calamitatibus inuoluisse, aliosque atque alios eadem de causa identidem adhuc inuolueri. An non propter vnum duntaxat vnus Dauidis peccatum septuaginta Iudaeorum millia saeva pestilentia extinxit? An non ob vnus Acham sacrilegium tria eiusdem populi millia in foedam fugam vertit, vniuersumque Israel in ingenti terrore concussit? Nonne ob fugam Ionae nautas cum ceteris omnibus vectoribus prodigiosa tempestate diu multumque iactauit? Nonne ob iniquam Pharisaorum & Scribarum in Christum conpirationem, iniustamque eiusdem interneccionem, innumeris cladibus totam illam Hebraeorum gentem iam inde ab Euangelij exordio oppressit, & in hodiernum vsque diem opprimere non desinit, etsi non ob eam solam?

Deus non minus propensus est ad parcendum, quam ad perdendum.

Deus vnum sepe punit propter alterius delictum.

2 Reg. 24.

10 Iosue 7.

10 Ionae 1.

Ecquis fando exprimere queat, quot insontium infantium myriades in mundi cataclysmo, in pentapoleos euerfione, in Hierosolymorum, aliarumque multarum ciuitatum, ac prouinciarum expugnatione interierint olim, & etiamnum intereant subinde ob nefaria parentum maiorumque flagitia? Si ergo Deus Opt. Max. mortem, aliaque, quae hanc antecedit, incommoda irrogat insonti propter alterius scelera: cur poenam temporaneam iusto vel etiam iniusto, propter vltroeam alterius satisfactionem, imò verò ob solam alterius intercessionem, non condonet?

Genef. 7.

Genef. 19.

Caduntur sepe in fontes propter fontes.

Certè ob insignem Abrahami pietatem pepercit Loth, & Abimelech, paratumque se declarat ob decem tantum iustos, si totforè inter illos reperti fuissent, omnibus Sodomitis, & Gomorreis, eorumque vicinis parcere. Sic ob insignem Dauidis religionem & sanctimoniam pepercit Salomoni, multisque praeterea

Genef. 19. 20.

Genef. 18.

3 Reg. 11.

Acto. 28. preterea alijs Regibus longa serie ex illo propagatis : propter
 Exod. 32. Apostoli Pauli charitatem ducentis naufragis animabus : pro-
 Matth. 9. pter Moyfi intercessionē toti Israeli. Sic, vt paucis absoluam,
 propter eximiam offerentium fidem, vtriusque hominis sani-
 tatem prestitit paralytico, & alia subinde alijs propter aliorū
 merita & charitatem prestare solet. Cū hęc ergo in benefi-
 ciorum prestantione citra vllam tergiuersationem admittan-
 tur, (sunt enim ex Scripturis manifesta) cur in temporalium
 poenarum condonatione admitti non debeant? Cur, obsecro,
 Deus exiguæ poenæ partem ob alterius intercessionem, aut
 voluntariam quoque eiusdem perpeffionem non remittat
 iusto, cū ad alterius preces primam gratiam non infrequen-
 ter impertitur impio? multò nanque maius est, vel ex cōgruo
 alteri primam gratiam promereri, quàm pro altero satisfacere.

Facilius est p
 altero satisfi-
 facere, quàm
 primam gra-
 tiam illi me-
 reri.

Ezech. 18. At huic, inquis, operum communicationi alię quædam
 Scripturæ minimè obscurè aduersari videntur. Scriptum ex-
 tat nanque: Omnes animæ meæ sunt. Anima, quæ peccaue-
 rit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, nec
 pater iniquitatem filij, vnusquisque in suo peccato morietur.
 Ezech. 14. Cui cognatum est alterum illud eiusdem prophetæ: Si misero
 in terram famem, pestem, gladium, aut bestias terræ, & fue-
 rint in medio eius tres viri Noe, Daniel, & Iob, Viuo ego, di-
 cit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt: sed ipsi soli
 liberabuntur, terra autem desolabitur. & illud Pauli: Omnes
 2. Cor. 5. nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnus-
 quisque propria corporis, prout gessit, siue bonū siue malum.
 Galat. 6. & illud rursum eiusdem: Vnusquisque onus suum portabit.
 Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.

Pœna nõ de-
 bet culpam
 excedere.

Mox, lex est æquitatis ratione nixa, ne videlicet poena cul-
 pam excedat: si ergo filij, aut subditi, nihil morte, aut poena
 dignum designarunt, nulla apparet causa, cur parentum, vel
 principum scelera luere debeant. An non, obsecro, perini-
 quus iudex ille merito censeretur, qui insontes, omnisq; noxæ
 expertes,

expertes, propter fontium quorundam flagitia morti addice-
 ret? Quanto ergo minùs Deus, cuius misericordia & iustitia
 modum nesciunt, innocentes propter nocētium scelera per-
 det? Denique vt maximè concedatur coelestem iudicem hunc
 vel illum, propter istum vel illum, interdum plectere: difficile
 est tamen intellectu, qua ratione poena in fonti irrogata, pro-
 sit fonti ad peccatorum remissionem, vel ad poenæ tempora-
 riæ condonationem. Quòd si alter propter malum alterius
 opus non punitur, ergo nec alter quoque propter bonum al-
 terius opus coronabitur, aut à poenæ debito liberabitur, & per
 consequens inter homines non extabit illa officiorum com-
 municatio, de qua iam dicebatur.

Verùm hæc omnia, quæ de humanorū operum *κοινωνία* ex-
 posita sunt, non infirmant; multò verò minùs, quæ de satisfac-
 tionis nostræ ratione asserta sunt, expugnant. Nam quæ ex
 Apostolo & Propheta Ezechiele allata sunt, ea nequaquam cõ-
 spectant, quasi vanæ inefficacesque sint preces illæ, quas vnus
 pro altero fundit; aut satisfactiones, quas vnus alterius cau-
 sa impendit: sed ad alterius seculi retributionem. Etenim in
 vltimo illo & peremptorio omnium & singulorum iudicio v-
 nusquilibet iustam pro operum suorum ratione mercedem
 recepturus est. Neque enim istic filius iustus propter pater-
 nam iniquitatem ablegabitur aliquādo ad inferni vel Purga-
 torij quoq; suplicium; nec improbus rursus filius propter
 paternam sanctitatem transmittetur ad coeleste regnum: sed
 filius suum hęc propriū sustinebit onus; pater item suam huc
 propriam adferet iustitiam, vel iniustitiam: & secundum id,
 quod hic, vel ille, vel alius quilibet attulerit, vel vita donabi-
 tur, vel morte ferietur.

Nemo ppter
 alterius ini-
 quitatē amā-
 datur ad in-
 fernum vel
 Purgatoriū.

Alter locus ex eodem propheta petitus solūm probat quæ-
 dam scelera ad eò nefaria esse, vt impunitatem nõ mereantur.
 Quò etiam pertinet illud Hieremiæ: Tu autem noli orare pro
 populo hoc, nec assumes pro illis laudem & orationē, & non
 obsistas mihi: quia non exaudiam te. Eodem modo exponi
 possunt,

Quædam fla-
 gitia eiusmodi
 sunt, vt im-
 punitatem
 non mere-
 antur.

Hiere. 7.

possunt, & cætera quoque Scripturæ loca, quæ post certū scelerum numerum, præfinitamq; eorūdem grauitatem, insigniter sceleratis pœnitentiam negare videntur. Non enim istiusmodi negant pœnitentiam simpliciter, sed tantum impunitatem: vel certè conuersionis difficultatem insinuant.

Terreni iudicis facultas finita & limitata.

Ad secundum dicitur, supremum illum, incorruptumq; iudicem, à quo nulla patet appellatio, ceterosq; iudices, & magistratus nō iisdem legibus teneri, nec pari quoque iurisdictione potiri. Est enim horum iurisdicatio & potestas finita, certisq; cancellis interclusa: atq; ita salua æquitate non possunt quiduis inferre cuius; nec quiduis rursus auferre à quouis, sed id tantum, quod lex permittit. At nulla lex permittit, vt illi, quem publicè constat infontem esse, vel vitam adimant, vel aliā grauem cladem inferant. In bello iusto sæpe infontes pœnas luunt vnà cum fontibus: verum hoc ideo fit, quia non considerantur hinc secundum se, vt priuatę personæ, sed vt partes reipub. quæ tota obnoxia est pœnæ. Sed & infontes quoq; in tumultibus illis à fontibus difficulter secerni possunt. Sic quoq; paternum crimen quandoque vindicatur in liberis, sed hoc ad aliorum terrorem, paternæque punitiōis augmentationem: redudat enim liberorum punitiō in parētes. At verò Deus est absolutus vitę mortisque, imò verò rerū omniū Dominus; atq; ideo liberè, citra vllā cuiuscunque iniuriam, cuiuscunque voluerit, ea adijcere vel adimere potest, sicut sæpe quoq; adijcit & adimit. Videmus enim in p̄senti vita indiscriminatim ferè hæc bonis & malis obtingere. Certum est tamen Deum nūquam vni infligere mortem æternam propter alterius peccatū. Sed & pœnæ quoq; temporales, quas infontibus interdum irrogat, non tam pœnæ rationem sortiuntur, quàm medicinæ.

1. Reg. 2.

Iam si Deus Opt. Max. nulla lacessitus iniuria, nullius incitatus improbitate, sed liberè omnino, et si nunquā absque ratione, mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & inde reducit; in profundum miseriarū demergit, demersosque rursus excitat ac suis muneribus auget: quid mirum est, si scelere aliquis

cuius

cuius prouocatus eiusmodi quippiā facit? Quauis ergo Deus prolem interdū percutiat propter parentis iniquitatem, & subditū propter principis iniustitiam, nunquam tamen iniuste percutit. Nā quicquid tandē ademerit; siue illud vita fuerit, siue fama, siue rerū ad vitā tuendā necessariarū περιουσία, siue aliud quodcunq; eiusmodi; suū semper adimit, & salubriter adimit.

Deus nunquā iniuste punit.

Ad tertium & postremum respōdetur, pœnam infontibus propter aliorum peccata iam condonata irrogatam, dummodo tamen patienti animo excipiat, satisfactoriam esse posse, id tamen non ea mensura, & ratione, qua illa, quæ vltro suscipitur. Non enim maiore hæc adimit purgatorię pœnæ partem, quàm ipsa secundum se absolutè existit: at verò opus satisfactorium spontè susceptum, etiam si secundum se parum molestum fuerit, magnam tamē sæpe purgatorię portionem absūmit. Quod si verò volūtas eiusmodi punitiōi obnititur, punitiōis limites ipsa pœna nō excedit, hoc est, neq; illi, qui patitur, prodest ad meritum; nec illi, propter quem irrogatur, ad satisfactionē. At multò verò minus huic p̄derit, si etiamnum in peccatū volūtate obstinatè persistit. Nam si pœna voluntariè assumpta peccati necdum condonati expiatoria non est, multò minus inherētis adhuc peccati expiatoria erit, si diuinitus fuerit irrogata, & impatienter nihilominus excepta. Nihil ergo hactenus allatum est, quod vnum pro altero satisfacere non posse euidenter euincat.

Pœna vni propter alterius peccatū irrogata, potest alteri satisfactoria esse.

Porro autem licet catholica fides teneat, totiusq; Ecclesiæ vsus & praxis confirmet, alterum pro altero orare, pati, ac satisfacere posse: plurimum tamen interest, pro teipso ne satisfacias, an alius tuas in se partes suscipiat. Nam qui dignis pœnitentię fructibus admissa in Deum vel proximum crimina per seipso redimunt, illi non solum pro contractis debitis satisfaciunt, verum dum id agunt, certissimum quoque iter ad maiorem gloriam sibi muniunt. In hac enim peregrinatione omnia proprię satisfactionis officia simul etiam sunt meritoria, & vice versa, licet id non semper respectu eiusdem,

Magni refert tunc, an alius tui causa satisfacias.

vt suprà annotatum est. Sed & eadem quoque opera intestinorum morborum radices potenter euellunt, vulnerumque cicatrices ex peccatis relictas obducunt, & alia præterea non vulgaria commoda, authori suo adducunt.

Quòd si nihil horum omnium illis, qui proprio impendio satisfacere nituntur, obueniret: adhuc, si cetera exequantur, eò gratius præpotenti Deo solet esse vnumquodq; opus, quòd id magis est proprium, magisque voluntarium. Atqui in dubium non cadit, id tuum esse verius, magisque spontaneum, quod tute tui ipsius causa *αυτοπροσώπως* expleret, & Deo offers, quam quod vnusquilibet alius salutis tuæ causa præstat. Quin & certum quoque est, opus satisfactorium, quod cõtra incidentes animi ægrotudines veluti antidotum quoddam à Confessario indictum est, per alium expleri non posse. Sunt enim eiusmodi poenitentia onera quædam personalia: quæ autem eiusmodi sunt, ea, vt nuperrimè dicebamus, personam, ad quam spectant, temere non egrediuntur; nisi quod tale forsàn impedimentum intercideret, quod alterius operam necessariò efflagitaret.

Mitto hinc, non infrequenter spe sua frustrari, qui poenitentia onera sibi imposita in aliorum humeros reijciunt. Aut ergo pro te satisfacias, aut, si id commodè non potes, quibus vices tuas committas, iterum iterumque cõsideres, certus tantisper te in Purgatorij cruciatibus detentum iri, dum vicarius tuus satisfaciendo, vel tute ipse satisfaciendo, vltimum quadrantem exolueritis. Dixerim, dum vicarius tuus satisfaciendo, non etiam soluendo, vel restituendo: nam si debitor in vitæ periculo constitutus debiti cuiuspiam solutionem, vel restitutionem hæredibus suis seriò iniungit, & illi fidem fallant, non ob id defunctus detinebitur in Purgatorio: fecerat enim, quod facere tenebatur. Verum fraudis authores graui crimine sese obstringunt.

Potest autem tam is, qui sui ipsius causa, quam ille quoque, qui alterius nomine satisfacit, vno eodemque satisfactionis genere pro criminibus genere inter se distinctis satisfacere. Quæ admo-

Magis id Deo placet, quod est magis voluntarium.

Satisfactio medica per alterum expleri non potest.

Sepe falluntur qui satisf. sibi indictas in alios transferunt.

Vna opera a pluribus peccatis simul satisfieri potest

admodum vna quoque eademque contritione peccata maxime inter se diuersa simul expiari contingit. Hoc autem de Satisfactione asserimus, vt satisfactio est. Nam si eam spectes, vt quædam agrorum animorum medicina est, profectò non temere sanabit oculum, quod sanat calcaneum. Notum est enim in spiritali militia exercitatis, alijs armis pugnandum esse contra auaritiam, alijs contra luxuriam, alijs contra superbiam, alijs denique contra alia vitiorum monstra.

Denique integra peccatorum remissione impetrata, licebit seorsum pro vno satisfacere, & non pro alio, exempli causa, pro homicidio, & non pro adulterio. Siquidem peccata non eam connexionem inter se habent in temporali poena, quam habent in macula. Hæc enim citra gratiam, quæ nullam peccati labem in animæ regno hæcres finit, elui non potest. Illa verò, vt publicæ poenitentia non obscure ostendunt, & diuisim, & rursum cõiunctim depedi potest. Et hæc ad constituendam Satisfactionis nostre rationem, eiusdemque necessitatem dicta sint hætenus: nunc ea diluenda adhuc restant, quæ Antagonistæ contra hanc Poenitentia partem obicere solent.

Vna satisfactio medica simul diuersis vitijs non potest mederi.

Potest quis pro vno peccato seorsum satisfacere & non pro altero.

Peccata non confociantur in temporaria poena vt in macula.

Quæ à fidei Catholicæ hostibus contra Satisfactionem obijciuntur, ea, quod isti contendunt, nequaquam obtinere: Imò verò pleraque omnia friuola, nullarumque virium existere.

SECTIO POSTREMA.

Primum aduersæ partis argumentum.



Lena, inquit illi, omnibusque perfecta numeris & partibus satisfactio vnus, alterius loco & nomine exhibita, debitorem à debiti vinculo omnino absoluit: atqui, vt ex Scripturis, & Patribus manifestum est, & fusè antè expositum est, Christus Redemptor noster pro omnibus mortalium omnium

peccatis eterno Patri plenè perfecteque satisfecit, ergo omnis nostra satisfactio est superuacanea, vel certè non est admodum necessaria.

Primi huius argumenti solutio.

Christus cumulatè pro omnibus satisfecit.

Christi satisfactio diuinæ iustitiæ ordinem non excludit.

Næ Dominus noster Iesus Christus pro omnibus mortalium omnium peccatis cumulatè satisfecit, nec ideo tamen satisfactio nostra nulla est, aut Christi satisfactio iniuria est. Siquidem cumulata illa & exuperans Christi Redemptoris satisfactio ita admitti debet, vt tamen institutum à Deo iustitiæ ordinem, iustamque ipsius satisfaciens voluntatem, & legem non interuertat. Præstitit sanè Christus Dominus, quod ad orbem redimendum præstitum oportuit: imò verò multò plus præstitit, quàm absolutè necessarium fuit. Nam nisi aliud è re nostra fore iudicatum fuisset, vel vnica duntaxat sanguinis gutta iratum iudicem placatum nobis patrem reddere potuisset. Veruntamen quò peccator suauissimos tanti huius beneficij fructus percipiat, ea media & præsidia, per quæ misericordiarum pater vnigeniti sui diuitias mortalium generi communicare instituit, piè, religioseque adhibeat, oportet. Neque enim Deus iustificationis gratiam omnibus promiscuè infundit, nec peccatores pristino nitori restituit omnes; sed eos solùm, quos idoneos, aut saltem non inidoneos comperit: Cuiusmodi inter ceteros sunt, qui Spiritu illius excitati ad tanti muneris susceptionem sese disponunt, immortalitatisque, hoc est, crucis & mortificationis calicem, omnibus per Christum, & in Christo liberaliter propositum ac propinatum, auidè bibunt.

Nostri satisfactio Christi satisfactio non obscurat, sed illustrat.

Neque est, quòd nostra hac qualicumque synergia illustre illud redemptionis beneficium aliquam in partem obscuratum, aut imminutum iri magnopere formidemus. Non enim hinc obscuratur, aut diminuitur, sed illustratur & amplificatur: quippe cum non alius & alius satisfaciens hinc inrerueniat, sed vnus & idem. Nam etsi nos mereri & satisfacere perhibeamur, & verè quoque mereamur, & satisfaciamus: non nostro

tamen

tamen spiritu meremur, aut satisfacimus, sed Christi. Vnde licèt vtrunque rectè dicatur, & nos per Christum, & Christum rursum per nos satisfacere: rectiùs tamen dixeris Christum per nos, tanquam caput per membra, satisfacere, quàm nos per ipsum. Siquidem is vtcunque spectatus, est præcipuus, qui hinc agit, tametsi nos non simus otiosi, sed simul cum ipso operi intenti, idque ex spiritu, qui in nobis est, quanuis non ex nobis. Atque hoc ipsum Christi gratiam maiorem in modum illustrat, tantum abest, vt vlla illam ex parte obnubilet.

Commendasset hæud dubiè suam erga genus nostrum clementiam & charitatem non minimùm, si nos in squalore & sordibus iacentes absoluta potestate, vel precio numerato, ex diaboli potestate in libertatem filiorum Dei afferuisset: at multò verò vberius eandè commendat, posteaquã sua gratia & satisfactio ita nos opulentos fortesque reddidit, vt ipsi ex thesauro, què ex illo acceptum intra nos gestamus, vnà cū ipso, & in ipso, nò solùm pro contractis debitis satisfacere, verùm, quod multò præstatius est, coelestè quoque beatitudinè, & gratiæ incrementum promereri valeamus. Quemadmodum, vt vno aut altero exemplo, quod dicimus, nò nihil illustremus, multò cumulatiorè principis gratiam, multoque illustriore eiusdem potentiam redderet, si seruo ab hostibus capto vires, quibus fretus per medias obstantium hostium acies fortiter pugnando liber euaderet, subministraret, quàm si λύτρω persoluto eundem pristinè dignitati & libertati restitueret. Sed & militi quoque multò honorificentius fuerit, si arcè, vel aliud militare brauium, impigrè contra hostem depugnando emereatur, quàm si quid fortè eiusmodi per simplicis donationis viam consequatur.

Quanuis ergo (vt ad propositi argumenti solutionem reuertamur) Christi satisfactio extiterit plena, eiusdemque redemptio copiosa: non ob id tamen, aut nostre aduersa est, aut in omnibus quoque fructuosa & efficax est; aut in quibus efficax & fructuosa est, in isdem etiã eque fructuosa & efficax est. Prouenit autem disparitas illa, ex eo partim, quod modo exposuimus,

Gloriosius est, vi se ab hoste liberare, quàm precio; arcèque bellica fortitudine, quàm dono obtinere.

Crux Christi non in omnibus efficax, aut aequè efficax est.

ncm-

Dispar crucis Christi fructus ex duobus præcipue prouenit. nempe ex dispari eorum applicatione, per quæ vis illius, ueluti per quosdam canales, in mortalium animos deriuatur: partim etiam ex secreta æterni patris electione: hac enim fit uel economiæ Christi fructus effectus uel quibusdam clementer conferatur, alijs iusto iudicio subtrahatur. Quemadmodum id varij infantium casus minimè obscure nobis ostendunt. Nec enim aliam hyperphysicam causam (nam physicæ, & liberè itidem multæ existere possunt) assignare possumus, cur alij suscepto Baptismi Sacramento extincti, coelesti beatitudine potiantur, alij eiusdem Sacramenti gratia frustrati in æternum exilium à Christi regno proscribantur, quàm diuersum Dei Opt. Max. de his & illis consilium, diuersumque in hos & illos studium.

Pœnæ, ut tãtùm pœnæ, non sunt expiatoriæ.

Pro temporaria pœna causaliter factum est satis uerius, quàm formaliter.

Satisf. officia exiguntur & dependuntur tanquam uerè debita.

Quin & aliud quoque absque ulla prorsus temeritate, imò uerò magna cum ratione, Scripturarumque & Patrum astipulatione ad primum hoc argumentum responderi potest: puta Christum Deum ac Dominum nostrum pro mortalium omnium noxa & pœna ita fecisse satis, ut eos tamen, qui post acceptam semel Spiritus sancti gratiã denuo per peccatum ab ipso descuiissent, impunes in gratiam suam recipere nollet: suppeditasse nihilominus, unde pœnæ, quæ ex se alioqui satisfactorias, uel expiatorias vires non habent, neque, ut merè pœnæ sunt, habere ualent, (nam aliàs damnati satisfacerent ut qui maximè) satisfactoriam uirtutem traherent: atque ideo pro eiusmodi pœnarum reatu non tam formaliter & absolute fecisse satis, quàm causaliter & inchoatiuè.

Edisseram hoc planius: Certum est, ab ijs, qui Baptismalis gratiæ naufragium fecerunt, satisfactionis officia exigi, & id quidem ea seueritate, ut necessum sit id integrè dependere in Purgatorio, quod hinc iuste depensum non fuerat. Certum est nihilofecius, ea non exigi pro noxa lethali, aut pœna æterna eiusmodi noxiæ debita. Siquidem horum utrumuis, ut primum anima Christi gratia perfunditur, statim aboletur: (Quæuis ne hoc ipsum quoque impune. Quandoquidem nulli omni-

no

Per Baptismum nulla culpa remittitur absque pœna.

no mortalium post susceptum Baptismum in peccatum relapso, absque interno dolore, Sacramentalique, Cōfessione, aut aliquali saltem eiusdem proposito, prima gratia obtingit. Atqui æquè molestum, uel multò quoque molestius est, occulta peccata confiteri, eademque, ut par est, detestari, ac temporalis pœnæ debitum exoluere. Cùm ergo præter pœnæ temporalis reatum, pro quo exigi & exolui queant, nihil omnino supersit, cōsequens fit ut pro eo solo exigantur & dependantur: atque ideo ut redemptionis precium pro eiusmodi temporariarum pœnarum debito absolute non sit numeratum & admissum, sed tantum in ratione meriti, & secundum quid. Quod si æquè absolute pro utroque oblatum, & admissum foret, non magis utriusque huius, quàm illius nomine satisfactio exigetur. Exigitur autem huius, hoc est, pœnæ temporalis causa: illius autem, hoc est, culpæ & pœnæ æternæ gratia non exigitur: non est ergo absolute & simpliciter pro hac dinumeratum & admissum, sed tantum causaliter & secundum quid: alioqui enim, quod diuinæ æquitatis ratio nequaquam patitur, unum idemque debitum bis exigetur, totidemque exactum dependeretur.

At scimus interim non deesse, qui Christi meritum & satisfactionem haud aliter ferè per nostram satisfactionem in nos transfundi, nobisque incorporari respondeant, persuasumque habeant, atque eadem per fidem & Sacramenta in nos deriuantur, nobisque communicantur. Verum hæc doctrina, tametsi uulgata, difficultatem, quæ hinc se offert, non eleuat, sed auget. Nam etsi negari non queat, nostram satisfactionem Christi merito & satisfactioni inniti, (Sicut reuera eidem quoque innititur omnis uera contritio, omnisque legitima & salutaris absolutio) viresque & robur omne, quibus pollet, inde mutuari: uerè tamen defendi non potest uniuersam illius vim nuda illa transfusione, aut applicatione contineri. Quandoquidem, si rem rectè expendamus, comperiemus aliud nihil esse illam transfusionem, uel applicationem, quàm alteram integram solutionem. Nam, si isti consentanea scribunt & dicunt, idem

Nostra satisfactio quiddam amplius ponit, quàm nudam satisfactionem Christi transfusionem.

q

pla-

planè hîc fit, ac si quis mille nummorum debito obstrictus, quos ipsius loco & nomine alius quispiam liberaliter & integrè exoluisset, alteros rursus mille numerare compellatur, per quos integra & plena solutio iam exhibita in se transfundatur, sibi ve applicetur, & imputetur. At nemo nescit, quàm istuc ab omni ratione & æquitatis lege alienum foret. Non eo itaque modo Christus pro pœnis temporarijs satisfecit, quo pro culpa & pœna æterna: puta, precium integrè, quod exigebatur, vel debebatur, actu numerando; sed vires, quibus salubriter satisfaceremus, præparando, & subministrando.

Dices forsan Christi merito & satisfactioni, eiusdemque plenitudini assertione hæc non nihil derogari. Non diffitemur, quibusdam ad pauca tantum respicientibus videri istuc posse: sed reuera nihil quicquam doctrina hac illi derogatur. Nam Christi permissio, eiusdemque satisfactio tantum valuit, & valet, quantum, qui passus est, eam valere voluit: Tantum autem valere voluit, quantum diuinæ iustitiæ ratio eam valere deposcebat. Deposcebat hæc autem, (quemadmodum Spiritus sancti oracula passim testatum nobis faciunt) vt spinarum molestias vel in partem degustarent, qui cum capite spinis coronato olim regnaturi erant; membraque, quibus non absq; atroci diuini nominis iniuria & contumelia, demoni, & carni, & mundo seruiant, in eiusdem obsequium & laudem prompto alacrique animo, à fœda illa peccati & demonis seruitute gratis iam liberati, denuo conuerterent.

Quòd si nullius decoris, aut ordinis, aut iustitiæ habita ratione, vnigenitus Dei filius absoluta potentia agere voluisset, poterat vtique sanguinem suum eum in modum offerre, vt omnibus absolutè, imò etiam dæmonibus, ceterisque æterni ignis flammis propter scelera sua iam olim mancipatis, ad obtinendam cœlestem beatitudinem cõferret: idque absque villo prorsus Sacramento, aut villo alio externo interno ve præsidio, aut adminiculo. Sed noluit hoc facere: quia, vt faceret, causam nullam habebat. Sicut neq; per Baptismum quoque,

quo ipsi inserimur, iustitiam originalem, & quæ eam comitantur, nobis restituit: cùm huius tamen gratia multò potentior fuerit Adami noxa. Neq; enim sicut delictum, ita & donum: “ Rom. 5. sed vbi abundauit peccatum, ibi superabundauit & gratia. “

Eodem Theologi illi tendunt, qui Christi mortem & satisfactionem omnem omnino culpam & pœnam ex æquo expiare potuisse asserunt, si æterno patri vtranque in vtriusque expiationem ex æquo admittere placuisset. Verùm ad ostendam suam in peccatores iustitiam, suumq; in peccatum odium; tum etiam ad excitandam nostram ad virtutis studium ignauiam, non hoc, quod minùs, sed illud, quod salutem nostram magis expediebat, voluisse, cuiusmodi est, quod toto hoc tractatu vrsimus & exposuimus.

Illustrior sententia hæc apud Antagonistas foret, si cum quibusdam statueremus Christum Redemptorem nostrum ex gratuita offensi patris acceptatione satisfecisse veriùs, quàm ex soluti precij æqualitate. Nam ea opinione admissa, ad propositæ rationis assumptum respondere liceret, cœlestem patrem filij sui satisfactionem, quòd per se, & ex se plena non esset, pro pœna æterna & culpa simpliciter admisisse; pro pœna autem temporanea non simpliciter, sed hætenus tantum, quatenus nostra vim inde & robur mutuari posset. Verùm quia in disputatione de Christi satisfactione ostensum est clarè, eiusdem meritum & satisfactionem plenissima extitisse, in solutione supra iam assignata libenter persistimus, vt quam & Scripturarum sensui, & Patrum quoque consensui per omnia consentaneam esse nihil quicquam dubitemus.

Aliud Antagonistarum argumentum.

Sed instant porrò, vel alia verborum forma idem veriùs inculcant. Ecquid, aiunt, opus est ambagibus? Vel Christus Seruator noster pro omnibus mortalium omnium peccatis plenè perfecteque satisfecit, aut secùs: (nam inter satis, & non satis, non datur medium, cùm hæc extremè inter se pugnent)

q 2 gment)

Christi crux tantum valuit, quantum crucifixus eam valere voluit.

Christus sua cruce ordinè iustitiæ interuertere noluit.

Deus noluit Christi satisf. admittere ad absolutam peccatorum impunitatem.

Christi satisfactio plenissima extitit.

Secularij idem argumentum alia verborum forma repetunt.

gnent) Si satis, ergo omnes nostrę satisfactiões sunt superuacaneę. Si non satis, ruunt ea omnia, quę ad statuendam cumulatam Liberatoris nostrı satisfactiõnẽ ex Scripturis, Patribus, Concilijs, & rationis quoque opibus magno molimine allata sunt alibi: sed isthęc ruina in tanti ponderis quęstione admitti non debet; neq; citra apertam Christi iniuriã admitti quoque potest: ergo alterum illud, quod nos conclusum volebamus, simpliciter absque vlla omnino distinctione, aut limitatione, admitti debet.

Argumenti huius solutio.

Hęc ratio, vt paulò antè dicebamus, per omnia similis est illi, quam proximè diluimus: attamẽ, q̄ alio modo, alioq; ordine, & verborũ schemate proponatur, res postulat, vt alio quoq; modo, & medio refellatur: Nõ enim ijs angustijs cõtinetur veritas, quibus mendaciũ & fucus. Cũ igitur hunc in modum ratiocinantur: Christi satisfactio per se fat est, ergo nostra superuacanea est: respondemus, ne probabiliter quidem id inde inferri. Nam vt non sequitur: Christus sola sua cruce & morte multò plus exoluit, quàm absolutè debebatur, ergo omnes illius preces, vigilię, sudores, cęteraq; sacrosanctę œconomię eiusdem opera, quę crucem antecesserunt, erant inutilia. Vel, ergo Ecclesię Sacramenta, fidciq; spei, & charitatis munia non sunt necessaria. item: Christiani hominis vita per Euangelia, & Apostolorum monumenta perfectè informari potest, Ergo Prophetarum oracula, cęteraq; veteris instrumenti volumina sunt superflua. rursus: Dei Opt. Max. custodia, eiusdemq; cura, & gubernatio per se abundè sufficiens est, Ergo Angelorum, parentum, præceptorum, cęterorumq; omnium industria & opera otiosa est. Denique vt non sequitur: Prima causa per se ad quiduis efficiendum sufficiens est, ergo nulla secundaria necessaria est: ita quoque nulla est hęc consecutio: Christi satisfactio per se, & secundum se est perfecta, ergo nostra, vel nulla est, vel superuacanea est.

Cæte-

Veritas non ijs angustijs cõtinetur, quibus vanitas.

Vt non sequitur: Deus quiduis per se efficere potest, nulla ergo secundaria causa necessaria est: Ita quoque non sequitur, Satisfactio Christi sufficiens est, ergo nostra inutilis est.

Ceterum vt hęc satisfactoriarum actionum Christi ratio, eiusdemq; plenitudo planior habeatur, obseruandum est vtrunq; bifariã considerari posse: Vno modo secundum se absolutè: altero modo relatè, & in ordinem ad alterum, quatenus nimirum homini applicatur, vel applicari eidem potest. Iam si secundum se absolutè illam species, alterius ope nulla ex parte indiget, vt quę per se infinitè efficax existat. Verum si eandem consideres, vt huic vel illi reipsa applicatur, nec infinitè, nec certò, nec equaliter agit, sed definitè, incertò, & inæqualiter, prout media, quibus ea ipsa applicatio fit, sunt apta; & illi præterea, per quos & quibus ea applicatur, ritè conuenienterq; sunt dispositi.

Vnde quòd satisfactiõis Christi robur suo fine non infrequenter frustretur, id inde non prouenit, quòd ipsa secundum se sit infirma: (est enim secundum se potèntissima, & ad efficiendum efficacissima) sed quòd media, per quę eiusmodi applicatio contingit, vel per quę ipsa operatur, neglecti vel etiam despectui habeantur; vel certè quòd ea ipsa vitiosè, vel vitiosis, vel ab illis, penès quos ea facultas non existit, adhibeantur. Causa enim, quãrumlibet per se potens & efficax est, nihil efficit, nisi applicata. Sed nec applicata quoq; aqua semper parte efficit, sed secundum applicationis modum, eiusq; cui & per quem applicatur, qualitatem & dispositionem.

Quod dicimus, in naturalibus ad sensum patet: Constat enim Solem quoduis corpus reterege, suaq; luce perfunde. re posse: attamen si oculum clauseris, aut domus, in qua agis, fenestras rimasq; omnes obstruxeris, aut corpus aliquod opacum inter te & ipsum interposueris, lucis illius beneficio nequaquam poteris: non quòd hoc ipse beneficium impertiri tibi non possit, sed quia oblatum studio repellis. Sic quoque iustę quantitatis ignis, si modò accedere non graueris, caloris sui participem te reddere quiuerit: verum si id recusas, nulla est causa cur ignis infirmitatem incuses.

Porrò in Spiritualibus & transnaturalibus ea in efficiendo

q 3

dispa-

Christi satisfactio secundum se absolutè est infinita, in ordinem autè ad alterũ finita.

Cur Christi crux in multis in efficacis sit, causę multę.

Causa non operatur, nisi applicata.

Quòd Sol nõ omnia illuminat, id ex illius vitio nõ prouenit, sed ex obice obiecto.

disparitas non est vsque adeò clara, at certa tamen ratione ostendi potest. Nam si virtus diuina, vel Christi Redemptoris gratia, æqualiter operaretur in omnibus, omnes vtique essent æquè sancti, æquè iusti, æquè potentes, æquè sapientes. Sed nec vlla quoque, eo admissò principio, in triumphanti, vel militanti Ecclesia Hierarchia existeret: ea enim necessariò ponit ordinem & disparitatē. Satisfactionis itaque Christi beneficium vtiliter participaturus, media & necessarias dispositiones adferat necesse est. Non quidem propter satisfactionis ipsius infirmitatem, sed propter communem ipsi cum ceteris agentibus conditionem, indemutabilemque Dei Opt. Max. ordinationem. Vult enim ille, cum ad declarandam suam sapientiam & maiestatem, tum ad amplificandam quoque producta à se nature dignitatem, quæ nullo negotio ipse per se efficere poterat, per causas medias, & creaturarum synergias efficere.

Sic solum foecundat, sed per pluuiam & culturam: ægros sanat, sed per medicum & medicinam: homines & oppida feruat, sed per fidam Angelorum & militum custodiam: cæcum illuminat, sed per saliuam, puluerem, ac Siloes fontem: Naaman Syrum à lepra repurgat, sed per septenam in Iordanis flumine ablutionem: vnigenitū filium suum orbi manifestat, sed per Ioannis Baptistæ & Apostolorum prædicationem: Paulum ad se conuertit, sed per protomartyris Stephani intercessionem: genus humanum à peccati seruitute liberat, sed per dilecti filij sui mortem: Sic denique impium iustificat, sibi que conciliat integrè, sed per interiorem exterioremque poenitentiam. Vtraque enim ad perfectam peccatorū remissionem est necessaria, quanuis altera non semper.

Atque huc eos alludere certum est, qui Christum in causa, non in effectu; sufficienter, non efficienter; antecedenter, non consequenter, pro omnibus mortalium omnium peccatis satisfecisse tradunt. Preparauit enim ille sufficientia & idonea humane salutis media ac remedia, per hæc tamen ille non sanat, neque iustificat, nisi ægri, in quorum gratiam comparauit,

Christi meritam participationem, dispositionem huc adferat necessarium est.

Deus plerumque per media operatur.
Ioan. 5.

4. Reg. 5.

Ioan. 1.
Matth. 3.
Luc. 3.
Acto. 7.
August.

Quò tendat, qui Christum sufficienter, non efficienter pro omnibus fecisse satis, dicunt.

uit, per se, aut per alios illa opportunè conuenienterque sibi adiungant, ac in se transfundere studeant.

Ex his palàm fit Aduersariorum collectionem nullam esse penitus; vt qui imperitè cōtra omnem rationem, ratiocinandi que legem, à parte vna argumentētur ad totum, in hunc ferè modum: Ad plenam peccatorum nostrorum remissionem nihil amplius deprecatur ex parte Christi, ergo nihil amplius deprecatur simpliciter. Est enim illud omnino falsum & ineptum. Nam præter fidem & Sacramenta, ex parte nostra requiruntur alia multa. Quemadmodum etiam ad corporis sanitatem non sat est, adesse efficacia pharmaca, peritos medicos, expeditos ministros: sed necessarium præterea est, vt eger ad medici præscriptum pharmaca hauriat; corpus, si opus id fuerit, exerceat; & reliqua omnia, quæ hîc obseruata oportet, diligenter obseruet.

Tertium eorundem argumentum.

At vt argent nihilosciscius: Si præter fidem, qua Christum nostri causa passum & mortuum apprehēdimus, alia adhuc opus est satisfactione, cur ergo Saluator noster Magdalena, paralytico, Petro, Latroni, ceterisque, quos ille, vel sanauit, vel iustificauit, nulla satisfactionis onera imposuit? Cur Scriptura filiū Dei omnes languores nostros portasse, ac ab omni peccato, legisque maledicto nos liberasse asserit? Cur eadem tam præclara de ijs, qui Christo per gratiam in corporati sunt, proponit? Nihil, ait, damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu. Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Qui etiā proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis *χαρισματα*, hoc est, gratis donabit? item: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Cur demū Apostolorum princeps, Ioannes Baptista, Michæas, Ezechiel, Ambrosius, Chrysostomus, & alij præterea complures poenitentiam tantum, & nouam vitam à peccatore exigunt? Hæc enim, inquit illi, & alia multa his similia, cum satisfactionum nostrarum

Secularij argumentantur à parte ad totū.

Luc. 7.
Matth. 9.
Marc. 7.
Luc. 5.
Luc. 23. 24.
Esa. 53.
Matth. 8.
1. Pet. 2.
Gala. 3.

cc Rom. 2.

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

frarum lege adeò nihil congruunt, vt apertè quoque cum ea pugnare videantur.

Solutio tertij argumenti.

Aduersarij
multa simul
congerunt, &
quoddã quo-
que falsa po-
munt.

Hæc argumentatio multa simul cõgerit, ad quæ vna simul opera commodè responderi non potest: & vnum nihilominus tanquam certũ ponit, quod omnino est incertũ, imò verò est apertè falsum, puta Christi œconomiam per fidem apprehensam sufficientem integrè reconciliationis nostræ causam esse. Quandoquidẽ si ea sola fides, vel ea sola apprehensio, qua Christum vel mei, vel alterius cuiuscunq; causa passum, mortuum, ac resuscitatum animo cõcipio, per se sat esset, nulla opus foret spe, aut charitate, nulla pœnitentia, aut peccati detestatio, ne, nullo denique Sacramento, aut vilo omnino alio externo internòve salutis adminiculo. At hæc omnia sunt vana, & quæ serìò confutentur prorsus indigna.

His igitur veluti insulsis posthabitis, ad primum argumentationis membrum, (nam quò de eorum infirmitate constat apertius, in singula seorsum inquirere visum est) paucis respondemus: Si Matthæum publicanum, si Magdalenam peccatricem, si Latronem serò quidem, serìò tamen pœnitentem, si alios nonnullos citra iniunctã externorũ operum satisfactionẽ à Christo susceptos legeris: ideo susceptos intelligas, quia iam tum primùm per fidem & charitatem mystico illius corpori inferebantur, neque vi aliqua Sacramentali, sed absoluta suscipientis potestate, à peccatis absoluebantur. Sed & plerique eorum quoque tam ardenti studio, dilectionisque feruore in Deum, tantoque ac tam incenso odio animiq; dolore ferebantur in peccatum, vt plena euestigio peccatorum omnium remissione potirentur. Neque enim externa illa operum satisfactio necessarium locum habet semper, sed tum demum, cum peccator remissius, quàm par est, admissum scelus detestatur.

Petrus &
Magdalena
vtrorũ Satis-
factio.

Adde, Matthæum, Petrum, & Magdalenam ad vltimũ vsque vitæ spiritum vtrorũ pœnis impigrè se macerasse, iugibusque

que satisfactionis officijs incubuisse strenuè: Et idem de cæteris quoque suspicari licet, quanuis id sacris literis, vt alia quoque multa, proditum non extet. Vnde qui paucis hîc aduersario os obstruere vellet, dicere is posset, non sequi: Non legitur Christum Magdalenæ, aut alijs satisfactionis officia indixisse, ergo nulla illis indixit. Non enim omnia sunt perscripta, quæ Dominus fecit, & docuit. At multò verò minùs sequitur: Christus Dominus hoc vel illud non fecit, vel non obseruauit, ergo nec nos quoque, nec vllus illius minister hoc vel illud facere, vel obseruare debet. Aut contrà: Ille hoc vel illud fecit, vel obseruauit, ergo illius quoque vicarios, vel sectatores hoc vel illud facere, vel obseruare oportet. Multa enim ille fecit & obseruauit, quæ nos obseruare nullo modo debemus, vt Sabbatum & vniuersam legem Mosaicam, & alia præterea quàm plurima: Multa rursus non fecit, nec obseruauit, quæ nos tamen ille vult facere & religiosè obseruare, vt diem Dominicam, Diuorum ferias, Sacramentorum ritus, & formas, & plurima id genus alia.

Illud porrò Esaïæ oraculum, Ipse dolores nostros tulit, & languores nostros portauit: Euangelista Matthæus ad omni-
genas corporum ægrotudines, præpotenti illius virtute subla-
tas & profligatas, diferta oratione refert. ait enim: Vespere
autem factò, obulerunt ei multos dæmonia habentes: & eij-
ciebat spiritus verbo: & multos malè habentes curabat, vt ad-
impleretur quod dictum est per Esaïam prophetam, dicentem:
Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras por-
tauit. Sed sit sanè animorum & corporum medicus ex æquo:
imò verò eò verior nobiliorque animorum, quàm corporum
medicus, quò anima corpore est præstantior, hoc enim infici-
ari, nec volumus, nec possumus. Veruntamen vt communi le-
ge corpora simpliciter per se non sanat proximè, sed præfina-
ta quadam ratione, puta medicamenta & medicos præpa-
rando, ijdemque vim & energiam impertiendo, sanitatis de-
siderium & obsequendi studium in ægroti pectore excitando,

Nò quicquid
Christus ob-
seruauit, hoc
nos obserua-
re, aut nò ob-
seruari debe-
mus.

Esa. 53.

Matth. 8.

Vt Deus cor-
pora non sa-
nat citra me-
dia, ita nec a-
nimos quo-
que.

r salubria

salubria consilia suggerendo &c. ita quoque animos spiritali vulnere confauciatos plerunque per se proximè, cæteris omnibus seclusis, nō sanat, nec sanctificat; sed per certa quædam præfinitaque media & organa, quæ proinde si obstinatè contempnas, aut otiosè negligas, nō est quòd ex spiritali morbo aliquando reualiturum te speres.

Verùm quòd cœlestis medicus per pœnitentiam, vel Sacramenta, vel alia quæcunque huc pertinentia, nos sanat, vel sanctificat, illud non impedit, quò minùs ille languores nostros verè portasse dici queat. Nam & vires, quibus nos portamus, subministrat, & in nobis existens vnà nobiscum portat; vel ipse, si ita loqui lubet, per nos tanquam caput per membra portat. Quî autem id fiat, breuiter sic habeto. Vniuersus fidelium cœtus, quam Ecclesiam appellamus, veluti quoddam perfectum, suisque partibus & numeris absolutum corpus, ex capite & membris conflatur. Caput illius est Christus, membra eiusdem sunt fideles omnes, & inter eos illi potissimum, qui per fidem & charitatem illi incorporati sunt. Iam vt in corpore humano, quæ capitis sunt, tribuuntur membris; & vice versa, quæ membrorum sunt, tribuuntur capiti: (Nec enim pes, vel manus icta, cur me cædis, inquit, sed pedis, vel manus loco caput de iniuria conqueritur) ita & in hoc mystico quoque corpore, quæ sunt Christi propria, tribuuntur membris, hoc est, illius domesticis & familiaribus; & contrà, quæ fidelium sunt peculiaria, ea adscribuntur Christo capiti.

Exemplo vno aut altero, quod dicimus, planum fiat. Clamat Christus: Saule Saule quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Hic sanè Saulus non sæuebat in caput, sed in membra: & tamen caput iniuriam membris illatam in se traducit, ait enim: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. & alio item loco: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. item: Quod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis. Cognatū his est illud Mo-

saicum:

Christus per nos portat, & nos vicissim per illum.

Vniuersus fidelium cœtus vnà cū Christo constituit vnum mysticum corpus.

Quæ membrorum sunt, tribuntur capiti, & contrà.

Act. 9.

Luc. 10.

Matth. 25.

saicum: Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum. & illud primi Regum: Audiui vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, negentem super eos. Hoc tamen interest, quòd hic loquatur Deus Trinitas, ibi Deus homo.

Huc pertinet & illud Apostoli quoque: Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionibus Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. Hic Paulus disertè tradit se pati pro Colossensibus, atque adèò pro vniuersa Ecclesia: rursum, deesse quippiam passionibus Christi, quod per se pro mystico illius corpore expletū oporteat. Atqui in confesso est, Christi passionibus, si secundum se spectentur, nihil quicquam deesse. Iam enim olim omnis passionis illius mensura plenissimè consummata est per crucem. Deest tamen illis, & quidem, vt credibile fit, non parum deest, prout is quotidie in suis membris affligitur, persecutionemque patitur, & in mortem crucemque rapitur. Verba itaque Apostoli, quæ prima fronte non nihil obscuritatis præ se ferre videri poterant, hunc sensum habent: Agnus ille, qui in membris suis ab origine mundi occiditur, varijsque modis quotidie infestatur, & cruciatur, in nondum perfectè perpassus & crucifixus est. Quid ita Paulus? Quia passionum mensuram à Deo mihi præfinitam nondum expleui, sed quotidie explere contendo, & expleo, & in hoc gaudeo.

Eadem illâ capitis & membrorum, operumque eorundem inter se *κοινωνία* Apostoli, legitimique eorundem successores appellantur lux mundi, sal terræ, fundamenta Ecclesiae, & aliud quiduis istiusmodi. Iam si Christi familiares vnà cum ipso & per ipsum Ecclesiae fundamenta locant, mundi tenebras doctrinæ suæ radijs illustrant, ipsumque mundana sapientia infatuatum cœlesti sapientia condiunt, & ab interitu vindicant; si vnà rursum cum ipso & in ipso patiuntur

Matth. 5.

Christi passioni secundum se nihil deest: deest tamen aliquid illi, prout is patitur in suis membris.

Colos. 1.

Exod. 16.

1. Reg. 8.

Nō est maius, tur & moriuntur, & ipse vicissim in illis & cum illis affligitur, & crucifigitur: quid mirum est, si vnā cum ipso mereantur & satisfaciant? & ipse vicissim cum illis & in illis?

Cū in eadem deinde argumentatione subiungitur, Christum à peccato & legis maledicto gratis nos afferuisse, id subiungitur, quod ad sensum antè expositum gratis conceditur: sed ea interim cōcessio catholicam veritatem, quam isti impugnant, non infirmat. Siquidem ea à peccatis liberatione, copiosaque Christi Domini nostri redemptione non obstante, multa subinde mortalium millia ad orcum descendunt: non quòd is pro istiusmodi non satisfecerit, aut sanguinis sui precium non obtulerit: Quauis non eò prorsus modo id fecerit, quo pro electis; nam aliās & ipsi quoque, qui nunc perent, salutem consequerentur: sed quòd ea omnia, quæ ad vitam & salutem omnium ab ipso prestata oportebat, plenissimè, perfectissimè, sufficientissimeque prestiterit.

At dices forsā, eam satisfactionem perfectam dici nō posse, nedum perfectissimam, quæ simul non sit efficax, patet. Nam, aut precium pro eo, qui debebat, integrè numeratur, numeratumque tanquam verè iustum in solutum simpliciter admittitur; ac tum satisfactio non solū sufficiens, sed efficax quoque censenda est: Aut neque re ipsa dependitur, neque re ipsa quoque à creditore admittitur; & sic neutrum verè dici potest. Non sufficiens, quia actu nihil quicquam numeratum est. Nec rursus efficax, quia nihil reapse redemptum, aut liberatum est. Atque ita Christum Deum ac Dominum nostrum pro omnibus efficaciter fecisse satis, aut certè pro omnibus simpliciter non satisfecisse, sed quadā tantum ex parte.

Ad hoc paucis responderi potest, Scripturas vtrunque affirmare, nempe Christum pro omnibus fecisse satis, & rursus pro multis, non etiam pro omnibus fecisse satis. De multis concionatur illud Ioannis: Ego pro eis rogo. Non pro mundo

rogo

rogo. & infra: Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum illorum in me. & illud Marci: Hic est sanguis noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. & illud Matthei: Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. & illud Pauli: Quem admodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatu est ad multorum exhaurienda peccata. De omnibus porro illud eiusdem Pauli agit: Speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium, maximè autem fidelium. rursus: Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. demum: Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus. Cū ergo Spiritus sanctus, qui in Scripturis loquitur, secum non pugnet, certò statuendum est Christum Dominū vno quidem modo omnium Seruatorem & Redemptorem esse: alio autem non omnium, sed tantum multorum, vel aliquorum: hoc quidem secundum efficientiam, illud verò secundum precij magnitudinem & sufficientiam.

Cur non pro omnibus secundum efficientiam? Quis hoc certò absque certo Spiritus sancti magisterio diffinire audeat? probabiliter tamen dici potest Christi mediatoris partium fuisse, copiosam redemptionem, cumulatamque salutis precium cœlesti patri pro vniuersis offerre, & interim secretæ illius dispositioni, iustissimæque eiusdem voluntati liberum relinquere, quibusnam illud secundum æternam illius prædestinationem efficaciter vellet applicare, quantumque inde vnicuique vellet adiungere: ad quam vtique prædestinationem in electis explendam potissimum in mundum venerat, & mortem sustinuerat. Vnde quòd hic paruulus Baptismi gratia suscepta saluatur, ille contrā eodem Sacramento frustratus à regno excluditur, extorrisque efficitur, id nequaquam prouenit ex satisfactionis Christi infirmitate; sed ex arcana cœlestis pa-

Ioan. 14.

"

Marc. 14.

"

Matth. 20.

"

Heb. 9.

"

1. Tim. 4.

"

Heb. 2.

"

2. Cor. 5.

"

Christus omnium Seruator secundum precij magnitudinem, multorum autem secundum efficientiam.

"

Christus præcipue electorum causa homo factus & mortuus est.

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

tris electione, vel iusta eiusdem permissione. Idem & de adultis quoque dici posset, nisi quod hi sua plerunque culpa meritorum Christi participatione & fructu priuentur.

Porro autem an satisfactio secundum precij magnitudinem & sufficientiam tantum, non etiam secundum efficientiam exhibita, vere proprieque satisfactionis appellationem promereatur; rursus, Christus ne pro omnibus fecerit satisfactio actum dependendo, an illud tantum preparando, futuręque solutioni destinando, id anxie inuestigare, prolixęque hoc loco disputare, nullum est operę precium: Sat nobis sit, vtrumque citra salutis periculum posse nesciri; & vtrumque rursus citra temeritatem posse defendi. Veruntamen si cui defendere lubeat, Christum Redemptionis precium non solum comparasse, sed actu quoque illud pro omnibus numerasse, & patrem vicissim illud acceptasse: is sanè tueri non debet, hunc absolutè absque vlla omnino conditione pro omnibus illud acceptasse, & illum item absolutè pro omnibus illud obtulisse: nam aliàs aperta illis iniuria fieret, qui actu à peccato & legis maledicto non liberarentur: sed certa tantum lege & conditione: qua proinde non extante, Christi satisfactio, precijque numeratio, inefficax & inualida efficitur. Nobis interim eorum opinio magis probatur, qui Christum Dominum salutis nostrę precium tantum preparasse, vel comparasse tradunt, non actu quoque illud numerasse, hoc est, omnibus & singulis applicuisse: atque ideo nobis omnibus pro eius applicatione obnixè rogandum, seduloque enitendum & elaborandum esse.

Rom. 3. Illud porro, Nihil ergo damnationis his, qui sunt in Christo Iesu: non de quibuslibet Christianis promiscuè differit, sed de illis potissimum, qui Baptismi Sacramento initiati, non secundum carnem ambulabant, sed piè innocenterque vitam tra-

ducebant. Quibus addi quoque potest, damnationis vocabulum in istos proprie non conuenit. tribui non solere, nec satis proprie quoque tribui illis posse; sed

solis

solis iniustis & sceleratis, quanquam ne illis quidem omnibus, neque simpliciter, vt notum est. Quamobrem damnationis expertem, & poenis nihilominus quibusdam obstrictum esse, inter se non pugnant. Quod si illud ipsum poenarum vinculum ad aliquis damnationis rationem pertinere omnino contendat, adhuc quę dicta sunt, integrè sibi constant. Nam qui sunt in Christo Iesu, neque iam amplius secundum carnem ambulant, hi sanè, si vel mediocre studium adhibuerint, nullo ferè negotio vinculum illud dissoluerint: Deus autem non otiosos, aut ignavos milites postulat, sed impigros, & in opere strenuos.

Paris notæ est alterum illud ex eodem capite petitum, putata: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Siquidem hoc ipso Deus Opt. Max. non contra nos, sed pro nobis agere existimandus est, quod vitia nostra non omnino dissimulat, sed paternè castigat, & nonnullis interdum verberibus expiat. Quis illum enim parentem contra filium, aut maritum contra uxorem, aut doctorem contra discipulum, aut dominum contra seruum agere dicat, qui exorbitantes, aut dicto minus parentes, molli obiurgatione, aut leui quoque castigatione in viam, expeditamque obedientiam reducere laborat? Mitto hinc Apostolum, illud: Si Deus pro nobis, quis contra nos? item illud: Quis accusabit aduersus electos Dei? non contra operum satisfactionem, sed contra capitalem generis nostri hostem, inferorumque principem ex professo efferre.

Ad illud autem, quod in eodem illo capite sequitur, nempe: Qui proprio filio suo non pepercit, quomodo non omnia donabit nobis cum illo? paucis responderi potest, Qui filium vltro citra vllum nostrum meritum donauit, donaturum & cetera quoque ad salutem necessaria, modò tamèn ea pro virili prestare non pigeat, quę ipse per Apostolos & Prophetas seriò à nobis efflagitat. Quod si absq; omni opera & industria nostra, omnia simpliciter nobis donata forèt, omnes

Quæstionem
habet, Satisfactio
ne tantum
sufficiens, propria
satisfactio
appellatione
promereatur.

Probabilius
fit, Christum
precium tantum
preparasse, non etiam
actu numerasse,
vel applicuisse.

Rom. 3.

Damnatio
vocabulum
in istos
proprie non
conuenit.

cc Rom. 2.

Nō ob id Deus
nobis aduer-
satur, quia
vitia nostra
castigat, casti-
gandoque
expiat.

cc

cc

cc Rom. 8.

cc

Qui dedit
filium, donabit
cetera omnia,
si nobis non
desuerimus.

omnes & singuli omnem fortirentur gratiam, tam gratum facientem, quàm gratis datam: quippe cùm multò plus sit, donare filium, quàm aliud quodcunque infra Deum positum. Et tamen ob oculos videmus non quamuis gratiam cuius obtingere; sed huic illam, alteri alteram, quibusdam præter communem omnino nullam. Non ergo sat est filium nobis natum vel datum esse, nisi illud quoque præstetur, quod à nobis præstitum oportet, & quod ille à nobis postulat.

Demum cùm addunt, Apostolorum principem, Ioannem Baptistam, Michæam, Ezechielem, Ambrosium, Chryso-
Secularij patris suum æmulati impudenter mentiuntur.
 mum, & alios præterea ex Patribus nonnullos, nulla operum facta mentione, tantùm poenitentiam & nouam vitam à peccatore exigere, patrem suum æmulati impudenter mentiuntur. Nam ad Apostolum Petrum quod spectat, is in vtraque sua Canonica non solùm poenitentiam à Christi fidelibus requirit, sed seriam quoque carnalium desideriorum mortificationem, strenuamque eiusdem emulationem; tum patientiam quoque, & subiectionem, ac omnimodam virtutum omnium perfectionem. In Actis solam poenitentiam & fidem exigit, sed id à Iudeis Christi mysterijs nondum initiatis, non à Christianis post susceptum Baptismum innocentia naufragium passis.

Pari modo sacer Baptista Domini non solùm poenitentiam, vitæque emendationem auditoribus suis grauiter inculcat, sed bonorum quoque operum fructus ab iisdem efflagitat. Nunc, inquit, securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & ignem mittetur. item: Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. rursus: Genimina viperarum, facite fructus dignos poenitentis, & nolite dicere, Patrem habemus Abraham &c. Militibus & publicanis ad se venientibus, nulla satisfactionis facta mentione, rectam tantùm viuendi formam præscribit, hanc enim solam illi ab eo expetebant. Sed nec opus quoque erat vt vllam eius rei mentionem

tionem faceret: iam enim vniuersè tradiderat, quid peccatoribus ad salutem anhelantibus opus esset factò. Mitto hinc prædicasse Baptismum poenitentia in remissionem peccatorum. Baptisma autem ritè administratum omnem simul culpam & poenam absomit: poenitentia verò satisfactionem, vt integram sui partem, includit.

Ezechiel non solùm cordis conuersionem ab impio & peccatore exigit, sed iudicium quoque, & iustitiam, & præceptorum obseruationem, & alia præterea quædam, sine quibus hæc integrè non constant, ait enim: Si impius egerit poenitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Atqui satisfactio non ignobile iustitiæ membrum existit: nam nisi læso feceris satis, neque iustus, neque præcepti obseruans eris. Et posito, ne obscuram quidem satisfactionis mentionem hinc fieri, non ideo tamen sequitur, vel nullam esse, vel ad salutem necessariam non esse. Quandoquidem propheta nullum ibi de fide, aut spe, aut charitate, nullum de alijs plerisque virtutibus verbum expressè facit, quæ omnes tamen ad vitam æternam obtinendam simpliciter necessaria censentur.

Eodem modo occurri illis potest, quæ ex Michæa in hunc locum adferunt. Certum est enim, dum ille ait, Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare coram Deo tuo. externam operum satisfactionem non infirmare, sed stabilire. Nec enim aliud est, iudicium facere, quàm vltionis poenis iudicium, hoc est, supplicia & animaduersiones Dei, anteuertere: misericordiã diligere, quàm in charitatis, & pietatis officijs strenuè sese exercere: sollicitè coram Deo ambulare, quàm in mandatis eius inoffenso pede incedere, atque adeò de propitiato peccato secundùm Sapientis consilium per omnia securum non esse.

Quid Ambrosius, Chryso-
 stomus, cæteri-
 que Græci & Latini do-

Ezechiel non solùm gemitum, sed operum quoque satisfactione deposcit. Cap. 18.

Cap. 6.

Non cuius quæuis gratia obtingit.

Secularij patris suum æmulati impudenter mentiuntur.

Cap. 5.

Luc. 3.
 Matth. 3.
 Ioan. Baptista non solùm respicientiam exigit à peccatoribus, sed dignos quoque poenitentia fructus.

Serm. 46. de
pœnitent.

ni doctores de nostris satisfactionibus sentiant, id prolixè explicatum est iam antè. Neq; ea infirmare censendi sunt Chryso-
stomus & Ambrosius, dum hic Petri lachrymas se legere profitetur, satisfactionem autem eiusdem non item: ille verò, Deo sat esse, si à peccatis desistamus. Nam Ambrosius satisfactionis vocabulum pro iniuriarum compensatione (quo sensu plurimum vsurpari consuevit) hîc non vsurpat, sed pro forensi inficiatione, obiecti ve criminis purgatione. Quomodo post Marcum Ciceronem & alios Latinos scriptores eandem hâc vocem alicubi vsurpat Apostolus quoque, ait enim: *Act. 24.* Bono animo pro me satisfaciam, hoc est, crimina falsò mihi imposita intrepidè refellam. hoc enim sonat vox ἀπολογία, qua Apostolus vitur.

Act. 24.

Dicit itaq; Ambrosius, Petri lachrymas lego, eiusdè autem satisfactionem, hoc est, ἀπολογία, vel excusationē, aut inficiationem non lego. Vnde paucis quibusdam interiectis statim subiungit: Rectè sanè fleuit, & tacuit: quia quod defleri solet, id excusari non solet: quod defendi non potest, fletibus ablui potest. At verò Chryso-
stomus præcipuam tantùm reconciliationis causam attingit, quæ tamen, si integra est, satisfactionis expers non est. Siquidem verè, & ex animo à peccatis desistere, est peccatorum causas excindere, eisdemque aditum nō præbere, hoc est, veterem Adamum cum vitijs & concupiscentijs suis exuere, Deoq; debitum honorem reddere: hæc autem, & alia id genus præstare, aliud nihil est, quàm Deo pro peccatis satisfacere.

Quod defendi nō potest, fletibus ablui potest.

A peccatis serio desistere, est peccatorum causas excindere.

Quartum argumentum.

Argumentatur & in hunc quoque modum: Cuius in vniuersa Scriptura nullum extat vestigium, nullum omnino symbolum ne obscurum quidem, illud homines sana Euangelij doctrina probè instituti admittere nō debent: maximè verò, si illud ipsum Christi gratiâ & satisfactionē, quæ per fidē nobis communicantur, vehementer obscuret, & verum Dei cultum foedè contaminet, & Christianam libertatem multùm infirmet,

met, & rudioribus tandem non leuem errandi occasionem subministrat. Atqui satisfactiones, quas in Papatu adhuc errantes confingunt, sunt eiusmodi: nullo itaque modo nobis probari possunt.

Solutio quarti.

Et hæc quoque hydra pluribus simul capitibus insurgit, sed omnibus prælanguidis, maleque inter se confutis. Nam vt ex ijs, quæ fusè iam antè exposita sunt, palàm est, diuinę literæ non solum fidem, & nouam vitam à sceleratis & peccatoribus exigunt, sed pœnitentiam quoque & vltionem peccatorum scelerum vindictam. Scriptum extat enim: *Con-^{cc} Ezech. 18.* uertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. item: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter *Luc. 13.* peribitis. rursus: His, qui sunt Damasci primùm, & Hierosolymis, & in omnem regionem Iudææ, & gentibus annunciabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad *Act. 26.* Deum, digna pœnitentię opera facientes. Hîc sanè præter fidem, & pœnitentiam interiorē, digni quoque pœnitentię fructus expetuntur: quodcunque tandem dignorum fructuum nomine accipere lubeat.

Exiguntur ijdē & alijs quoque locis non infrequenter. *Qui,^{cc} Ephes. 4.* inquit Apostolus, furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti. Hîc sanè clarè edocemur ad explendam perfectæ pœnitentię rationem non sat esse à rapina desistere, malis artibus parta restituere; sed opus præterea esse, vt ex proprijs quoque legitimeque partis liberaliter erogemus. Cuius legis non ignarus Zachæus, ad Dominum ita aiebat: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudauit, reddo quadruplū. *Quod,^{cc} Luc. 19.* autem Apostolus de furto hoc loco tradit, hoc ipsum & de alijs quoque vitijs, contrarijsque eorundem virtutibus accipiendum est: *Quem enim verè pœnitet, eum singulis vitijs singularas oppositas virtutes obijcere oportet. Aliena, inquit Chry-^{cc} Ad c. 3. Math.*

Qui exigit pœnitentiã, exigit ea omnia, sine quibus perfecta pœnitentiæ ratio non constat.

In veteri Testamento multum extant nominum Satisfactorum typi. *Leuit 4 5. 6. & alibi.*

Res Satisfactionis nomine designata in utroque Testamento extant, ipsum autem vocabulum non item.

softomus, rapuisti? incipe donare iam & propria. Longo et tempore fornicatus? à legitimo quoque usu suspendere coniugij. Iniuriam opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conuicijs, &c. Et ut isthęc seorsum non exigentur, hoc ipso tamen exacta intelliguntur, quòd exigitur serua pœnitentia. Quicumque enim exigit pœnitentiam, is exigit ea omnia, sine quibus veræ pœnitentiæ ratio non constat.

Sed & falsò quoque asseritur, nullum in testamentarijs Scripturis Satisfactionis nostrę symbolum extare. Constat enim omnia illa veteris instrumenti sacrificia, quæ in diuerso forum peccatorum expiationem diuersæ conditionis hominibus à Deo Opt. Max. præfinita offerebantur, expressum nominum Satisfactorum typum gessisse. Sed & clarè quoque easdem adumbrabant pœnæ illæ & molestiæ, quas Dauidem, Moysen, Aaronem, & alios penè innumeros post culpam condonatas pertulisse legimus. Quin & grabata illa, quæ post acceptum sanitatis beneficium noui Testamenti paralytici Christi voce baiulare iussi sunt, aliquid quoque eiusmodi minime obscure præ se ferebant. Erat enim eiusmodi deportatio non solum molesta, sed in partem quoque probrosa.

Quòd si symboli nomine non umbram, aut typum rei, sed vocis tantum accipiunt, ne plurimum ineptiunt, & præcipua nihilominus fidei nostræ mysteria in dubium adducunt. Nusquam enim in testamentarijs Scripturis occurrit vocabulum hoc Trinitas, nusquam persona, aut personalitas, nusquam *ὁμοούσιον*, aut consubstantialitas, nusquam multa alia eiusmodi, quæ æquè credimus, ac cætera, quorum nomina ibidem prodita sunt. Quauis ergo vox hæc, Satisfactio, in diuinis literis sub ea saltem notione, qua hinc usurpatur, non extet: res tamen, quam satisfactionis voce denotamus, passim istuc occurrit. Nam quid aliud est Deo satisfacere, quàm opera pœnitentię digna edere? membra, quibus iniquitati & immunditiæ seruieras, in sanctimoniam & iustitiæ ministerium ex animo

con.

conuertere? te ipsum insipientiæ cum patientissimo Iob reprehendere, pœnitentiamque in fauilla & cinere cum eodem agere? stratum tuum lachrymis cum sanctissimo Dauide per singulas noctes rigare? aliaque id genus pietatis officia cum pluribus vtriusque Testamenti Sanctis obire?

Cùm verò Christi gratiam, eiusdemque satisfactionem, nec non & verum quoque Dei cultum per nostras satisfactiones obscurari asserunt, aliud nihil agunt, quàm quòd illustres cæcitas suæ testes proferunt. Constat enim cœlestis gratiæ vim, diuini que cultus splendorem in eo vel maximè positum esse, ut veteri homine mortificato, spirituique subiugato, nouus in fide, spe, & charitate, hoc est, in omni iustitia & sanctitate seruiat Deo: idque non in vnum aut alterum diem tantum, sed vsque ad supremum vitam spiritum. Atqui si vetus homo vsquam salubriter domatur, vtiliterque exercetur, ac Deo subiugatur, hinc profectò saluberrimè vtilissimeque exercetur & subiugatur. Nam ne per carnis concupiscentiam immoderatus insurgat, contunditur hinc ieiunijs, vigilijs, alijsque corporis molestijs carnisque castigationibus. Ne verò immodica habendi siti nimium ferueat, nimiaque oculorum concupiscentia nimium sese effundat, larga in egenos erogatione cõprimitur, & quasi intra recti limites continetur. Ne autem per superbiam se efferat, per humilem ad Deum precationem, suæque infirmitatis & inopiæ iudicationem intra modestiæ metas cohibetur. Atque ita vnica seriæ satisfactionis exercitatione totus quodammodo homo cum omnibus, quæ in ipso existunt, diuino cultui mancipatur, certa que quadam ratione eidem consecratur.

Præterea quod ad vitæ exemplum, morumque disciplinam in Ecclesia conseruandam, nec non tuendam pietatem plurimum conducit, id sanè verum Dei cultum, aut eximium illud Redemptionis nostrę beneficium non eleuat, sed cõmendat & auget. Atqui, ut Sectarum antesignani fatentur, humanae satisfactiones non solum publice, verum etiam priuatæ, ad

f 3

omnia

Præcipuus Dei cultus in iustitia & sanctitate positus est.

Per Satisfactionis officia totus quodammodo homo diuino cultui consecratur.

Satisf. nostræ conferunt pietatē, morumque integritatem.

omnia hæc oppidò conferunt: nullo itaque modo eiusmodi satisfactiones Redemptionis beneficio aduersantur. Quin & alia quoq; ratione phanatica hæc doctrina refelli potest. Euidens est Deum Opt. Max. satisfactionis officia à peccatoribus exigere: at fieri nullo modo potest, vt vel ipse, vel Ecclesia quoq;, quæ diuino Spiritu regitur, id ab homine exigat, quod, aut Christi gratiæ tenebras offundat, aut verum quoque religionis studium peruertat.

Subordinate
dynastiæ mo-
narchiæ rati-
onem nõ dif-
soluunt.

Denique vt inferiores dynastiæ, tametsi variæ & inter se disiunctæ, dummodo tamen omnes & singulæ ab vno quopi- am summo principe tãquam à prima causa vel regula dependen- deant, monarchiæ rationem non infringunt, neque maiesta- tem eius imminuunt: Et vt varia artis cuiuscũque instrumen- ta, variaque eiusdem ministeria artis vnitatem non distrahunt: vt quæ omnia ad vnum principium referantur, in eundemque scopum colliment omnia: Et vt læti fructus arborem, vnde dimanant, non infamant, sed ornant, eiusdemque bonitati te- stimonium perhibent: Et vt Lunæ, ceterorumque astrorũ lu- men, Solis venustatem, licet totum illud ab vno hoc fonte ca- dat, non obfuscatur: ita nostræ quoque satisfactiones (quæ co fe- rè modo se habent ad Christi gratiam & satisfactionem, quo se habent fructus ad arborem, artis instrumẽta ad artem, Lu- næ ceterorumque astrorũ lux ad rutilum Solis splendorem, dynastiæ dependentes ad illas, vnde dependent) quantumlibet diuersæ, ac inter se distinctæ, satisfactionis Christi vnitatem non dissoluunt, nec eiusdem dignitatem, aut excellentiam conuel- lunt, aut vllam omnino in partem diminuunt. Omnes enim & singulæ nostræ ab vnica illa, perinde ac sensus motusq; omnis ex capite, & riuuli ex fonte profluunt, totumque quod habent robur, inde accipiunt.

Vt fructus ad
arborem, Lu-
næ splendor
ad Solem, ita
nostræ se ha-
bent ad Chri-
sti satisfacti-
onem.

Cùm autem in eadem illa argumentatione totam Christi satisfactionem per solam fidem in nos transfundi astruunt, sa- no iudicio se destitutos nequaquam tectè ostendunt. Nam si ea solius fidei vis esset, nullo (vt suprà quoque obiter annota- tum

tum est) opus foret Sacramẽto, nulla legis obseruatione, nul- la malè partorum restitutione, nullo alio externo internove salutis adminiculo. Sed & omnes quoque credẽtes cœlestem beatitudinem æqua lance participarent: siquidem magis mi- nusque firmiter credere, dummodo tamen rectè credas, fidei rationem non mutat. Consequeretur hinc quoque, infantes, qui per etatem eiusmodi apprehensiuum fidei actum habere nequeunt, per Baptismum salute non potiri. Sequeretur tan- dem, informem fidem ceteris omnibus exclusis felicẽ vitam præstare posse: Cùm tamen Scriptura disertè repugnet. Scri- ptum est enim: Si habuero omnem fidem, ita vt montes trans- feram, charitatem autem non habuero, nihil mihi pròdest. & alibi rursum: Si quis fidem habere se dicat, opera autem non habeat, nunquid fides poterit eum saluare?

In plurima
absurda inci-
dunt, qui soli
fidei iustificati-
onem tri-
buunt.

1. Cor. 13.

Iacob. 2.

Aequè infulsos se ostendunt, dum Christianam libertatem per nostras satisfactiones labefactari contendunt. Nam etsi à Christo in libertatem vocati sumus, ea tamen libertas non est facultas, aut malè agendi, aut nihil agendi: (eiusmodi enim li- bertas, vel licentia veriùs, non est Christiana, sed Sathanica & Epicuræa) sed est quædam à seruitute peccati, à tyrannide dia- boli, ab obseruatione veteris mādati immunitas. Ab his enim omnibus oneribus liberati, iustitiæ & sanctitatis serui per Chri- stum effecti sumus. Vos, inquit Apostolus, in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem detis in occasionem carnis, sed per charitatem Spiritus seruite inuicem. rursum: Liberati au- tem à peccato, serui facti estis iustitiæ. item: Nunc autem libe- rati à peccato, serui autem facti Dei, habetis fructum vestrum sanctificationem, finem verò vitam eternam. tandem: Nunc autem soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, non in vetustate literæ. Hæc sanè, & alia, quæ breuitatis studio hîc mittimus, satis indicant Christiani hominis seruitutem nõ esse abolitam, sed in melio- rem, & salubriorem commutatam.

Libertas Chri-
stiana non est
facultas ma-
lè agendi, aut
nihil agendi.

Galat. 5

Rom. 6.

Christiani ho-
minis serui-
tus nõ est ab-
lata, sed in
meliorẽ com-
mutata.

Et quemadmodum seruitus & obedientia, quam Deo & sanctis

ve Christi obediētia nō fuit obediētia, quam Deo eius que legibus debemus; ita nec illā quoque, quam humanis legibus præstare tene mur.
Luc 10.

Rom. 13.

sanctis illius legibus debemus, per summam illam Christi obedientiam non est ablata, sed confirmata: (prompta enim capit obediētia, obediētia, quam membra, vel subditi debent, non remittit, sed intendit) ita per eiusdem quoque mortem, & obediētia, & satisfactionem ea seruitus & obediētia non est extincta, quam humanis legibus, & legislatoribus præstare obligamur. Adhuc enim Christus clamat: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Vos autem, nō solum Apostolos, sed quosuis quoque alios legitimos magistratus; siue illi Ecclesiastici fuerint, siue politici. Adhuc Apostolus innat: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. & paucis interiectis subdit: Ideoque necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

1. Pet. 2.

Eodem & hæc principis Apostolorum quoque tendunt. Subiecti estote omni humane creature propter Deum: siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velut lamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Iam si seruitia vel obsequia, que principibus quibuscunque etiam infidelibus impenduntur, Christiane libertati non aduersantur: multò sanè minùs bonorum operum studium, vel vltro susceptum, vel ab Ecclesiæ præfatis in qualemcunque admissorum scelerum compensationem veluti debitum indictum, præscriptumque, iisdem aduersabitur.

Bonorum operum studium non infirmat Christianam libertatem, sed confirmat.

Denique cum satisfactiones nostras rudioribus errandione occasionem subministrare posse causantur, ob id nimirum quod, que sua est ruditas, arbitrari queant, eiusmodi satisfactiones non iudici propter poenam temporariam, sed propter culpam vel poenam æternam, æquè frigidè nugantur, ac antè. Nam

etfi

etfi opera satisfactoria ante Sacramentalem absolutionem interdum iniungantur, & olim ante eandem impensam quandoque explerentur: non ob id tamen inferri potest, culpæ aut poenæ æternæ causa iniungi, aut expleri. Quod si simplicibus quibusdam eiusmodi quippiam persuasum esset, eos illa in re, vel priuatim per Confessarios, vel publicè per Ecclesiarum rectores informare, ac corrigere oporteret: Quemadmodum & in alijs quoque, in quibus eisdem errare non infrequenter contingit. Dicuntur sanè hæc, vel illa satisfactionis opera pro peccatis imponi, sed id eo locutionis genere, quo fomes vel carnis concupiscentia appellantur peccatum; vel id, quod efficit, effectum, & vice versa.

Argumentum quintum.

Cauillantur & alio quoque modo: Agedum, inquiunt, vbinam scriptum extat, per Christi gratiam noxam & poenam æternam remitti; per Ecclesiæ autem clauis, vel nostras satisfactiones, poenam temporalem? Vbi rursum, per Baptismum omnem simul culpam & poenam abstergi, per coenam verò & absolutionem omnem poenam non item: cum vtrunque Sacramentum æquè illustres promissiones habeat in diuinis literis atque Baptismus? omnemque, qua pollet, vim & energiam æquè ex Christi morte hauriat, atque idem ille, de quo modò dicebamus, Baptismus? Vbi tandem, qui hinc pro peccatis suis non faciunt satis, eos post hanc vitam satisfactorios in Purgatorio?

Quinti Solutio.

Et hinc quoque multa simul coaceruantur, sed omnia infirma & leuia. Etenim si id tantum recipere licet, quod in sacris codicibus conceptis verbis traditum extat: non solum illustres aliquot fidei articuli in quæstionem vocabuntur, sed ipsum quoque scriptum Dei verbum. Nusquam enim hic proditum est, hoc Euangelium, vel oraculum germanum,

Nō id statim tolli debet, quod rudibus errandi ansam quouis modo præbet.

Ipse Scripturæ periclitantur, si id solum recipere licet, quod Scripturæ diserte prædicant.

t illud

illud contrà nothum vel spurium esse: nusquam, hoc volumen huius esse, istud vel illud alterius. Verùm enim uerò ne nō ab undè cauillatoribus illis satisfacisse videamur, singulis eorum cauationibus seorsum obuiam ire lubet, sed paucis.

Plurimæ Scripturæ testatū faciunt, non omnem semper poenā & noxam simul aboleri.

Quòd igitur expiato scelere, nonnullum interdum poenarum debitum reliquum fiat, id ex tertio, quarto, vigesimo, quadragesimo secundo, quadragesimo nono Genesios; ex trigesimo secundo Exodi; ex duodecimo, decimo quarto, vigesimo Numerorum; ex quintodecimo Deutronomij; ex primo Regum tertio; ex secundi Regum duodecimo, & vigesimo quarto; ex psalmo sexto, octuagesimo octauo; ex Ionæ tertio; ex Prouerborum vndecimo; ex secundo, tertio, quadragesimo Ecclesiastici; ex decimo quarto Iob; ex quarto Danielis; ex duodecimo secundi Machabeorum: ex tertio, quinto, vndecimo Matthæi; ex vndecimo Lucæ; ex quartodecimo Marci; ex nono Ioannis; ex eius, quæ est ad Romanos, sexto, vndecimo; ex prioris ad Corinthios tertio, vndecimo; ex eius, quæ extat ad Hebræos, sexto, decimo; ex prioris Petri quarto; ex secundo Apocalypsis, ex ijs deniq; omnibus, quæ tractationis huius initio allata sunt, ad eò perspicuū est, vt superuacaneum sit vel verbum ea de re amplius facere.

Non deerunt fortè, qui ideo minùs his tribuent, quòd maiorem in partem ad vetus Testamētum pertinere videri queant. Sed id ineptè, quasi uerò vetus Testamentū tantum poenitentiae & satisfactionis officia exigat, & nō etiam nouum. Aut alia nunc via aditus ad cœlum pateat, quàm olim ante Christum natum. Sunt sanè media externa, quibus ad salutis viam ducimur, vtrobique non eadem prorsus: siquidem alia veteris, alia nouæ legis sunt Sacramenta: alia rursus hinc leges & cæremoniæ obtinent, alia ibi. Via tamen, qua rectà ad Deum itur, non est propriè alia & alia. Si eos ergo peccatores, qui sub lege naturæ & Mosaica etatem agebant, non solum interior,

sed

sed exterior quoque poenitentia obstringebat: obstringet eos etiam, qui sub lege gratiæ degunt: & eò quidem arctiori vinculo eisdem obstringet, quò maiora hoc tempore Christi mysterijs imbutis suppetunt spiritalia præsidia, quàm olim Iudæis, vel alijs pijs hominibus inter gentes vitā degentibus.

De cœlestium clauium vi, earundemque in remittendis noxijs noxiarumque appendicibus energia, non est quòd vllam hoc loco disputationem instituamus. Siquidem vis hæc ex literis Euangelicis tam euidentis est, vt ne ipsi quidem Antagonistæ apertè inficiari audeant. Quid enim aliud sonant hæc Saluatoris verba: Quorum remiseritis peccata, remittuntur illis: & quorum retinueritis, retenta erunt. item: Quæcunque solueritis super terram, erūt soluta & in cœlis. quàm omnem omnino culpam & poenam clauium illarum potestati subiectam esse? modò tamen obicem, qui earum vim remoretur, obuiam nullum habeant.

Quòd autem Baptismus omnem simul culpam & poenam, poenitentia uerò non omnem semper poenam & noxam simul absumat, id sacrae literæ planis verbis non exponunt: hætenus tamen illud insinuant, quatenus poenitentiam sanationis; Baptismum uerò regenerationis, vel renouationis nomine designant. In generatione nanque contingit plena perfecta que innouatio. Fit enim hinc transitus ex hoc in illud, quod non est hoc ipsum, quod ante ortum erat: At uerò in sanatione corpori secundum se totum integro, indemutatoque, vel certè cuiusdam eiusdem parti, morbus tantum vel vitium, quo tenebatur, adimitur; & id quidem perrarè ea perfectione, vt non aliqua vestigia, & quasi cicatrices, quæ per varias deinde curas, & exercitationes inducuntur, reliqua fiant. Atque ita ex Scripturis quoque nonnulla ratio reddi potest, cur Baptismus ritè susceptus omnem simul noxam & poenam perimat, poenitentia

Clauium vis ex Scripturis manifesta.

Ioan. 20.

Matt. 18.

Aliud est generare, aliud genitum & in morbum lapsum sanare.

Ex Scripturis ratio reddi potest, cur Baptismus omnem, poenitentia non omnem semper poenam absumat.

t 2

autem

autem non omnem semper.

Eadem generationis & sanationis analogia aliud quoque inter poenitentiam & Baptismum intercedere commonstrat. Nam quod progignitur, id genituræ suæ nihil quicquam cooperatur; sed neque cooperari quoque potest: quippe cum nihil seipsum progignat, alioqui enim simul esset, & non esset. Omne enim quod generat, actu est: quod autem ad ortum tendit, id actu nondum est. Quod autem sanatur, id non solum intrinsecè, verùm extrinsecè quoque instaurandæ sanitati operam præstat: & quidem eò facilius perfectiusque collapsam valetudinem recuperat, quò medicinæ exterius adhibita, maiores vires, maioremque opem subministrat interius. Vnde in Baptismo tota efficiendi vis ex Christo, eiusdemque merito nascitur: (Consensum tamen & aliqualem quoque peccati detestationem, si adultus fuerit, qui initiatur, hinc non excludimus) in poenitentia autem non sola sanguinis Christi vis spectatur, sed simul quoque interior egri hominis dispositio, cui vis hæc clauium virtute communicatur. Et quoniam hæc non vna est in omnibus, sed alia in alijs, fit ut non idem quoque in omnibus sit poenitentia effectus, verùm diuersus in diuersis.

Poenitentialis effectus quantitas sequitur quantitatem internæ dispositionis.

Eucharistia ordinariè vitæ non præstat, sed aliunde acceptam auget.

1. Cor. II.

Eucharistia ordinaria lege vitam non præstat, sed per regenerationis symbolum præstitam, vel per poenitentiam instauratam, auget, corroborat, confirmatque. Hinc ille: Qui manducat indignè, hoc est, spiritus vita destitutus, iudicium, hoc est, condemnationem, sibi manducat, non dijudicans corpus Domini. Nihilominus, quòd vitæ authorem verè realiterque in se contineat, cum in Scripturis sacris, tum in sanctorum Patrum quoque monumentis amplissimas laudes obtinet. Sed & interdum quoque vitam, hoc est, primam gratiam præstat.

Laudatur iustissima ratione & poenitentia quoque, non quòd Eucharistia Sacramento, aut regenerationis lauacro simpli-

simpliciter dignior existat, sed quòd secundum potiorem sui partem utroque Sacramento communiorem usum habeat. Nam ut virtus est, omnibus proprio scelere contaminatis absolutè necessaria est, semperque, ut eiusmodi est, absolutè necessaria fuit. Nulli enim scelerato salus vnquam obuenit, sed neque obueniet vlli vnquam quoque absque; interiori poenitentia. Possent quidè Deus absoluta potestate vsus peccata condonare, nullo dolore, aut peccati detestatione à peccatore exactis: sed tamen non sic condonat, nec vlli vnquam sic condonasse legitur. At verò Baptismus & Eucharistia utrunque; spectata, nec semper, nec absolutè, nec omnibus, ut salui fiant, sunt necessaria; sed loco, & tempore, & quibusdam tantum.

Poenitentia secundum potiorem sui partem latissimè pater.

Citra interiorem poenitentiam non obtingit vita.

Tandem cum petunt, vbinam scriptum sit, temporarias poenas, quas poenitens morte præpeditus hinc non dependit, olim in Purgatorio deponendum esse: respondemus, in Moyse & Proheris, in Euangelij & Apostolorum scriptis, in Synodorum & Pontificum decretis, in ipsis denique humanæ mentis penetralibus id scriptum extare. Nam si post culpam condonatum nonnullæ interdum poenæ manent residuæ, eaque; debite, ut ex prædictis testibus clarissimè ostensum est iamdudum antè: consequens fit, si hinc non exoluantur, alio loco dissolutum iri. At post hanc vitam non est alius nisi Purgatorium.

Sextum argumentum.

Sed instant porrò: Si, quod hinc integrè solutum non est, id poenitentem in altera vita exoluere necessum est, cur ergo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. itè: Qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudiciū non venit, sed transijt à morte ad vitam, scriptum est? Hæc enim inter credentes & non credentes, inter mortem & vitam, inter cælum & infernum, nullum medium ponunt. Cur, ad mortuos quod attinet, Apostolus nos bono animo esse iubet, ait enim: Nolumus vos fratres ignorare de dormientibus, ut non contristemini,

« Marc. vit.

« Ioan. 8.

«

«

«

«

« 1. Thef. 4.

«

sicut ceteri, qui spem non habent, & non potius ad piam quandam sympathiam nos incitat?

Sexti argumenti discussio.

Hoc argumentum non est huius loci: attamen quia argumenti proximè præcedentis occasione motum est, ad vtrunque illius membrum respondebimus paucis. Primum, quod ex Mattheo & Ioanne petebatur, nullius prorsus est momenti. Nec enim magis sequitur: Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transijt de morte ad vitam, Ergo nullum est Purgatorium: quàm sequitur, Ergo nullum est Sacramentum, aliud' ve salutis præsidium. Sed nec agitur hîc quoque de morte carnis, aut de vita gloriæ, quæ in clara Dei visione posita est; nam aliàs omnes verè credentes iam plenè beati essent: sed de morte peccati, & vita gratiæ, quæ in Dei amicitia sita, cruces carnisque afflictiones non excludit, sed includit. Quamdiu nanque ad clarum Dei conspectum non admittimur, tamdiu varijs semper miserijs exercemur: non in hac vita solùm, sed in altera quoque; si tamen miseriarum pensum à Deo nobis præfinitum, hîc non expleuerimus. Quod hîc dicitur, id ex veterum patrum sorte manifestum est. Nam etsi illi in filium Dei crederent, tantisper tamen apud inferos, vera interim perfectaque illa vita expectes, detinebantur, dum commune naturæ debitum per Christum Salvatorem exolueretur. Iam vt illi ob cõmune naturæ debitum à regno exulabant, ita ob debitum personale ab eodem exulant, quicunq; pares admissis sceleribus pœnas nondum dependerunt.

Sed neque secundum quoque alicuius est roboris. Planum est enim Apostolum loco citato, neque de Purgatorio, neque de quouis alio animarum receptaculo agere, sed de carnis resurrectione, alteriusque vitæ felicitate tantùm: hanc enim ipsi Thessalonicenses, vel non credebant, vel præpostere

Ioan. 5.

» ti. Nec enim magis sequitur: Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transijt de morte ad vitam, Ergo nullum est Purgatorium: quàm sequitur, Ergo nullum est Sacramentum, aliud' ve salutis præsidium. Sed nec agitur hîc quoque de morte carnis, aut de vita gloriæ, quæ in clara Dei visione posita est; nam aliàs omnes verè credentes iam plenè beati essent: sed de morte peccati, & vita gratiæ, quæ in Dei amicitia sita, cruces carnisque afflictiones non excludit, sed includit. Quamdiu nanque ad clarum Dei conspectum non admittimur, tamdiu varijs semper miserijs exercemur: non in hac vita solùm, sed in altera quoque; si tamen miseriarum pensum à Deo nobis præfinitum, hîc non expleuerimus. Quod hîc dicitur, id ex veterum patrum sorte manifestum est. Nam etsi illi in filium Dei crederent, tantisper tamen apud inferos, vera interim perfectaque illa vita expectes, detinebantur, dum commune naturæ debitum per Christum Salvatorem exolueretur. Iam vt illi ob cõmune naturæ debitum à regno exulabant, ita ob debitum personale ab eodem exulant, quicunq; pares admissis sceleribus pœnas nondum dependerunt.

Nulla est consecutio: Qui credit, habet vitam æternam, Ergo nullum est Purgatorium.

Dei gratia nõ excludit cruces carnisq; afflictiones.

posterè credebant; hoc nanque aperte indicant verba illa: Ne contristemini sicut ceteri, qui spem non habent. Quid ita Paule? quia quos tantopere lugetis, non perierunt, sed tantùm dormiunt, olim, si digni fuerint, viventis filij Dei voce ad meliorem vitam denuo excitandi. Adde his, illos ipsos, qui in purgatorijs locis detinentur, eius esse conditionis, vt iure meritoque congratulari illis liceat. Nam etsi eiusmodi ingentes pœnas perferunt, de sua tamen salute certi sunt. At quantum bonum sit, in Dei gratia firmatum, extraque omne salutis discrimen positum esse, id nemo exprime re valet, qui cœlestis beatitudinis magnitudinem, quæ hîc quasi in semine quodam continetur, exactè exploratam non habet.

Argumentum septimum.

At vrgent illi nihilofecius: Opera, inquit, Dei sunt perfecta: si quos ille ergo misericorditer sanat, aut clementer liberat, eos non in partè sanat, aut liberat, sed perfecte. Quamobrem gratuita peccatorum remissione semel facta, nihil superest ampliùs, pro quo peccator in hac vel altera vita satisfaciat, aut pœnas pendat.

Solutio septimi.

Ad hoc dici potest, opera Dei eiusmodi esse, cuiusmodi ipse ea vult esse. Nam ad extra nihil ipse vult necessariò, nihil operatur necessariò; sed quæcunque vult, vel operatur, ea omnia liberè vult, & liberè operatur. Hinc ergo est, vt quædam simul incipiat & perficiat; quædam verò non simul, sed successiue, & per temporum interualla; quædam autem nunquam, vt ad oculum patet. Etenim mundus, eiusque ornatus & instauratio, Dei opus est: & tamen, vt ex Genesi colligi potest, nihil ferè ex ijs omnibus ad vltimam suam perfectionem simul perductum est. Idem in ijs omnibus, quæ quotidie oriuntur & occidunt, cernere est.

Summum beneficium, & summa quædam felicitas est, vbiunq; tandem vixeris, in Christi gratia confirmatum esse.

Opera Dei eiusmodi sunt, cuiusmodi ipse ea esse vult.

Deus quædam simul, alia per temporũ spatia absoluit.

Sed

Matth. 8.

Mar. 8.

Ioan. 19.

Matth. 14.

Incertum o-
mnésne san-
xit Christus
in animo,
quos sanauit
in corpore.

Sed & in Christi quoque miraculis eandem diuersitatem obseruare licet. Nam quosdam sanauit statim, & integrè, vt socrum Petri, & alios præterea quàm plurimos; quosdam successiue, & in tempore, vt vnum aut alterum cæcum; nonnullos, vt credibile fit, nunquam plenè. Nam etsi Malcho pontificis ministro aurem restituerit, incertum est tamen, an interius à peccato eundem emundarit. Eadem incertitudo & de alijs quoque permultis habetur. Quis enim certò affirmare audeat, quoscumque ille fimbriæ suæ contactu, vel alio modo sanauit, secundùm corpus & animam integrè semper sanasse? Ex Christi itaque miraculis, aut Dei Opt. Max. operibus certò euinci non potest, quicumque Christi gratia à peccati sordibus emundantur, statim semper in integrum restitui.

Quòd si omnia, quæ Deus quocumque modo facit, modis omnibus perfecta esse contendas, tametsi in ijs præsertim, quæ per secundarias causas operatur, sensus ipse oppositum ostendat: nunquam tamen cum ratione euinces, non æquè ad illius perfectionem pertinere, punire peccata, ac remunerare pietatis officia. Est enim vtrunque vsque ad eò ipsi proprium, vt graues quidam Theologi defendere non ambigant, Deum peccata impunita dimittere nõ posse. Quauis, inquit Alexander Alensis, potentiæ Dei solitariè sumptæ non repugnet, præterire peccatum sine vlla prorsus compensatione: repugnat tamen eidem, prout coniuncta est infinitæ iustitiæ: Vnde idem in ipso statim mundi exordio non solùm celestia domicilia in electorum gratiam præparauit, verùm inferorum quoque incendia in obstinatè improborum vindictam erumpere iussit. Atque ita operum Dei perfectio nostræ satisfactionis assertioni non repugnat, nec vlla ex parte eandem infirmat.

Argumentum octauum.

Instant octauò eiusmodi ratione: Qui gratis donat, quod maius

maius est, credibile fit gratuitò id quoque impertiri, quod minus est. Atqui omnium iudicio, condonare noxam & pœnam æternam noxæ debitam, maius quiddam est, quàm relaxare solam pœnam temporariam. Cùm itaq; misericordiarum pater culpam & pœnam sempiternam resipiscenti peccatori gratis condonet, consentaneum videtur, vt definiti quoque temporis pœnam simul relaxet: Atque ita expiata noxa nihil remanebit, pro quo peccator pœnitens Deo satisfaciat.

Octauæ solutio.

Argumenti huius infirmitatem quotidiana experimenta clarè demonstrant. Sæpe nanque capitis reo donatur vita, cui tamen fustigatio, aut exilium, aut multa pecuniaria non condonatur. Sic non omnis, qui donat equum, statim quoque donat frænum, ephippium, & reliqua id genus ornamenta. Præterea licet maius quiddam sit, si singula scorsum sumas, restituere amissam gratiam, & condonare inferni pœnam, quàm relaxare pœnas temporarias: multò tamen plus est, tria hæc simul condonare, quàm duo vel vnum tantùm; prout integrum debitum remittere maius quiddam est quoque, quàm vnam tantùm, aut alteram debiti partem. Postremò inferorum cruciatus non remittuntur pœnitenti per se primò & directè, vt supra ostensum est, sed ex obliquo, & per accidens: quia nimirum Christi gratia cum æternæ pœnæ reatu non consistit; neque consistere potest. Potest quidem pius parens peccantem filium punire; imò, nisi deprauare, aut omnino quoque perdere velit, debet illum punire: non tamen exilio, aut supplicio æterno: hoc enim hostium esset, non parentum, aut amantium.

Argumentum nonum.

Dices opinor: Qui dat maius, & minus non excipit, illè donat totum: sicut cùm furi donatur vita, condonantur cæte-

Aequè ad Dei perfectionem pertinet, punire peccata, atque remunerare pietatis officia

Non omnis, qui donat, vel condonat maius, donat vel condonat minus quoque.

ra omnia, nisi fortè iudex dicat: Non pendeat hac vice, sed va-
pulet, vel multam soluat. Deus autem peccata remittens, ni-
hil quicquam excipit, ergo integrè condonat omnia.

Solutio noni.

Deum peccata ita condonare, vt tamen temporarias affli-
ctiões plerunq̄ excipiat, multis exemplis & argumentis
ostensum est iam antè, nec opus est iam illa repetere. Notissi-
mè sunt enim hęc Domini exceptiones & comminationes:

- Num. 14. » Dimisi iuxta verbum tuum, attamen omnes qui viderunt ma-
» iestatem meam, nec obediuerunt voci meę, non videbunt ter-
2 Reg. 12. » ram, pro qua iuravi patribus eorum. item: Dominus transf-
» tulit peccatum tuum, veruntamen quia blasphemare fecisti
» inimicos nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morte mo-
Genes. 2. » rietur. rursus: Quia audiuisti vocem vxoris tuę, & comedisti
» de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta
» terra in opere tuo. &c. Similes exceptorias comminationes
alibi comperias complures, ex quibus ceteras, quę in sacris
annotatę non extant, colligere licet, cùm vna omnium vi-
deatur ratio.

Argumentum decimum.

Argumentantur & in hunc quoque modum: Sublata cau-
sa, tollitur effectus, qui ex eiusmodi causa dependebat: sed
vera & propria cuiusuis poenę causa est culpa: ea itaque
per fidem, vel poenitentiam, vel aliud medium expiata, nulla
restabit poena, quam in hoc, vel in altero seculo exoluere nos
oporteat.

Solutio decimi.

Ad hoc respondent quidam, semota peccati causa, for-
malem ac proximum eiusdem effectum submoueri, remotum
autem ac materiale non item: Contrà verò posita causa,
poni effectum proximum, vltimum verò ac remotum non
sem-

semper. Formalem peccati effectum appellant maculam, cui
indiuulsè aternę poenę reatus cohæret: Materiale verò,
virium debilitatem, prauosq̄ animi habitus; tum ceteras
peccatorum reliquias, & appendices, inter quas illi & tem-
porales quoque poenas rejiciunt. Alij respondent, causa subla-
ta, negatiuum eiusdem effectum tolli. Dicere hi volunt, causa
nunquam posita, nunquam poni effectum.

Rectius dicitur, maximam illam in causa formali & materi-
ali physica tantùm habere locum; in morali autem & merito-
ria, cuiusmodi hęc obtinet, non equè. Nam etsi poenitentia
peccatum tollat, attamen dum iustitię læsę plenè satisfiat, in
partem adhuc hæret: non quidem in anima, (quanquam &
hoc quoque hætenus dici queat, quatenus prauas quasdam
affectiões in viribus illius infixas relinquit) sed in Dei me-
moria, eiusdemq̄ imputatione. Vult enim Deus illud pu-
nire; tametsi non poena eterna, sed poena tantùm tempo-
raria.

Non semper,
sublata cau-
sa, simul quo-
que effectus
tollitur.

Argumentum vndecimum.

Obijciunt vndecimò: Si vniuersa poena, quę peccato quo-
uis modo debetur, per Christi crucem & mortem non absu-
mitur; plus ergo nobis obfuit Adamus, quàm profuit Chri-
stus. Nam Adamus vniuersum genus nostrum non noxę tan-
tùm, sed poenę quoque subiecit. At alibi ostensum est oppo-
situm, puta plus profuisse Christum, quàm nocuit Adamus.
Sequeretur hinc rursus, plus posse peccatum & actum ma-
lum, quàm gratiam & actum bonum: Siquidem peccatum &
actus malus vno quasi momento adducit simul culpam &
poenam. Sequeretur tandem, plus posse opus humanum,
quàm Christi meritum. Nam hoc temporalis poenę debitum
tollit: Christi autem meritum illud non tollit.

Vndecimi solutio.

Frequenter iam antè inculcatum est, omnem omnino poe-
nam & noxam Christi merito intercedente è medio tolli:

Opera nostra absq; Christi merito nullius ponderis sunt.

siquidem hoc ipsum, quod operum nostrorum præsidio tollitur, absq; Christi merito & virtute non tollitur. Nam opera nostra ex se, Christi merito secluso, nullius ponderis apud Deum existunt. Sed & posito quoque, quod tamen Orthodoxorum nemo posuit vnquam, nostris nos viribus quantumcunque poenam ad iustum exolvere posse, adhuc aduersarius ineptè planè & præposterè colligeret. Quandoquidem in alijs, quæ longè maioris momenti existunt, Christus Dominus, (qui & ipse quoque donum nostrum est) Adamum plurimum antecellit. Quid? quòd totum illud, quod natiuitate ex Adamo trahimus, gratis absque vlla omnino indicta satisfactione nobis remittat? Nequè enim pro originis peccato, quod vnum duntaxat Adamus in nos transfundit, facimus satis, sed tantum pro ijs peccatis, quæ propria voluntate contraximus.

Pro originis peccato nemo satisfact

Bonum gratiè potentius est malo no-
xx.

Porro autem, quòd gratia vtranque poenam non statim inducit, vt peccatum vtranq; statim adducit, hoc inde non prouenit, quòd malum peccati bono gratiæ sit potentius: (non enim est illo potentius, sed infirmius: siquidem bonum suapte vi totum malum absumere potest; malum autem toto suo conatu totum bonum abolere non potest, sed aliquam tantum illius partem) verum ex liberi arbitrij conditione & qualitate. Hoc enim gratia informatum, modò intensius, modò remissius, per odium in peccatum, & in Deum per amorem fertur. Tum ex debili rursum ac infirma eiusdem dispositione: forma nanque secundum materiæ, in quam recipitur, conditionem agere vt plurimum consuevit. Tum denique ex quadam peculiari Dei Opt. Max. dispensatione: Vult enim ille non deesse nobis materiam merendi, ansamque contra aspectabiles & inaspectabiles hostes depugnandi. Tandem non sequitur: Satisfacimus pro peccatis nostris, plus ergo potest opus humanum, quam Christi meritum. Nam si quid nostra possunt opera, id ex se non possunt, sed tantum ex virtute diuina, & Christi gratia.

Argu-

Argumentum duodecimum.

Cauillantur & hoc quoque modo: Confiungunt Sophistæ Satisfactionem constare opere aliàs indebito: atqui quicquid habemus, aut possumus, id totum mille nominibus Deo obligatum est. Non ergo indebitum est, quod satisfactionis nomine dependimus: sed modis omnibus debitum.

Solutio duodecimi.

Iam antè ostensum est, falso asseri, quicquid quouis modo habemus, aut possumus, id absolute debitum esse, & vt tale stricto iure à nobis exigi. Quandoquidem multa possumus, & interdum nonnulla quoque facimus, quæ Deus pro sua clementia à nobis non postulat; nec, vt ea faciamus, mandat; tametsi si seuerius nobiscum agere vellet, postulare illa à nobis posset, & facta cumulatè semper remuneret. Caterum dum satisfactionem opere aliàs indebito constare asseritur, non est id ita accipiendum, quasi iniustis & legum præuaricatoribus liberum sit satisfacere, vel satisfactionis opera omittere; non enim ita res habet, nam qui peccauit, velit nolit, hîc vel in altero seculo læsæ iustitiæ satisfaciat oportet: sed quòd, peccato secluso, nulla lege ea præstare teneatur, quæ post peccatum admissum agere, vel pati compellitur. Indebitum itaque ad iustum vel legem communem ordinem dicit, non ad iniustum priuatamve peccatoris obligationem.

Ea tantum absolute præstare obligamur, quæ Deus absolute à nobis exigit.

Argumentum tertiumdecimum.

Inficiari non possumus, aiunt quidam ex illis, nec inficari quoque volumus, in primitiua Ecclesia, & multò etiam postea, poenitentibus indictas fuisse satisfactiones, & quidem multò acriores, & diuturniores, quam hac tempestate iniungi solent: at negamus pro poenarum reliquijs, aut poenis debitis indictas fuisse. Non enim ea de causâ indicabantur: sed tantum ad retinendam politicam in Ecclesia disciplinam, comprimendamque nequam hominum audaciam.

v 3

Tertij-

Tertijdecimi solutio.

Satisfactio-
nū vsus iam
inde ab initio
percelebris
in Ecclesia.

Multis iam antè exemplis Scripturarumque testimo-
niji ostensum est, opera satisfactoria solita fuisse exigi, &
ab Ecclesiastico magistratu imponi, non solum ad retinen-
dam in Ecclesia morum disciplinam, verum in scelerum
quoque vindictam, contractique debiti compensationem,
hoc est, ad id plenè perfecteque redintegrandum & instau-
randum per poenam, quod malè turbatum quassatumque fu-
erat per culpam. Verum siue hoc, siue illud, siue aliud quod-
cunque spectatum fuerit, nobis sat est, vel ipsorum Sectari-
orum attestazione satisfactionum vsus iam inde ab initio
percelebrem in Ecclesia extitisse, suasque vmbras & exempla
in veteri quoque Testamento obtinuisse.

Argumentum quartumdecimum.

Si prima contritio, inquit illi, peccati ve detestatio,
quantumlibet remissa, perimit totam culpam, & poenam eter-
nam: secunda vtrique, cum non minoris, sed maioris plerun-
que intensiois existat, (Statuimus enim primam omnium,
quæ dari poterat, remississimam fuisse) perimet totam pœ-
nam temporalem; cum multò facilius sit, hanc è medio tol-
lere, quàm culpam, & poenam sempiternam. Idem continget,
si primam vtcunque intensam bipertitò diuidas: nam altera
eius pars sat erit ad tollendam culpam, & poenam æternam;
altera ad submouendum omnem poenæ temporalis reatum:
atque ita post contritionem vix quicquam vnquam reliquum
fiet, pro quo verè poenitens satisfaciatur.

Solutio decimiquarti.

Quod argumentum texens hîc rectè sese inferre existi-
mat, id non rectè satis infert. Nam quòd prima, vel minima
contritio, culpam simul & poenam æternam absomit, non
totam quoque temporalem, (partem enim illius absomit
semper) istuc inde non accidit, quòd facilius sit culpam &
poenam æternam profligare, quàm præfiniti temporis cru-
ccm

cem redimere: sed inde, quòd minimæ intentionis contri-
tio, quæ dari potest, veram peccatoris ad Deum conuersio-
nem intrinsecè includat, & hæc rursus præsentem Dei gra-
tiam: atqui cum diuina amicitia cohærere non potest vo-
luntas hominem ad se iam verè conuersum in omne æuum
puniendi: aliàs enim inter conuersum, & in peccato obstina-
tum nihil quicquam intercederet. Quòd igitur æternæ poenæ
reatus sub nostram satisfactionem non cadit, temporalis au-
tem cadit, aliud nihil in causa est, quàm quòd hic cum vera
ad Deum conuersione consistere potest, ille non potest. Ex-
pungit enim contritio aternitatem, vt alibi expositum est
clare.

Cum diuina
gratia confi-
tere non po-
test voluntas
puniendi ho-
minè in per-
petuum.

Argumentum quintumdecimum & postremum.

Satisfactiones communi Pontificiorum Theologorum
sententia quibusdam molestis ac pœnalibus actionibus con-
stant: atqui vltroneæ poenæ corporisque cruciatus cum diui-
narum literarum oraculis non satis consentire videntur. scri-
ptum est enim: Nolite occidere. item: Habete honorem cor-
pori vestro. rursus: Nemo carnem suam odio habuit. item:
Sufficit diei malitia sua. tandem: Frustra me colunt mandatis
hominum.

cc Exod. 20.

cc Ephes. 5.

cc Matt. 6. 15.

Postremi argumenti solutio.

Hoc argumentum non in Schola Christi, sed in aliquo
Epicuri lustro natum, confutatione serua non indiget. Con-
stat enim Scripturas sacras homines non instigare ad volu-
ptates, carnisque illecebras, sed ad carnalium desideriorum
mortificationem, ad spontaneam crucem & paupertatem, ad
sui ipsius abnegationem, ad veteris Adami internecionem,
ad iniuriarum & contumeliarum tolerantiam, nec non ad
alias eiusmodi spiritalis luctas. Sed & eadem quoque non eos
commendant, qui delicatè pascuntur, vel mollibus vestiun-
tur, quæve tympanum & citharam manu tenentes, in bonis
ducunt

Scripturæ nõ
incitant ad
carnis illece-
bram, sed ad
veteris homi-
nis mortifi-
cationem.

Matth. 11.


Tob 21.

Heb. II.

ducunt dies suos; sed eos, qui afflicti angustiatiq̄ue in melo-
tis & pellibus caprinis circumeunt, quiq̄ue mundo indigni,
hoc est, à mundo reiecti, in solitudinibus & montibus, in ca-
uernis & speluncis terræ ætatem transigunt.

Et hoc breuiter ad præcipua Sectariorum argumenta
responsum sit. Si quid autem hîc dictum est con-
cisius, hoc, Christo propitio, in proxima
disputatione explicabitur
fusiùs.

L A V S D E O.



AD

161

AD NOBILEM,
MAGNIFICVM, AC STRENVVM
VIRVM, DOMINVM GEORGIVM ILSVN-
GVM A TRATZBERG, EQVITEM AVRATVM,
VTRIVSQVE SVEVIAE PRAESIDEM, NEOBVIRGI
ad Rhenum Praefectum, Cæsareæ Maiestatis
& Archiducum Austriae Senatorem,
Authoris præfatio.

AD ANNO ab hinc septimo, ma-
gnifice domine Praefecte, pro
veteri Scholæ consuetudine
proposui disputationē quan-
dam de Purgatorio, aliquanto,
quàm vsitatarum fert ratio, co-
piofiozem. Cupiebam enim
non solum præsentibus am-
plam honestæ exercitationis
materiam offerre, sed absentibus quoque Catholicis,
quibus multa legere otium interdum non suppetit,
aduersus importunos Sectariorum insultus quaecun-
que extemporaneum præsidium subministrare: ni-
hil tum minùs cogitans, quàm quòd honesto illo, & in
Academijs benè institutis receptissimo studio vllam
omnino apud quenquam mortalium malam gratiam
inirem. Verùm vt incertè sunt hominum cogitationes,
res longè aliter euenit. Vix enim semestre spatium flu-
xerat,

xerat, quin ex illorum officina, qui fidem Christo & Ecclesiæ semel pactam perfidè eiurârunt, geminû mox scriptum cōtra illam disputationem prodiret, Latinum vnum, Germanicum alterum. At vtrunque vsque adeò infulsam, rude, ac stolidum, vt indignum planè visum fuerit, cui vel verbo responderetur. At verò quòd libri infulsi deliro hoc seculo plures quandoque reperiant emptores, quàm eruditi & graues, non defuere tunc, qui ineptis libellis solida aliqua refutatione occurrendum existimarent : sed nihil tunc illi promouerunt. Cogitabam enim oleum & operam cum eiusmodi hominibus perdi : tum rem quoque laboris penè infiniti esse, cuiusuis latratus velle compefcere, nugæ ve refellere, hoc præfertim tempore, quo tam multæ ineptiæ in vulgus profeminantur, ac pro ipso puro putoque Euangelio non absque grandi supercilio venditantur.

Sed neque nunc quoque verbum vllum ea de re fecissem, aut facerem, nisi opuscula, quæ de Christi & nostra Satisfactione emisi, suo quodammodo iure id à me efflagitarent. Constat enim Purgatorium non ignobile satisfactionis nostræ membrû existere; quippe cum id totum integrè in Purgatorio exolui debeat, & dissolui quoque soleat, quod iusto pondere in hoc seculo persolutum non fuerat. Scripti itaque de Purgatorio denuo, ea ferè vsus methodo, qua in disputatione, sed non eabreuitate. Explicantur hîc enim omnia fusiùs & accuratiùs, quàm ibi. Ibi, ne disputationis metas multum

tum excederemus, breues esse oportuit: hîc, quòd non disputationem, vt antè, sed solidam controuersia huius explicationem meditemur, concisos esse non licuit. Porrò autem infirmioribus ne (ijs nanque noster hic labor potissimum defudauit) magnum aliquòd operæ precium ea meditatione attulerimus, an secus, illud aliorum iudicium esto. Nostrum enim est, conatû & studium in medium adferre, (id quod hîc optima fide factum esse certò affirmare audeo) non sententiam de nostris ferre.

Cæterum cum hic quoque foetus ad communem Ecclesiæ vsum in lucem prodire gestiret, præstantisq; religionis & fidei virum, cui sese addiceret, inquireret; commodum tua Magnificèntia occurrit. Nam etsi pro grauissimi muneris, quod administrat, ratione cum omnibus promiscuè versari & tractare debeat, & quotidie quoq; versari & tractare soleat: nō ob id tamen promiscuā vitā, aut fidē obtinet. Neq; vt cū Sectarijs agēs, cum Sectarijs vlulat, cōmunemq; cum illis funē ducat, vt multi hoc tēpore solent: sed per omnia. & in omnibus, & apud omnes cum sincerum, tum rigidum quoq; Catholicum se præstat. Nec vnum rursus credit, aut colit, & alterum spernit: sed quæcunque Catholica & Apostolica Ecclesia credenda proponit, ea omnia, citra vllam inter paruum & magnum, inter clarum & obscurum, inter recens & vetustū distinctionem, integrè recipit, ipsoque opere exprimere gnauiter satagit. Nouit

enim, & pro sua singulari eruditione peroptimè intelligit, quæ creduntur, ita diuersa, & inter se distincta esse, vt tamen fidei ratio eadem sit in omnibus. Quia in re falluntur hac ætate plurimi grauissimè. Comperiuntur enim, qui inter Catholicos, priscaque religionis homines, censerî se posse existimant, etsi de Purgatorio, Diuorum cultu, Ciborum delectu, Indulgètiarum vsu, summo Ecclesiæ magistratu, &c. secus, quàm Catholicum decet, sentiant : sed hi, vt modò aiebam, hallucinantur maximè. Aequè enim à Deo alienus, diuinæque fidei expers est, qui discredet minimo, ac qui non credit maximo. De familiæ tuæ splendore & antiquitate, de morum suauitate, de maximarum rerum vsu, de singulari prudentia, de tot arduis perplexisque negotijs industria tua feliciter confectis, de tot tandem legationibus Imperij causa ab te susceptis, prospereque perfectis, nihil hæc dico: Sunt enim omnia hæc externa, malisque cum bonis communia; nec possunt hæc paucis quoque delineari, nedum pro dignitate explicari. Quod ego in hac nūcupatione spectauî, & specto, præcipueque spectandum existimo, est id, quod iam dixi, puta pectus per omnia Catholicum, nec non in auita religione, priscaque pietate egregiè exercitatum.

Accipe itaque Opusculum hoc præclaro tuo nomini inscriptum fronte hilari, eoque, quo à nobis offertur, animo, amico videlicet & candido: quod te, magnifice domine, pro tua egregia humanitate facturū nihil quic-

quicquam dubito. Noui enim Magnificentiam tuam eiusmodi amicitiae symbola, non ex rei, quæ exhibetur, qualitate, aut quantitate metiri & aestimare solere, sed ex offerentis studio. Et accipe in qualemcunq; grati animi significationem: multa enim tua in me extant beneficia, multa in Societatem nostram merita, quæ subinde latius excurrunt, viresque & incrementa ampliora sumunt. Est sanè munusculum hoc exiguum, vtpote chartaceum: at meæ tamen conditioni, & forti consentaneum. Neque enim ab homine literarum studio, & religioso, aliud offerri; sed nec aliud quoque expectari debuit, quàm munus literatum & religiosum: Cuiusmodi hoc esse planè mihi persuadeo. Verùm de his plus satis. Opto M. T. felix incuntis anni auspiciū, viresque, quibus grauissima illa Imperij negotia, quæ iam sub tribus Impp. magna cum laude sustinet & administrat, in multos adhuc annos sustinere & administrare valeat. Vale. Augustæ Vindellicorum Calendis Ianuarijs, Anno M. D. LXXVI.

M. T.

studiofissimus

Theodorus Peltanus.

x 3

THEO-

THE ODORI PELTANI,

SOCIETATIS IESV THEOLOG,

GI, DE PURGATORIO

LIBER VNVS.

*Animam corpori, quod essentialiter informat, coeuiam, materiaeque,
& mortis expertem esse.*

CAPVT PRIMVM.



QVANDO QUIDEM id omne, quod de Purgatorio in disputationem venit, in solidum spectat ad animam: (neque enim corpus, aut ex corpore & anima conererum istic expiatur, aut plegitur, sed sola anima) maioris lucis & ordinis causa ab ipsa humani spiritus origine, & ratione, eiusdemq; cum corpore societate, telam hanc ordiri lubet.

*De animarū
origine tria
in disputati-
onem addu-
ci possunt.*

Quæ de animarum origine in disquisitionem vocari solent, ea compendio ad tria capita reduci possunt: nempe ad causam, per quam: ad materiam, ex qua: & ad tempus vel æuam, quo primū in rerum natura existere cœperunt. Nam & de hoc quoque aliquando dubitatum fuisse constat. Extiterunt nanque, qui animas vnā omnes ante hunc mundum corporeum conditas assererent. Imaginabantur hi ortum, quem omnis omnino maculæ exortem initio hauserant, vltroneo scelere contaminasse, eaque de causa è cœlo empyreo in corpora hæc opaca & caliginosa, veluti in tetrum quendam carcerem, demersas esse.

Hoc de animarum lapsu commentum Epiphanius & Theophilus Alexandrinus, Origeni; Bracharensis Concilij Patres Priscilliano Abilæ Episcopo tribuunt. Verūm sanè hîc, siue ille, siue alius quiuis istuc commentus sit, foedè omnino impedit. Nam si animæ propter quodcunq; patratum in cœlo peccatum

catum cōporibus perinde ac ergastulis quibusdam inclusæ essent, vitio per Baptismum, aut aliud quodcunq; Sacramentum expiato, familiare illud animæ & corporis vinculū statim dissolueretur: nec mortali hac vitā defuncturi ad mortis insultum trepidarent: nec, vt filius Dei nostri causa carnem susciperet, vllum omnino operæ precium fuisset: Abundè nanq; suo fatisfecisset muneri, si animas, quæ solæ, vt isti dicunt, in cœlo peccauerāt, quouis modo redimeret. Sed nec ipse quoque hac ratione à peccato immunis extitisset. Cū ergò hæc omnia, & alia præterea non pauca, quæ hinc consequuntur, sint absurda, & à fide prorsus aliena: cum Augustino, Hieronymo, Leone Magno, imò verò cum vniuersa orthodoxa Ecclesia statuimus, humanas animas, neque simul ante hunc mundum corporeum creatas, neque peccato aliquo in cœlo fuisse infectas: sed formato in matris vtero corpore, Dei iudicio infundi, vt viuat homo intus in vtero, & sic procedat natiuitate in mundum.

De effectiue causa non idem quoque omnium fuit iudicium. Luciferiani perinde ac corpus ex traduce esse voluerunt: sed id planè præposterè & periculosè. Nam si eadem animæ & corporis esset ratio, idemque vtriusq; ortus: idem quoq; vtriusque interitus, eademq; operatio foret, adeoq; nulla libera functio ex anima prædire posset. Quod enim materiæ ita immersum est, vt ex ipsa quoque materia originem trahat, illud à materia diuisum, neque per se subsistere: neque materiæ co-hærens, aliud quicquam quàm materiale cognoscere; neq; ad hoc vel illud indiscriminatim & liberè ferri potest, sed ad vnum aliquod determinatè. At hæc omnia cū certa experientia fide pugnant.

Messaliani, & ante hos Seleuciani, rerum disparitatem, earundemque inter se ordinem animo pertractantes, eò inducti sunt, vt crederent omnia cū aspectabilia, tum inaspectabilia quoque, certa quadam ferie, & quasi gradatim à Deo profluxisse: ita nimirum, vt is per se primam,

Multa absurda incurrunt, qui animas propter admisiū in cœlo peccatum in corpora demersas afferunt.

Cap. 14. 18. dog. Epist. ad Pam. Ep. ad Torib.

Animæ humanæ non sunt ex traduce.

Angeli non
sunt animarū
humanarum
creatores.

mam nobilissimamque substantiam tantum produxerit; hæc rursus aliam, & illa item aliam, & sic deinceps usque ad animam humanam. Verum hi æquè foedè, vel etiam foediùs hallucinati sunt, ac Luciferiani. Nam cum animæ humanæ per se non generentur, multò verò minùs per accidens; spiritusque materiæ expertes existant: aliter quàm per creationem produci non possunt. Creatæ autem naturæ, quòd infinita virtute careant, aliæque impedimenta habeant, creare nequeunt.

Solus Deus
est humana-
rum anima-
rum author.

His itaq; authoribus, ceterisq; omnibus, qui de animarum ortu malè sentiunt, missis, certa fide tenendum est, verū, proprium, ac proximum earundem effectorem vnum illum, & solum illum esse, qui in nascentis mundi exordio hominem & Angelum ad suam imaginem & similitudinem condidit; qui-que homini de limo terræ efformato vitæ spiritum indidit, ac, vt semel dicam, qui coelum, & terram, & quæ eorum ambitu continentur, ex nihilo effinxit, hoc est, Deum Optimum, Maximum. Nec rerum disparitas, earundemque inter se ordo, diuersum probant: Nam etsi Deus secundum se sit vnus & simplex, cognoscit tamen multa & varia: & vt multa ac varia cognoscit, ita multa quoque & varia, cum vult, producit.

Animæ nostræ non sunt ignis, aut igneæ, aut ex spiritu & igne conflatæ.

Hinc, quid de tertio membro, hoc est, de humanæ animæ materia, statui debeat, manifestum quoque euadit. Etenim si animæ nostræ non sunt ex traduce, neq; educuntur è potentia materiæ, neque fluunt è creatura aliqua mente, sed proximè procreantur à summo illo rerum omnium opifice: planum fit non esse ignem, vel igneas, vel igneum vaporem, vel aliquid ex igne & spiritu, tanquam ex materia & forma conflatum, vt senserunt nonnulli: sed planè imperitè. Quandoquidem si mortalium spiritus ignis essent, vel ignei, vel igneus vapor, vel ex igni & æthereo, vel æreo spiritu conflat: nec intelligentes essent, nec volentes, nec interitus expertes, nec brutorum animabus superiores, nec super suum actum reflecterent, nec spiritualia cognoscerent, nec ad opposita denique in-

dis-

discriminatim se haberent. Eadem rationes probant quoque animas nostras non esse aëreas, vel terreas, aut quouis modo corporeas, aut materiales. Par enim istorum omnium est ratio. Symbola autem ignis, vel aëris in anima reperta, si quid probant, omnem omnino animam igneam, atque ideo brutorum & hominum animas eiusdem rationis existere, probant.

Intelligens
anima nõ est
corporea.

In alterum quasi extremum præcipites hinc abiêrunt Manichæi, & Priscillianistæ, & ante hos Gnostici. Nam, vt Leo Magnus alicubi exponit, arbitrati sunt animam non aliunde, quàm ex ipsamet Dei substantia sumptâ esse. Verba Leonis sic sonant: Afferunt animam hominis diuinæ esse substantiæ, nec à natura creatoris sui conditionis nostræ distare naturam. Quam impietatem, ex Philosophorum quorundam & Manichæorum opinione manantem, Catholica fides damnat, sciens nullam tam sublimem, tamque præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit. Quod enim de ipso est, hoc est, quod ipse. Nec id aliud est, quàm Filius & Spiritus sanctus. & paucis interiectis subdit: Non quicquid inter creaturas eminet, Deus est. Nec si quid magnum est, atque mirabile, hoc est, quod ille, qui facit mirabilia magna solus. Nemo hominum veritas est, nemo sapientia, nemo iustitia est: sed multi participes sunt veritatis, & sapientiæ, atque iustitiæ. Solus autem Deus nullius participationis est indigens, de quo quicquid dignè utcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Nimirum igitur superbi, nimiumque sunt cæci, qui cum dicant humanam animam diuinæ esse substantiæ, non intelligunt nihil se aliud dicere, quàm Deum esse mutabilem, & ipsum perpeti quicquid potest naturæ eius inferri. Hæc Leo, cui per omnia adstipulantur Bracharensis Concilij Patres.

Animæ nostræ
ex diuina na-
tura non sunt
sumptæ.

Adstipulatur eidem & ipsa quoque ratio. Nã si animæ nostræ diuinæ substantiæ pars existerent, necessariò tot dii essent, quot animæ. Quicquid enim ex Dei, vel in Dei substantia est, id Deus est. Sed & omnes quoque sanctæ & impeccabiles essent: imò verò infinitè sanctæ, infinitèq; stabiles essent: & qd' his omnibus

Quicquid in
Dei vel ex Dei
substantia est,
hoc Deus est.

y

ab-

Quicquid sectioni, hoc ipsum & mutationi quoque obnoxium est.

absurdus est, Deus, qui immotus omnia mouet, mutationi obnoxius esset. Quicquid enim sectioni, aut partitioni subiectum est, hoc ipsum & mutationi quoque subiaceat, oportet. Cum ergo hæc omnia sint absurda, & in Deum aperte blasphema, firmissimè credendum est, præpotēs illud numen mortaliū animas non ex se, nec ex alio, sed ex nihilo; non extra corpus rursus, vel ante corpus, sed in corpore & cum corpore; non ut percant denique, sed ut per gratiam illius salutæ fiant, condidisse.

Anima nec corpus est, nec corporis pars, nec corporis constitutio.

Ostensum est paucis, unde mortaliū spiritus fluxerint, tum quando primū esse cœperint, tū alia quædam eiusmodi: proximum nunc est, ut breuiter nunc ostendamus, quid, qualesque sint intrinsecè. Nam etsi vtrunque ex ijs, quæ iam antè explanata sunt, vtcunque; planū sit, planius tamē euadet, si pauca quædam seorsum de vtroque; disseruerimus. Et primò quidē certū est animam non esse corpus, aut corporis partem, aut aliquam quoque; corporis complexionem. Non est simplex aut concretū corpus: aliās enim tota in omnibus & singulis corporis partibus non esset, quippe cum duo corpora simul esse nō queant: Sed neque; immota quoque; mouere, neque; absque; continente subsistere, neque; quod corporis, aut corporeæ conditionis expers esset, intelligere posset. Nec est rursus aliqua corporis portio: quia totius & partis eadem hīc est ratio. Mitto, nullā corporis partem primū vitæ principium esse posse. Nec denique corporea complexio: quia neque intensionem suscipit, neque remissionem: ut quæ substantialis corporis forma existat. Omnis autem complexio, ut & qualitates quoque, unde constituitur, intendi remitti que; solet; sicut & ad vnū quoque; aliquod certum præexuperantis quātitatis ratione inclinare. Aequè certum est, non esse aliquam qualitatem, aut corporis harmoniam: Nam si alterutrum horum esset, essentialis hominis pars non esset: neque à corpore semel auulsa vsquam amplius superesset. Et quid est ergo? Est substantia per se subsistens, corporis, ut dictum est, expers, quæ tamen ut corpus informet suapte natura idonea est.

Corpus, ut eiusmodi, nō potest esse primū vitæ principium.

Anima nō est, qualitas, aut corporis harmonia.

At

At verò licet anima humana per se subsistat; per se rursus patiatur, & agat: per se tamen non est totus homo; aut totum aliquod ex materia & forma conflatum; aut natura aliqua absolutè perfecta, ut Angelus; aut eiusdem quoque cum Angelo rationis, ita ut hic in illam, & hæc rursus in illum certa quadam metamorphosi transire valeat. Quòd per se & secundum se nō sit totus homo, ad corpus, cui inexistit, perinde se habens ut nauta ad nauē, aut motor ad corpus, quod impellit; aut primariū agens ad instrumentū, quo vtitur: ut nulla extaret Scriptura, aut sanctio Ecclesiastica, quæ id probaret; nulla eruditorū hominū consensus, aut ratio, quæ idem confirmaret, illud vel ex ijs solis, quæ in nobis experimur, certò deprehendi posset. Experimur enim nos nō solū intelligere & velle, quæ officia animæ humanæ sunt propria: sed etiā videre, audire, olfacere, crescere, irasci, cōcupiscere, quæ munia à sola anima proximè non prodeunt, nec prodire possunt. Experimur nihil secius animam non absque ingenti doloris sensu à corpore, quod incolerat, separari, suoque; abscessu totā domicilij sui naturam turbare, dissoluere, ac interuertere. Atqui nihil horū contingeret, sed neque; cōtingere quoque; posset, si corpori tantū ut motor mobili, aut ut nauta nauī, consociaretur; aut si corpore tantū ut proprio instrumento vteretur. Experimur tandem, vbi anima semel ex corpore, quod inhabitauerat, excesserit, nunquam amplius ad illud redire; & scimus citra manifestum miraculum amplius ad illud redire non posse. At si illi copularetur tantū ut nauta nauī, posset abire & redire quotiescunque lubitum esset, idque citra vllum omnino ortum, vel interitum, vel corporis mutationem. Nec enim generatur, aut mutatur nauis, dum nauta in illam ingreditur; aut mobile, dum à mouente agitatur; aut instrumentum, dum carpentarius eo vtitur. Neque rursus corrumpitur nauis, dum nauta ex ea egreditur; aut mobile, dum motor illud impellere desistit; aut instrumentum, dum carpentarius operari desinit.

Anima nō est totus homo, aut natura aliqua perfecta, ex materia & forma concreta.

y z Cūm

Cum hæc omnia ergo certa experientia fide sint comper-
tissima, cum Concilio Viennensi simpliciter statuendum est,
hominem non esse solam animam, vel solam mentem, aut so-
lam rationem, sed animal mente & ratione præditum: atque
adeò animam nõ esse solam corporis motricem, vt statuebant
Platonici, sed veram propriamque illius formam. Verba Con-
cilij sic habent: Doctrinam omnem, seu positionem temere
asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ
rationalis vel intellectuæ verè ac per se humani corporis non
sit forma: velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicã fidei,
prædicto sacro approbante Concilio, reprobamus. Defini-
entes, (vt cunctis nota sit fidei sincera veritas, ac præcluda-
tur vniuersis erroribus aditus, ne subintrent) quòd quisquis
deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsum-
pserit, quòd anima rationalis seu intellectuua non sit forma
corporis humani per se & essentialiter, tanquam hæreticus sit
censendus.

Hæc Concilium, ex cuius definitione alterũ quoque, quod
in quæstionem vocabatur, solutionem capit: puta animã non
esse quippiam ex materia & forma, tanquam ex partibus es-
sentialibus, compositum. Nam si anima aliquid eiusmodi es-
set, substantialis humani corporis forma esse non posset. Cur
ita? Quia si hoc esset, vel esse posset, aut secundum se totam
id esset, aut secundum alterã, vel aliquam sui partem. Non se-
cundum se totã: quia si hoc esset, nulla illius pars materia esset.
Nec secundum alterã, vel aliquam sui partem: nã si istuc esset,
necessariò pars illa certa anima esset, reliqua verò primũ
animatũ, adeoq; natura quædã perfecta esset. Eiusmodi autem
substantialis humani corporis forma esse nequit. Tandẽ cum
nullæ reliquarum rerum formæ ex materia & forma cõponan-
tur, nec cõponi queant, (alioqui enim contingeret progressus
in infinitũ, atq; ita nihil quicquam vnquam generaretur) nulla
apparet ratio, cur formarum omnium nobilissima & spirita-
lissima ex materia & forma composita censerì debeat.

Quòd

Quòd verò anima nostra non sit natura aliqua secundum
se absolutè perfecta, vt Angelus, hoc illa ipsa, quæ modò alla-
ta sunt, euidenter quoque probant. Neque enim potest totum
aliquod essentialè, essentialis alterius pars effici. Quamobrem
fatuum & à ratione prorsus alienum est, existimare dæmones
vt formas humanis corporibus, quò ibi purgentur, includi.
Certum est enim dæmones neque formarum vicem explere,
neque vlla omnino pœnitentia amissam salutem posse recu-
perare. Nam vt boni Angeli omnes ita sunt boni & beati, vt
mali vel miseri fieri nullo modo queant: ita mali omnes vsque
adeò sunt mali & miseri, vt boni vel beati enadere nullo mo-
do valeant. Et vt maligni spiritus in animatũ naturam trans-
formari non possunt; ita vicissim animæ, quantumlibet secle-
rata, in spiritus nequam conuerti non queunt.

Quòd denique humani spiritus non eiusdem sint rationis
cũ Angelis, id apud mediocriter eruditos quæstiõis expers est.
Cõstat enim, vbi naturales operationes sunt diuersæ, ibi agen-
tia specie inter se conspirare non posse: atqui animæ & Ange-
li non eandem fortiuntur operationem, neque eundem quo-
que operationis modum. Angelus rursum materiæ vt forma
vniri non potest, sed tantum vt motor: anima vtroque modo
eidem vnitur. Angelus tandem per se speciem absoluit, & per-
sona existit: anima verò propter naturalem propensionem
& ordinem, quem ad corpus habet, etiam à corpore seiuncta
partis naturam non exuit, nec personam propriè constituit.
Imò verò tãtum inter hos & illos intercedit, vt Angelus con-
di non queat, qui essentialiter anima inferior existat. Angelus
enim ex se, & secundum se est substantia completa, actu sem-
per intelligens, materiæque consortium auersans: anima ve-
rò contrà ex se, & secundum se est substantia incompleta, na-
turaliter scientiam nullam possidens, materiæ cõfortium ami-
biens, & inuitè ab illius contubernio emigrans. Patet ex his
ergo quid sit anima quidditatiuè, & suo quoque modo cuius-
modi sit intrinsecè, hoc est, mortalis ne, an immortalis. Ne-

y 3

que

In Clem. de
sum. Trinit.
c. Fidei.

Anima ratio-
ne & mente
prædita, est
vera & ppria
humani cor-
poris forma.

Anima nõ est
quiddã ex ma-
teria & forma
compositum.

Anima secũ-
dum se nõ est
substantia per-
fecta, vt An-
gelus.

Angelus & a-
nima nõ ean-
dem fortiuntur operatio-
nem, neque
eundem ope-
rationis mo-
dum.

Non potest
Angelus con-
di, qui natu-
raliter anima
sit inferior.

que enim per se operari, neque per se subsistere, neque spiritalia intelligere posset, si interitu superior non esset.

Verum quod præcipuum totius huius disputationis fundamentum sit animæ immortalitas, (frustra enim disputamus de animæ pœnis post hanc vitam, si, vt impiè quidam senserunt, & nonnulli etiamnum fortassis sentiunt, vnà cum corpore extinguitur) ea propter hanc fidei veritatem aliquot adhuc proprijs firmamētis, & rationibus munire visum est, breuiter id tamen: festinamus enim aliò, nempe ad ea, quæ disputationis huius sunt propria. Et quidem illis, qui Scripturam recipiunt, aut Ecclesiã audiunt, hinc veluti in salebra hærrere nullo modo fas est. Quandoquidem vtraque vsque ad eò difertè animæ immortalitati attestatur, vt proteruire nolentibus nullus tergiversandi locus sit reliquus. Quid enim clariùs

- Matth. 10. » hoc dici potest? Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. & hoc: Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. & hoc: Iustum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. & infra: Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. & hoc: Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant. Et clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine nõ vindicas sanguinem nostrum? &c. & infra: Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. & hoc: Eleuans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. & hoc: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto descendunt ad inferna. & hoc: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Matth. 22. » Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Mitto alia id genus quàm plurima. Quibus enim hæc satis non sunt, eos nulla facile autoritatum vel exemplorum multitudo exatiabit.

His Scripturarum autoritatibus adde, si lubet, Concilij Lateranensis sanctionem sub Leone eius appellationis decimo editam. Habet autem ea in hunc modum: Hoc sacro approbante

bante concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam, mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes: Cum illa non solum verè, per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verum etiã immortalis: & pro corporũ, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit. Hæc ibi, & alia in eandem sententiam multa.

Animæ pro corporũ numero multiplicatur.

Adde rursus communem gentium & nationum omnium de animæ immortalitate consensum, naturaleque æternitatis desiderium, quod animæ inesse certò experimur: tum terrorem quoque, què vel ipsa mortuorũ cadauera naturaliter incutiunt. Adde tandè Christi mortè & crucè, vltroneasq; Sanctorũ afflictiones, quæ omnia frustranea essent, si anima immortalis nõ esset.

Communis animorũ conceptus est, animam esse immortalem.

Verum enim uerò licet apud Orthodoxos certum sit animam, de qua hinc sermo est, re ipsa immortalem esse: quæstionem tamen habet, hoc ipsum ne sit ex naturæ suæ conditione, an verò ex diuino munere? Aliud est nanque, quippiam esse eiusmodi: aliud, suapte natura eiusmodi esse. Nemo enim dubitat, aliã ratione ignem, aliã aquam calere. Vnum hinc euidentis existimo, puta naturali ratione demonstrari non posse animam ex naturæ suæ conditione mortalem esse. Nam si ex se, & secundum se mortalis esset, ex sola autem Dei voluntate immortalis, & hoc efficaci ratione doceri posset: profectò infideles, qui gratiam Dei non agnoscent, quod de animæ immortalitate creditur, & in Ecclesia traditur, falsum esse ostendere possent. At hoc Catholicæ religioni præiudicium procrearet longè maximũ. Sed neque oppositũ quoque euidenti ratione demonstrari facile posset. Nam etsi rationes, quas Christiani philosophi ad constituendã animæ immortalitatẽ adferunt, apodicticæ videri queat: nõ est tamen certa fide exploratum eiusmodi esse. Neque enim ea semper efficaciter demonstrant, quæ efficaciter demonstrare putantur. Effet tamen temerarium asserere, quicquid ad id demonstrandum hucusq; à Theologis vel Philosophis allatum est, nihil quicquam probare. Siquidẽ non

Naturali ratione demonstrari nõ potest, animam suapte natura mortalem esse.

nō est necessariū, vt omnes rationes, quę ad aliquid probandū adhibētur, re ipsa sint necessarię & mathematicę. Sat est, si graues sint, talesque, quę apodicticę haberi valeant, esto eiusmodi fortassis non sint. Et quia tales sunt pleręque omnes, quę ad statuendam animę immortalitatē adferuntur; magna cum ratione defendi potest, animam suapte natura immortalē esse. Suntque proinde non illi solū studiosē vitandi, qui animę immortalitatem apertē negant; sed illi quoque, qui vnicum hoc enixē student, vt argumenta, quibus Christiani philosophi animę immortalitatem probant, eleuent, penitusq; eneruent. Nam etsi vno hoc animę immortalitatem disertē non inficientur, attamen cuiusmodi mentem erga eiusmodi immortalitatem gerant, non omnino obscure declarant.

Vitandi, qui animę immortalitatē impugnant, etiam si illam apertē non negent.

Anima corporis motor & essentialis illius forma existit.

Hactenus ea breuiter attigimus, quę ad animę naturam secundū se absolutē consideratam pertinent: nunc ea paucis quoque degustare placet, quę in eiusdem, prout intrinsicum ad materiam vel corpus ordinem sortitur, considerationem cadunt. Nam etsi paulō antē nonnulla ea de re disputata sint, hoc tamen non est factū ex instituto, sed inter aliud agendū, & obiter tantū. Quod autem anima humana vniatur corpori non vt motor, aut vt parasitates solū, sed vt vera, propria & essentialis illius forma, id apud verē sapientes indubitatum est. Nam si propria, & essentialis hominis forma non esset, homo vtique propriē, formaliterque nec vellet, nec intelligeret. Quandoquidem quo quippiam formaliter operatur, id illius forma sit oportet: Nihil enim agit, sed nec agere quoque potest, nisi re ipsa sit: (agere enim ponit esse) Quare principium, quo agit, forma vel actus sit oportet. At homo verē, propriē ac formaliter vult, ac intelligit: ergo anima intelligēs est propria illius forma. Adhęc certum est homini, vt homo est, intellectiōnem tribui. At nō tribuitur hęc illi secundū se totum, quia non solū intelligit, sed simul quoque sentit, & crescit, & gignit: Tribuitur ergo hęc illi secundū aliquam sui partem. At qualiscunque ea fuerit, formaliter ipsa vniatur oportet.

tet. Denique præcipua animę perfectio est veritatis cōgnitio: hanc autem citra phantasmatum præsidia in hac vita consequi non potest: At nisi corpori vt forma consocietur, frustra illa à rebus venatur. Coniungitur anima ergo corpori tanquam substantialis illius actus.

Quod si anima mente & ratione prædita est essentialis hominis forma, vt citra omnem controuersiam est; omnisque eiusmodi forma certam præfinitamque materiam sibi deponat: impossibile est, vnum ad numerū intellectum, vel vnam ad numerum intelligentem animam in pluribus, vel in omnibus existere. Verū quod, qui Auerroem, quā Christum sequi malunt, sacrilego ausu id negent, (constringunt enim vnum ad numerum intellectum esse, quo intelligūt omnes, omnino homines, quotquot vsquam intelligunt, vel aliquando intellexerunt) non erit importunum, si refutationis loco breuiter aliquot absurda, quę ex impia illa assertione necessariō consequuntur, legentium oculis hoc loco subiiciam. Si ergo vno intellectu non inherente, vel informante, sed forinsecus tantū, vt illi ponunt, intelligunt omnes, sequitur primō, illos quoque qui altum stertunt, actu intelligere. Contingere enim potest, Mæuiō dormiente, Brutum contemplationi incūbere. Sequitur secundō, de eadem re in eodem intellectu simul existere scientiam, fidem, opinionem, & errorem; cū alij atq; alij alia sæpe atque alia de eadem re concipiant, ac statuant.

Non potest vna anima ad numerum in pluribus hominibus esse.

Sequitur tertio, neminem profus, præsertim circa naturalia, errare, aut decipi posse: cū vna illa intelligentia, vel vnus ille intellectus, quo secundū illorum phantasia intelligunt omnes, circa naturalia errare nequeat. Sequitur quarto, bouem vel asinum æquē intelligere posse atque hominem: potest enim intelligentia illa æquē se coniungere cum phantasia bouis vel asini, atq; cum hominis imaginatione. Sequitur quinto, omnes homines respectu vnus eiusdemque obiecti vnum intelligens, omniumque vnā tantū intellectiōnem esse. Vnitas enim operationis non sumitur ab instrumento-

rum in seruientium unitate, cuiusmodi sunt phantasmata & species, sed à principalis agentis unitate. Sequitur sextò, vnam eandemque scientiam, imò verò vnam eandemque humanitatem, esse in omnibus. Quandoquidem homo nec est, nec dicitur homo ab anima sensitiva, vel cogitativa, sed ab anima intellectiva: sed ea secundum insanum Auerroistarum errorem est vna numero in omnibus. Sequitur tandem, vnum hominem totum hoc scire, quod sciuerunt omnes, qui illum antecesserunt: quippe cum intellectus separatus species illas intelligibiles, per quas semel intellexit, nunquam deperdat: At hæc omnia & alia præterea multa, quæ ex hoc putido fundamento consequuntur, sunt summè absurda, planeque paradoxa. Sortitur itaque quilibet suum proprium intellectum: sicut suam propriam quoque formam, & animam. & hoc simpliciter est de fide, non solum per sacra Concilia definitum, ac determinatum, verum ex Scripturis quoque manifestum. Aliam enim animam habuit vlcerosus ille Lazarus ad sinum Abrahamæ deportatus, aliam diues epulo inferni ignibus mancipatus, aliam Abraham ad cuius sinum deportatus fuit: aliam Christus, aliam cæteri Christiani.

At non ij solum hæc insaniunt, qui vnam in omnibus animam constituunt, sed illi quoque, qui plures in vno eodemque homine ponunt. Quandoquidem si in vno homine sunt plures animarum numero & ratione inter se distinctæ, ut quidam imaginati sunt, consequitur hominem non esse vnum quid per se, sed vnum tantum per accidens: Nec vnum rursus simpliciter, nec ens simpliciter, sed vnum & ens tantum secundum quid, & quadam solum aggregatione: Nec rationalem tandem per se, & essentialiter, sed quadam tantum accidentaria prædicatione. Non vnum per se, quia ex duobus, quorum vtrunque actu existit, non fit vnum per se, sed vnum tantum per accidens. Nec vnum simpliciter: quia absoluta rei unitas fluit à forma absolute vna: ab eodem namque res habet ut sit, & ut sit hæc, vel indiuidua: nempe à forma: vbi ergo plures sunt essentielles formæ,

Later. Sess. 8.
Vien. de sum.
Tri. in Clem.

In vno homi-
ne non sunt
plures animæ
ratione & nu-
mero inter se
distinctæ.

mæ, ibi necessario sunt plura simpliciter: vnum autem genere, vel specie, aut alia simili ratione. Nec vnum ens simpliciter, quia ex multis genere, vel specie, vel numero inter se differentibus non fit aliquod vnum, nisi extet quippiam, quod ea inter se colliget, quod hinc nullum se offert. Nec rationalem essentialiter: Nam si rationalis anima, quæ est in homine, re. & ratione est alia à sensitiva, & vegetativa, non efficiet hoc aliquid; nec dabit esse simpliciter, sed esse tantum secundum quid, ut quæ adueniat rei iam subsistenti. Vnde non erit forma substantialis, sed solum accidentaria, & per consequens non constituet speciem. In vno itaque homine, non plures quidditate inter se distinctæ sunt animæ, sed vna ad numerum solum.

Et quemadmodum in vno homine, vna tantum est anima, illa nimirum, quæ inter cæteras principatum obtinet: ita in vno quoque est vna solum substantialis forma, quæ est eadem illa princeps & intelligens anima. Nam si ante intelligentis animæ aduentum præexisteret substantialis forma, quæ post eiusdem aduentum integrè secundum se totam perseveraret, rationalis anima suo accessu non adferret esse simpliciter, sed esse tantum secundum quid: quod falsum & à veritate prorsus alienum est. In homine itaque nulla alia substantialis extat forma, quam anima mente & ratione prædita. Hæc enim ut virtute in se continet omnes alias inferiores animas; ita eminenti quadam ratione in se complectitur omnes alias inferiores formas; facitque per se totum illud sola, quod inferiores imperfectioresque formæ in alijs efficere solent. Præterea tot in vna re sunt formæ substantiales, qua esse substantialia: (fluit enim esse à forma) atqui in vno homine, vel in qualibet quoque alia re, est vnum tantum esse substantiale, ergo vna quoque sola forma. Denique cum aqua, ignis, ligna, saxa, cæteraque mixta vnam duntaxat fortiantur formam essentialem, quæ vna ad numerum existens impertitur illis esse genericum &

In vno homi-
ne vna dun-
taxat est esse
tialis forma.

specificum, nulla apparet causa, cur plures in vno homine constitui debeant. Planum est enim hominis animam longè maioris virtutis & energiæ esse, quàm cuiuscunque alterius rei formam.

At dicit hîc quispiam: Anima humana formarum omnium est nobilissima, non ergo vnitur rudi informique materiæ proximè; sed eiusmodi, quæ illustribus quibusdam qualitatibus sit circumfusa, proprijsq; ac necessarijs accidentibus ad tanti hospitis susceptionem præparata. Accidentia autem propria proprium deposcunt subiectum: hoc verò, nec est, nec esse potest absque propria forma. Negari sanè non potest, corpus humanum inter omnia, quæ ex Elementis constantur, præstantissimum esse; & eiusmodi quoque, vt finem suum consequatur, esse debere. Dicitur est nanque præcipuam hominis perfectionem in veritatis cognitione positam esse. At in hac mortali vita citra sensuum ministeriû, nulla, via saltem ordinaria, cognitio obtingit. Sensus autem sine organo corporeis constare non possunt; neque idonei perspicacesque sensus absque idoneis præstantibusque organis; nec præstantia organa sine præstanti corpore: debet enim inter totum & partes apta quedam proportio ac symmetria intercedere. Necessarium est ergo, vt anima hominis vnatur corpori ad sentiendum quàm optimè comparato.

Ad sentiendum autem illud censetur quàm optimè dispositum, quod sortitur nobilissimam viuacissimumque tactum. Nam etsi plures in vno homine existant sensus, horum tamen omnium basis, & fundamentum, & quasi parens est tactus: in hoc vno enim natura sensitiva præcipuè consistit. Vnde reliqui sensus non solum à proprijs obiectis, si excellentiora sint, quàm vt commodè ferre valeant, læduntur, verùm etiam à vehementiori tactus obiecto. Illud itaque corpus ad sentiendum erit quàm maximè idoneum, quod tactus organum nactum erit quàm optimè & quàm conuenientissimè dispositum. Porro autem cum cuiuslibet sensus organum ab ijs qualitati-

bus

bus vacuû esse oporteat, quas ipse sensus suscipere natus est; (intus enim existens, excludit foris vrgens) & sensus tactus ab ijs omnino vacuus ac denudatus esse non queat: (nam cum corpus sit, ex contrarijs qualitatibus concreuerit, necessum est) sit vt hic sensus eò in vno quolibet perfectior existat, quò ab eiusmodi qualitatibus fuerit repurgatior, hoc est, quò eiusmodi qualitates in organo tactus ad medium quoddam temperamentum coierint perfectiùs. Atque ita illud corpus erit nobilissimum, adeoque, cui rationalis anima, vt forma, vnatur, aptissimum, quod ad summam quandam principum qualitatum æquabilitatem fuerit redactum: tale autem est humanum.

Quod ergo de humani corporis præstantia ab Antagonista adferebatur, id gratis lubenterq; concedimus: verùm hinc nequaquam id consequitur, quod ille inde inferebat, puta plures in vno homine substantiales formas esse; vel ipsam animam præuijs quibusdam dispositionibus corpori, quod informat, vniri: (vnitur enim illi per se primò & proximè) Nam etsi vna ad numerum anima simul & semel materiæ, quam perficit, largiatur esse corporeum, viuum, sensituum, & intellectiuum; attamen, vt nos concipimus, & rectè concipimus, eadem illa anima & substantialis hominis forma priùs impertit materiæ esse corporeum, & accidentia, quæ huic gradui naturaliter coherent, quàm esse viuum, vel animatum; & esse animatum vel viuum cum necessarijs qualitatibus & dispositionibus priùs rursus, quàm esse sensituum; & hoc esse cum accidentibus opportunis priùs denum, quàm esse intellectiuum. Anima itaque considerata non prout dat hoc vel illud esse, sed prout dat esse absolutè, nihil ponit in materia, quod ipsam antecedit. Considerata autem non absolutè, sed prout impertitur huic vel illum essendi gradum, puta esse viuum, vel sensituum, vel intellectiuum, ponit aliquid, nempe omnia illa accidentia, quæ naturaliter comitantur inferioris ordinis gradum, quem priùs intelligimus ipsam dare, quàm perfecti-

Anima vnitur corpori per se primò & proximè.

In hac vita citra sensuum ministerium non cõtingit cognitio.

Reliquorum sensuum basis, est sensus tactus.

orem. Atque ita planum est, quæ ratione nullæ dispositiones substantialem formam antecedant, & quo rursus pacto aliquæ eandem antecedant.

Quia ergo hominis anima humano corpori vnitur non vt motor, vel non vt motor tantum, sed vt essentialis illius forma; neque per medium aliquod, sed per se primò & proximè, neque secundum aliquam sui partem, sed secundum se totam; neque huic vel illi corporis parti præcisè, sed toti integrè: fit vt non solum totum corpus, sed omnes quoque & singulæ totius corporis partes esse substantiale & specificum ex ipsa, & per ipsam sortiantur. Vnde vt anima abscedente homo non manet homo, aut animal, aut viuum quippiam: ita manus quoque, aut pes, aut oculus hominis, non manet oculus, aut manus, aut pes hominis, nisi quadam homonyma & equiuoca tantum ratione. Siquidem nihil horum omnium, anima à corpore separata, pristinas operationes retinet: cum tamen omne id, quod speciem seruat, seruet quoque operationes ratione speciei conuenientes.

Et quidem quòd anima vniatur corpori vt forma, & citra medium, probatum est iam antè. Quòd verò toti integrè, hoc est, ipsi, omnibusque & singulis eiusdem partibus, istuc operationem probationem nonnullam efflagitat. In aperto est enim nullam extare corporis partem, quæ non viuat: at vita omnis ab anima dimanat. Vt autem ibi viuificet, aut moueat, aut aliam quamcunque operationem exercent, vbi præstò non est, id fieri nullo modo potest. Adhuc anima nõ est minoris energie, quàm reliquæ rerum materialium formæ: cum ergo eiusmodi formæ sint in toto, & in quavis totius parte: vt forma ignis in toto igne, & in qualibet ignis portione; & forma lapidis in toto lapide, & in vnaquaque illius parte: erit etiam anima, quæ his multò perfectior est, in toto homine, vel animante, & in singulis rursus totius hominis, vel animantis partibus: prout eadem quoque non huius, vel illius organi, membri, vel partis actus dicitur, sed totius corporis organici.

Denique

Omnes & singulæ corporis partes esse substantiale ab anima mutantur.

Anima informat totum corpus, omnesque & singulas corporis partes.

Denique impertiri esse formale toti, non etiam singulis partibus, est conditio formæ accidentariæ: Cuiusmodi est compositio, vel ordo in artificialibus: nec enim forma domus est in singulis partibus seorsum, sed in omnibus simul sumptis. Anima autem est forma substantialis.

Quod denique vniatur toti corpori, singulisque totius corporis partibus, non secundum aliquam sui partem, sed secundum se totam, hoc est, secundum essentiam suam integrè & indiuisè: (Nam secundum potentiam nõ est tota in singulis partibus, multò verò minùs secundum quantitatem) id Augustinus exponit his verbis: Creatura spiritalis, sicut est anima, est quidem in corporis cõparatione simplicior, sine cõparatione autè corporis multiplex est etiam ipsa non simplex. Nam ideo simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in vnoquoque corpore & in toto tota est, & in qualibet eius parte tota est. Et ideo cum sit aliquid in quavis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quanuis non fiat in toto corpore: illa tamen tota sentit, quia totam non latet. Hæc ille, & rectè. Nam cum anima sit spiritus corporis expers, impartibilisque substantia, necessarium est vt tota sit, vbicunque fuerit. Quòd si indiuidua esset, morti vtique necessariò obnoxia foret. At non est tamen indiuidua vt punctum, sed vt Spiritus. Atque vnum hoc in causa est, vt tota coniungi queat vni parti, & tota rursus alteri, licet loco inter se diffideant, vt manus, pes, caput. Rursus licet simplex & indiuisa sit, secundum essentiam, est tamen diuisa & multiplex secundum virtutem & operationem: Atque ita diuersas materiæ partes informare, & ad opus mouere, diuersasque in vno homine sedes, puta cor, cerebrum, oculos, aures, &c. sibi vindicare potest. Nam et si videndi potentia sit in anima tanquam in radice, vel causa vt existit in pede, in pede tamen non videt, quia non habet ibi organum ad eliciendum visionis actum idoneum: si tamen ibi haberet, & in pede quoque videret: & idem statuatur de

Anima secundum se tota est in singulis corporis partibus.

Aug. lib. 6. c. 6. de Trinitat. M. I. d. s.

Anima nõ est indiuidua vt punctus.

cate-

ceteris sensuum organis. Et hæc de anima, eiusdemque cum corpore societate hæctenus.

Animas à corpore seiunctas diuino iudicio fisci: iudicatasque pro meritum ratione statim ad certum aliquod receptaculum deportari.

CAPVT SECVNDVM.



Xpositum est huc vsque, vnde, quid, & qualis sit anima, quantamque cum toto corpore, singulisque eiusdem membris, & partibus societatem ineat: nunc paucis explanandum est, quò rursus à corpore, quod informauerat, familiariterque incoluerat, diuellatur, quòve inde iam diuisa & iudicata (simul nanque ordinaria lege fit vtrunque) deportetur. Certum est enim, vbique esse non posse, cum sit finita; neque rursus nusquam, cum sit natura aliqua: sed pro meritum ratione in aliquo præfinito ac certo loco.

Anima neque vbique est, neque nusquam est.

Anima nullam corporis partem informat, nisi conuenienter dispositam.

Vtigitur anima, neque totum, neque vllam omnino corporis partem informat, nisi totum singulæque totius partes, cum ad animæ susceptionem, tum ad operationes quoque, toti, singulisque totius partibus naturaliter cõuenientes, aptè conuenienterque fuerint dispositæ: ita vbi primum eiusmodi dispositiones in corpore esse deserint, statim anima illud informare desinit: Totum quidem, si vniuersè deserint; partem verò, si tantum ex parte. Nam vt totum informare non potest, nisi totum congruenter fuerit affectum: ita nec partem quoque vllam omnino informat, si necessaria dispositione careat. Quod enim eam ad rem attinet, par ratio militat in toto & in partibus. Quamobrem si in homine vel hominis corpore eiusmodi naturales, necessariæque dispositiones deserint, hoc est, destituerint vnam partem post alteram: anima, que omnes & singulas corporis partes informabat, non deseret vno quasi tem-

temporis puncto simul omnes, sed quadam temporis intercapedine & successione partem post partem.

Et quia sensus, & ratio quoque huic succedaneæ desertioni neutiquam obscure attestantur: experimur enim homine adhuc spirante, & interdum quoque loquente, manus, & pedes, cæterasque corporis extremitates omnino rigere, & intermortuas esse: verissimum fit, animam subcisiuè, hoc est, partem post partem deferere. Ratio autem, quæ præter certam experientiam istuc suadet, est: quia forma nunquam desinit materiam sibi subiectam informare, nisi dispositiones, quas ad operationes naturæ suæ conuenientes deposcit, irrecuperabiliter in ea sint corruptæ, hoc est, ita turbatæ, & dissolutæ, vt natura proprijs nixa viribus eas amplius redintegrare nequeat. Cum ergo eiusmodi deprauatio primò contingere soleat in partibus remotioribus à corde, quod vnum omnis vitalis operationis fons, primumque inter cætera membra viuens, & vltimum moriens appellari consuevit: omnino statuere oportet animam, vel omnia, vel plurima membra subcisiuè destituere.

Anima plerunque partem post partem informare desinit.

At anima, inquis, primo introitus sui articulo, non informat partem post partem, sed omnes partes simul? Ita est: Verum non est par ratio vtrouique. Siquidem prima animatio est naturalis, in quam proinde natura ex instituto tendit: dispositiones præterea ad formam nusquam non occurrunt equabiles. Natura enim non hanc, vel illam materiæ partem præcisè, sed totam materiam simul ad formæ susceptionem disponit. Verum ad deanimationem, formæve expulsionem veluti innaturalem natura per se non tendit: imò tota vi ad oppositum, hoc est, ad hominis conseruationem contendit. Et quemadmodum in sui interitum non nititur, sed eidem, quanta vi potest, obnititur: ita in nullas quoque dispositiones formæ conseruandæ contrarias, aut dissentaneas incumbit, sed toto conatu illis obfistit. Attamen, quòd propter contrariorum agentium vim singulis diu obfistere non queat,

Anima non eodem modo incipit & desinit informare.

Non est idem motus ad ortum & interitum.

paulatim succumbit. Atque ita primò deprauantur partium remotiorum minusque principalium dispositiones, mox relique principalioribus viciniore, sensimque cætera, donec tandem ad ipsum vitæ fontem ventum fuerit. Sed nec idem quoque motus est ad ortum, qui est ad interitum. Homo enim tendens ad ortum ab anima vegetatiua vitæ functionem orditur: inde verò progressum facit ad sensationem: hinc demum ad intellectus operationem pertingit. At verò ad interitum vergens propter cerebri perturbationem, primò plerumque rationis usum amittit, mox actum sensationis, postremò opus vegetationis. Atque ita patet non eandem prorsus rationem esse animationis & exanimationis.

Porro autem an, vt manibus, & pedibus, cæterisque extremis corporis partibus emortuis, cor sepe adhuc viuit, & sentit: ita corde, vel alio primario membro emortuo, aliud adhuc minùs principale viuere, animæque presentia potiri queat, id certò definiri non ita facilè potest. Certum est tamen, si fixa firmaque cæterorum membrorum constitutio, eorundemque harmonia, à cordis, vel cerebri, vel alterius primarij membri harmonia, & constitutione non dependet, vt argumentis non prorsus contemnendis inde non dependere probant nonnulli, & quibusdam quoque exemplis confirmant; cordis, vel alterius principis membri harmonia dissoluta, aliorum membrorum minùs principalium constitutionem, & per consequens animationem, consistere posse. Nam vt contingit oculum citra vllam recuperandę visionis spem esse cæcum, & tamen animam totam illius materiam integrè adhuc informare: ita contingere quoque posset, vt anima informaret aliquam corporis partem, quæ ita tamen turbata esset, vt operationes in talem partem conuenientes exercere non valeret. Quandoquidem firmior perfectiorque dispositio deposcitur ad naturalem operationem, quàm ad solam informationem,

ani-

Ad naturalem operationem maior requiritur dispositio, quàm ad solam animationem.

animæ ve & corporis vnionem. Quare non est certum satis absentis animæ indicium, nullum vitalis operationis argumentum in homine depræhendi. Potest enim fieri, vt quispiam ne respiret quidem, & tamen vitæ spiritum intra se adhuc contineat. Nec pugnant hîc nobiscum, qui principali corporis membro corrupto animam totum statim corpus deserere pronunciant: pronunciant enim & spectant, quod plurimum accidere solet; non, quod contingere potest, & interdum fortè contigit. Non enim semper sunt vita functi, qui iudicantur eiusmodi. Contingunt nanque varij casus, variaque occurrunt morborum symptomata.

Hinc patet, quæ de exitu animæ è corpore à quibusdam traduntur, exigua vel nulla veritùs certitudine niti: Nam præterquam quòd animæ pari tempore non partes semper corporis partes deserant, non deposcunt quoque certum aliquem meatum, aut portam per quam egrediantur: æquè enim commodè transmittunt per corpus quodcunque obstitans, ac per locum densò corpore vacuum. Imò verò si pressè velimus loqui, per nullam corporis partem propriè transmittunt, aut transeunt. Transmissio nanque & transitio includunt motum localem, qui in animas, cùm partibus, quæ loco commensurentur, careant; nec medium propriè transeant, propria ratione non conuenit.

Animæ nõ indigent porta, per quã emittant.

Et vt certò discerni non potest, qua corporis parte vel porta iudici suo sistenda anima egrediat: ita certò quoque sciri non valet, ad quam stationem corporeis vinculis iam exuta deportetur. Pendet hoc enim ex interna ipsius constitutione, de qua citra certam reuelationem homini certò constare nequit: Imò ne ipsi quidem animæ, priusquam illius merita accurate fuerint ventilata. Nam priuati iudicij disceptatio loci terminum, ad quem deportatur ordinariè antecedit: quippe cùm aliud nihil sit animæ abitio, vel ad locum suum deportatio, quàm sententiæ iam latæ executio: consequitur executio.

Nescitur quòd anima corporibus egressæ deportentur.

Animæ deportatio est sententiæ latæ executio.

tur illam enim, vt effectus suam causam. Ideo nanque animę abducuntur ad hunc, & non ad illum locum, puta ad infernum vel purgatorium, & non ad cœlum, quia discussa eorum causa compertum est, his illas dignas esse sedibus, illis verò indignas. Debet enim inter locatum & locum, inter continens item & contentum aliqua proportio intercedere.

De hoc autem priuato iudicio plura in quæstionem vocari possent, & à quibusdam plura quoque vocantur: videlicet, Extra'ne, an intra corpus exerceatur: & si extra, Ibi'ne, vbi anima corporis sui tabernaculum ponit, an alibi: mox, Quomodo, & per quos, per Christum'ne ac spiritaliter, an verò per Angelos & corporaliter: postremò, Quo tempore, vel quando, hoc est, statim'ne post separatam à corpore animam, an post certum aliquod temporis interuallum. Verùm quòd veteres, diuinæque literæ non ita multum ea de re prodiderint, quodque exacta huiusce rei notitia ad id, quod hic institimus, non admodum necessaria censeatur, sobriè ac

a. Cor. 5. » parcè de eo iudicio differemus. Scriptum est sanè: Omnes
» nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat
Rom. 5. » vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum si-
» ue malum. rursus: Omnes stabimus ante tribunal Chri-
» sti, & vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. de-
Heb. 9. » mum: Statutum est omnibus semel mori, post hoc autem iu-
» dicio. Verùm hæc omnia, & si qua sunt alia his cognata,
» æquè verè, vel veriùs quoque, ad vniuersale omnium iudi-
» cium referri possunt, ac ad priuatum singulorum. Constat
» nanque priuatum illud iam inde à mundi exordio exerceri: &
» tamen Christus iudiciariam potestatem tunc nondum prome-
» ritus erat, vt qui secundum naturam assumptã, qua eam pro-
» meritus est, nondum existeret. At aliquid tamen & de hoc
» quoque iudicio attingendum est.

Et primò quidem vnum hîc certum est: puta, priuatum illud animarum iudicium non differri vsque ad communem carnis

De priuato a-
nimarum iudi-
cio plura in
quæstionem
veniunt.

a. Cor. 5.

Rom. 5.

Heb. 9.

Scripturæ de
priuato singu-
lorum iudi-
cio parcè lo-
quuntur.

carnis resurrectionem. Quandoquidem si tantisper differretur, non posset ipsa quoque remuneratio tantisper non differri, cum ordinaria lege hæc ex illo consequatur. At isthæc tantisper non differtur: Nam aliàs ante vniuersale mortalium omnium iudicium, nemo, aut verè miser, aut verè quoque beatus foret, quod est falsum, & à ratione prorsus alienum. Nec enim vlla omnino apparet causa, cur præmiũ, vel supplicium ad finem vsque seculi differri debeat: multè verò & graues, cur ad illud vsque tempus differri non debeat. Constat enim præsentem hanc vitam stadium esse, in quo summus ille Agonotheta pro coelestis beatitudinis brauiò vult nos currere: Arenam, in qua idem ille contra carnem, dæmonem, & mundum vult nos pugnare. Vnde hominis vita militiæ comparari solet: Militia, ait Iob, est vita hominis super terrã: & sicut dies mer-
cenarij, dies eius. Atqui post exantlatum diei laborem, abso-
lutamque militiæ molestiam, pro meritorum ratione stipendia statim exolui solent. Constat nihilominus meritum non
conuenire corpori secundum se, cum ipsum secundum se
omnis libertatis expers existat: sed animæ, quæ est primum
omnis voluntarij actus principium. Cum omnia ergo merita
ex anima deriuentur ad corpus, consentaneum est vt ipsa quo-
que ante corpus iusta mercede potiatur. Constat denique or-
dinem in spiritalibus non minùs perfectum consummatum-
que esse debere, quàm est in naturalibus: atqui in naturalibus
vnumquodque eam illico consequitur perfectionem, cuius
capax est, nisi fortè ex parte actricis, vel susceptricis causæ ali-
quod impedimētum hæreat. Cum itaque anima, vbi primùm
à corpore segregata est, gloriæ & poenæ capax existat, ordina-
riè statim alterutro potitur.

Patrocinantur Catholicæ huic veritati & frequentes quo-
que Scripturæ. Notum est enim illud Iob: Ducunt in bonis di-
es suos, & in puncto descendunt in infernum. & illud Lucæ: Mortuus est diues, & sepultus in inferno. & illud ei usdem: Hoc die mecum eris in paradiso. & illud Ioannis: Datæ sunt illis sin-

Priuatũ sin-
gularum iu-
diciũ nõ dif-
fertur vsq; ad
communem
carnis resur-
rectionem.

Cap. 7.

Anima omnis
voluntarij a-
ctus princi-
pium.

Cap. 21.

Cap. 16.

Cap. 23.

Apoc. 6.

Lib. 4. in
Apocal.

2. Cor. 5.

Ephes. 4.

Ad psal. 68.

Philip. 4.

De dogmat.
Ecl. c. 78.

gulae stolae albae. Hic Ambrosius Ansbertus: Quid hoc loco per stolas albas, nisi merces Baptismi, nisi premium martyrii, nisi retributio malorum, nisi gaudia coelestis patriae designantur? & illud Apostoli: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod aedificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, sed eternam in caelis. Hic Anselmus: Praedicatores Ecclesiae, posteaquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui patres, coelestis patriae perceptione differuntur; sed mox, ut a carnis colligatione exeunt, in coelesti sede requiescunt.

Et illud rursum: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Hic Hieronymus: Deus sua morte liberauit, & in aliam dulcem & optabilem captiuitatem transfudit: ut sicut antea a diabolo captiuus tenebatur, cui aliquando seruiant; sic postea a Deo capti sunt, ut illius seruiant iustitiae. Nam propter hoc ipsum captiuam duxit ipsam captiuitatem, quia felici, ac desiderabili captiuitate sic detinetur in gloria, ut sicut antea non licebat illis repedare ab inferis; sic etiam modo non sit illis liberum ab illa beata vita vel ad modicum diuertere. & illud denique eiusdem, (nec enim opus est singula hic persequi) Cupio dissolui & esse cum Christo. At Christo coniunctum esse in caelo, est absolute beatum esse. Sanctorum animae, inquit Augustinus, exeuntes de corpore, ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram ac perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur: sicut & peccatorum animae in inferno sub timore positae, expectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad poenam detrudantur aeternam.

His omnibus accedit expressa Concilii Florentini sanctio. ait enim: Definimus illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exute corporibus sunt purgatae, in caelum mox recipi, & intueri clare ipsum Dominum trinum & unum sicuti

sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel in solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Haec concilium, cui prolixè astipulatur extrauagans Benedicti vndecimi. Si ergo animae omnes secundum communem Dei legem statim post mortem consequuntur dignam suorum operum mercedem: sceleratae quidem, & a Deo alienae, simpliciter, pia, si tamen nihil, quod aliqua purgatione indigeat, secum deferunt, similiter: consequens fit, ut statim quoque iudicentur. Siquidem per iudicium non solum de ipsa remuneratione secundum se decernitur, verum de ipso quoque modo & ratione, hoc est, de ipsa remunerationis quantitate, & qualitate.

Aequè certum est, iudicium illud non exerceri, anima existente adhuc in corpore. Siquidem quousque vita haec praesens decurrit, & vel exiguus liberi arbitrii usus reliquus fuerit, eò usque homo per veram poenitentiam semper ad Deum sese conuertere, adeoque plenam peccatorum veniam ab ipso obtinere potest. Atqui liberum arbitrium usque ad vltimum vitae articulum obtinere solet, aut certe obtinere potest. Et quemadmodum peccator, dum in viuis agit, per gratiam ad Deum sese potest conuertere: ita iustus per liberum arbitrium ab eodem vicissim sese auertere potest. Iustitia iusti, ait Spiritus sanctus per Ezechielem, non liberabit eum, in quacunque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die, hoc est, quocunque vitae suae momento, ab impietate sua conuersus fuerit. Huc pertinet & illud Ecclesiae quoque: Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Ergo dum adhuc stat, (Stat autem, dum vitae spiritum adhuc trahit) in vtramuis partem conuertere se potest: sed in alteram per liberum arbitrium solum; in alteram verò per gratiam & liberum arbitrium simul.

Facit ad hoc institutum & illud Augustini quoque: Periculosum est poenitentiam usque ad finem vitae differre: si tamen tunc

Non par est
omnium be-
atitudo.Iudicium pri-
uatum non ex-
ercetur, dum
anima adhuc
agit in cor-
pore.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Ezech. 9.

Vehemens
contritio tol-
lit omnem
pœnam.

tunc vera habeatur pœnitentia, hominem liberat, & spiritua-
liter mortuo vitam gratiæ impetrat: non tamē sic, vt nullam
sentiat pœnam, nisi fortè tanta sit vehementia contritionis &
gemitus, quę sufficiat ad punctionem iniquitatis. Licet ergo
difficile sit, vt tunc vera sit pœnitentia, quando venit tam fe-
ra, dum cruciatus membra ligat, dum dolor opprimit sensum,
ita vt homo vix valeat aliquid aliud cogitare: melior est ta-
men pœnitentia fera, quàm nulla. Pœnitentia nanque si in ex-
tremo vitæ hiatus aduenerit, sanat ac liberat. & illud rursum
Leonis Magni:

Epist. 90. ad
Ruff.
De pœn. d. 7.
c. Nemo.

Lib. 2. c. 4.

Quod Ange-
lis lapsus,
hoc homini-
bus mors.

40. d. 20. q. 1.

d. 47. q. 1. ar.
1. ad 1.

3. per. q. 69.
ar. 5.

4. d. 20.

Nemo desperandus est, dum in hoc corpore constitutus
est: quia nonnunquam, quod diffidentia ætatis differtur, con-
silio maturiori perficitur. & illud item Ioannis Damasceni:
Scire oportet quoniam quod hominibus mors, hoc Angelis
est lapsus. Post lapsum enim non est illis pœnitentiæ locus, vt
neque post mortem hominibus. Ergo ante mortem ad pœni-
tentiam conuerti possunt, ergo non iudicantur, dum vitę spi-
ritum adhuc ducunt. & illud nihilominus Thomę Aquina-
tis: Quamdiu manet homini vsus liberi arbitrij in hac vita, in
qua nondum est confirmatum ad malum, potest se preparare
ad gratiam. & infra: Duplex homini iudicium debetur. Vnum
singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet iuxta
ea, quę in corpore gessit. Aliud iudicium debet esse de eo, se-
cundum quod est pars totius generis humani, &c. & alio rur-
sum loco idem: Iudicium de re mutabili perfectè dari nõ po-
test ante eius consummationem. Vnde de homine iudicium
perfectè dari non potest, quoad eius vita terminetur, eò quod
multipliciter potest mutari: de bono in malum, aut econuer-
so; vel de bono in melius, vel de malo in peius. & illud tandem
sancti Bonauenturæ: Credendum est, quod in egressu animæ
à corpore assistunt spiritus bonus & spiritus malus, vel vnus
vel plures, & tunc secundum veritatem ferri sententiam: &
si bona est anima, per ministerium boni Angeli adduci eam in
cœlum, vel in purgatorium; si verò mala, per ministeriũ An-
geli

geli mali ducitur ad infernum. Mitto hęc alios Scholę Theolo-
gos tanquam ad rem præsentem minùs necessarios. Est enim
quędam quasi cõmunis animorum conceptio, hominem ante
mortem non iudicari, sed in morte, vel post mortem.

Neque turbare hęc nos debet, quosdam etiamnum spirãtes
compertos, qui lamentabili voce queritarentur se iam iudica-
tos, vel infernali draconi in escã traditos: Alios, qui se ad Deũ
ampliùs conuertere, aut boni aliquid moliri non posse dicerēt.
Quandoquidem hęc, & quędã alia his cognata, peculiaria ex-
titerunt, quę proinde cõmuni legi, de qua hęc differimus, nul-
lum præiudicium adferunt. Sed & aliud quoque est examinari,
aliud absolutè iudicari: aliud rursum dicere se iudicatum, vel
draconi traditum, aliud re ipsa traditum, vel iudicatũ esse. Po-
test nanque causa alicuius discuti, & tamen nõ statim absolui:
pari ratione potest aliquis credere se iam iudicatum & conde-
mnatum, & tamen falli: quemadmodũ reuera ille falsus fuit,
cuius in suis Dialogis meminit Gregorius. Siqui autẽ quæsi-
tam in vita pœnitentiam nõ inuenerunt, illi non syncerè, & ex
animo quęsiuerũt, sed fucatè & seruili quodam timore. Nemo
itaq; lege saltẽ ordinaria iudicatur vitę spiritum adhuc ducens.

Et quia iudicium hoc non exercetur intra, sed extra corpus,
nec communi lege vel ad exiguũ temporis spatium differtur,
licet ex speciali aliqua causa differri queat, & dilatũ quoq; ali-
quando legatur: probabile fit animas ibi plerunque dijudica-
ri, vbi corporis sui sarcinam posuerunt. Nam cùm iudicis vir-
tus ad omnia loca ex æquo sese extendat, nullum est operepre-
cium, vt singulorũ spiritus ipsi in cœlo sistantur: maximè ve-
rò, cùm infidelium, & sceleratorũ animæ, quę ad cœlestis do-
micilij contemplationem admittantur, indignę sint prorsus.
Et vt nulla necessitas cogit, nulla grauis ratio suadet, vt huma-
ni Spiritus iudici sistantur in cœlo: ita nulla quoque causa ap-
paret, cur in aère intermedio, vel in alio communi, vulgato ve
loco eidem sisti debeant. Imò verò communem iudicij locum
subire non debere, ipsa nominis ratio quodam modo postulat.

Peculiaris cõ-
mune legem
nõ infirmant.

Animæ cõmu-
niter ibi iudi-
catur, vbi cor-
poris taber-
naculum po-
nunt.

Nec enim ob id solum iudicium illud priuatum, vel particulare appellatur, quod non sit omnium, sed singulorum; nec totius hominis, sed partis; nec totius poenae vel gloriae, sed partis: sed ob id etiam, quia non est vnius communis loci, sed cuiuscunque particularis, prout videlicet vnusquislibet in hoc, vel illo priuato loco vita defungitur.

Asto. 10.

Exercetur autem iudicium hoc per Christum precipue: hunc enim coelestis pater viuorum simul ac mortuorum iudicem constituit: non quod is ad quemlibet moribundum aduolet, aut corporali schemate iudicio huic praesideat; hoc enim neque necessarium est, nec commode quoque fieri potest: quippe cum is circumscriptiuè in vno duntaxat loco degat, & in diuersis locis plurimos simul animas exhalare sepe contingat: sed quod infinita sua virtute & authoritate omnia penetret, nullique, quod equum est, dependere non soleat. Ceterum aliqua ne coelestium mentium opera in hac iudiciaria prouincia vtatur, an verò proximè per se administret omnia; id non est satis compertum. Certum est tamè, vt in alijs plerisque, ita & hic quoque authoritate sua per omnia salua, ea vti posse. Nam & in humanis quoque Reges & principes non per se, sed per ministros suos iudicium exercere assolent: & tamen, hoc non obstante, ipsi causam cognoscere, ipsi sententiam ferre & exequi rectè censentur: Siquidem ministri non sua, sed principum authoritate faciunt, quicquid hic faciunt.

Incertum Angelorum ne ministerio in priuato iudicio vtatur Christus.

Particulare iudicium non fit strepitu aliquo vocali.

De iudicij porrò huius qualitate & modo multa hoc loco in medium adferre non attinet. Clarum est enim, cum spiritus sit, qui iudicat; & spiritus rursus, qui iudicantur; nulla opus hic esse, aut vocali disceptatione, aut vocis strepitu, aut vlllo alio externo forensive murmure; sed sola vi quadam occulta, internaque locutione, qua status controuersiae reo patefiat. Quae utique hic adest vsque; adeò potens ac perfecta, vt vniuersam tractatae vitae feriem, vno quasi temporis puncto animae ob oculos ponat: ita vt clarè videat, perfectaeque intelligat, quod pro merito, quae in locum abitura, & quid tandem mercedis loco sit receptura.

Nec

Nec mirum sanè videri debet hoc particulare iudicium tanta celeritate posse transigi, cum communi doctorum sententia (cui Scripturae quoque disertè astipulantur: Comparant enim iudicis aduentum fulguri, quod perniciosissimo motu fertur) vniuersale omnium breuissimo temporis spatio absolendum sit. Denique non est maioris moliminis animam iudicare, quam ex nihilo producere: Cum ergo Deus vno veluti momento quam plurimas creare soleat, & innumeras creare queat, poterit eadem facilitate & pernecitate quam plurimas quoque iudicare.

Verum siue hoc, siue illo, siue alio quocunque modo transigatur, est illud supra modum horrendum. Verè illud Apostoli, Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. locum hic habet. Heb. 10. Primò iudicij huius praeses non est eiusmodi quispiam, qui prece vel precio in illo articulo queat flecti, aut ab equitate vllam in partem abduci, aut per appellationem, aliamve iuris viam a sententiae executione impediri; vt qui infinite sit iustus, infinite sapiens, infinite potens. Mox sententia absolutè semel lata, nunquam amplius retractatur. Accusatores postremò sunt multi, & longè acrimi: anima autem, si virtutum praesidio destituitur, quod omnibus hisce periculis & malis obijciat, nihil habet quicquam. Vnde non solum vulgares homines iudicium illud vehementer formidant, & formidandum praedicant, sed illustribus quoque sanctimoniae heroes.

Priuatum iudicium appropinquè horrendum est.

Quidam integerrimae vitae monachus tria grauissimè se metuerè profitebatur: nimirum egressum animae de corpore, occursum Dei, & sententiam eiusdem. Alius venerandus senex praedicabat, homines ita perpetuò affectos esse debere, vt illi solent, quod propter capitale crimen coiecti sunt in vincula. Alius aiebat istuc subinde repetendum, animoque pertractandum esse: Memento quia Deo occurrere te oportet. Alius semper flendum esse monebat. Nam in mentis excessum abreptus audiuit quendam lugubri voce identidem ingeminantem: Ve mihi: Ve mihi. Arsenius denique & Agathon, etsi vniuersam vitam sanctissimè transigissent, moribundi tamen se iudicium Dei oppidè metuerè, semperque iam

Sancti priuatum iudicium vehementer metuant.

inde à conuersationis suę initio metuisse attestabantur.

Animæ iudicatae ab Angelis vel demonibus deportantur ad locum meritis suis dignum.

Ceterùm lata sententia, quæ, vt modò dicebamus, summa celeritate, & quasi tēporis puncto fertur, animę statim ad locū meritis factisq; suis dignū Angelorū ministerio deportantur: Bonę quidē & pię, à pijs & bonis: improbę verò & sceleratę, ab improbis & sceleratis. Abducuntur autem, non quòd ipsę per se eò, quòd abeundum est, abire nō valeant, (est enim meritum id ferè animæ, quod Elementis est pondus) sed q̄ Deus in eiusmodi rebus, ministrorū suorū operam adhibere soleat: quodq; ipsi prompti alacresq; ad hoc ministerium aduolent: Boni quidem propter charitatē, qua flagrant: mali verò, propter inuidiam & rabiem, qua ardent. Lētantur hi enim perditionis sociam se nactos, tentationumq; suarū industriam cessisse feliciter: illi verò, eterne felicitatis cōsortem obtigisse, neq; custodię suę curam infructuosam extitisse. Sed nec omnibus fortassis patefit statim, quòd abeundum est: & vt certò patefiat id omnibus & singulis, vt fortè fit, adhuc sceleratę, propter parata apud inferos supplicia cunctantiùs se mouēt. Idem & de ijs dici quoque potest, quę nondum sunt plenè purgatę. Est enim naturale, immania supplicia horrere, et si alioqui bonus sis.

Animę possunt se ipsas de loco ad locum transferre.

Adde his, nō deesse, q̄ existimēt animas à corpore seiunctas, de loco ad locum vi ppria mouere se non posse, vt quę in partē & partē diuidi non queant, infimumq; inter spiritalia gradū obtineāt. Verùm hęc opinatio nō immeritò reijcitur. Nam cū anima corpus, quod informat, de loco ad locū moueat impellatq; poterit & se solā quoq; de loco ad locū transferre, cū mouendi facultatē per separationē non amittat; spiritalemq; existendi operandiq; modum à corpore separata assumat. Ad hęc cū anima habeat intellectū, quo se secundum locū dirigat; & voluntatē rursus, qua motū imperet: habebit & motricem quoq; facultatē, qua motū imperatum perficiat, aliās enim esset planè imperfecta extremeque misera. Denique non est id animabus negandum, quod imperfectissimis quibusque animantibus cōcessum nōscitur: at hęc de loco ad locū se mouent:

uent: mouebunt se ergo & animę quoque. Fatendum est tamen non eo modo se mouere, quo corpora & corporata: sed quo spiritalia, & corporis exortia mouere se solent.

Communia humanorum spirituum receptacula in vniuersum quinque extare, & iam inde ab orbe condito extitisse: videlicet Cælum, Infernum, puerorum Limbum, Abrahę sinum, & Purgatorium.

CAPVT TERTIVM.

POrro autem communia animarum receptacula (nam peculiaria pro diuinę sapientię dispositione quantacunq; esse possunt) quinque in vniuersum assignari solent: nempe Cælum empyreum, Infernus damnatorum, Limbus puerorum, Sinus Abrahę, patrum limbus vulgò appellatus, & Purgatorium. Fatemur tamen nullum iam inde à mundi exordio extitisse tempus, quo omnia hæc simul patuerint. Siquidem toto illo tempore, quo patuit limbus patrum, occlusum fuit cælum; & vice versa toto illo tempore, quo patuit cælū, occlusus fuit limbus patrum. Nō quòd nullus simpliciter ibi esse possit, aut fortè sit: sed q̄ Deus Opt. Max. qui eiusmodi sunt, cuiusmodi erant illi, qui eum locū quondā obtinebant, ibi esse nō sinat. Censet enim tales cælo dignos, nō inferno, vel limbo.

Quinque communia animarum receptacula, quę nūquam tamen simul patuerunt.

Sunt tamen, qui ea omnia, quę de animarū sedibus in Scripturis, vel sanctorum Patrum monumentis traduntur, ad metaphoram transferant. Afferunt enim creatū spiritum, cuiusmodi est anima, ad omnem locum indiscriminatim se habere: Imò vero nihil prorsus cum corpore, vel loco corporeo, commune illi esse; vt qui, neque loco contineri, nec vllam omnino corporalem, aut spiritalem qualitatem; cōmodum rursus, aut incommodum, inde haurire queat. Alij numerum hęc assignatum impugnant. Aiunt enim duò sat esse: vnum, vbi puniantur peccata; alterum, vbi virtutum exoluantur stipendia. Vel certè tria: vnum perpetui gaudij, alterum perpetui supplicij, tertium cruciatus temporanei: temporaneę enim

De animarū receptaculis nō idē omnium iudiciū.

felicitatis nullus legitimè assignari potest. Non desunt, qui quinario crassum hunc caliginosumque aërem, nec non terrestrem quoque paradysum, & alia præterea nonnulla loca adijciant. Vnum, exempli causa, vbi illi poenas pendant, qui peccato tantum veniali & originali obstricti hinc excefferunt. Alterum, vbi ea pietatis opera pensentur, quæ damnati, dum in viuis adhuc agerent, perfecerunt. Alterum rursus, vbi corpora simul cum animabus crucientur, vel recreentur, ab eo secretum, vbi nunc animæ solæ, vel poenas luunt, vel præmia capeffunt. Locum item pro cuiusque peccato vel merito: disparibus enim meritis dispar locus debetur. Locum denique, in quo quisque flagitium vel facinus perpetravit. Sicut fures eo in loco interdum suspenduntur, in quo furtum, vel aliud maleficcium perpetrârunt.

Sed hæc leuia sunt, neque digna satis, quæ diu multumque nos detineant. Enimvero cum humani spiritus post mortem verè existant, & non sint vbique; (hoc enim solius Dei est proprium) nec rursus ibi sint omnes, vbi ipsi esse velint, sunt enim quidam quibusdam locis prorsus indigni: necessarium est, vt pro meritorum ratione sint in aliquo certo præfinitoq; loco: puta in coelo, vel inferno, vel aliquo alio his cognato.

Verum tamen licet singulorum animæ aliquo certo determinatoque loco contineantur, cum non sint nusquam; neque, vt modò dicebamus, vbique: non eo tamen modo continentur loco, quo corpora, vel res corporatæ; non enim commensurantur loco, ita vt pars loci respondeat parti animæ: Nam cum anima sit substantia spiritalis & indiuidua, partium rationem non admittit. Atque huc omnes illi tendunt, qui spiritalia loco contineri, vel citra corporum societatem ad corporalia loca deferri posse insciantur. Sic quoque quauis humani spiritus non dependeat à loco secundum esse, dependent tamen ab eo secundum bene vel malè esse. Vult enim Deus pro meritorum ratione Spiritus hoc vel illo loco contineri, & corpora rursus per Spiritus administrari: atque ita digni-

ores

Solius Dei proprium esse, vbiq; adesse.

Spiritus non eodem modo continentur loco, quo corpora.

Spiritus non dependent à loco secundum esse, sed secundum bene vel malè esse.

ores dignioribus accommodat locis: vel ad mouendum, vel ad gubernandum, vel ad aliquid aliud eiusmodi efficiendum. Quare etiam veteres Philosophi substantiarum separatarum numerum, non aliunde, quàm ex corporum & motuum celestium numero, colligebant.

Cum autem in eadem illa argumētatione additur, animam ad omnem locum indiscriminatim se habere: vel, non maiorem cum vno loco affinitatem illi intercedere, quàm cum alio: cautè id accipi debet, quippe cum in vno sensu sit verum, in altero falsum. Verum est, si naturales vtriusque qualitates spectemus: hac enim consideratione in nullo consentiunt. Nec enim anima est calida, aut frigida, aut sicca, aut humida, aut aliqua alia eiusmodi qualitate affecta. Falsum autem, si quædam in vtrisque comperta symbola; aut vtriusque qualitates, non secundum eandem rationem, sed secundum quandam analogiam consideremus. Nam etsi lux & tenebræ in rebus corporalibus & spiritalibus non sortiuntur eandem quidditatem, sortiuntur tamen quandam inter se proportionem. Quam obrem si quæ comperiuntur animæ celesti lumine collustratæ, illas in illustribus sedibus collocari par est. Contrà verò si quæ sunt peccatorum tenebris inuolutæ, vitiorumve sordibus conspurcatæ, eas in loca sordida, caliginosa, obscura, &c. demergi æquum est. Idem statuatur de ceteris alio vel alio modo affectis. Sic licet locus per se absolutè non adferat gaudium, aut supplicium; adfert tamen alterutrum, prout alio & alio modo mente concipitur. Vt ergo felices animæ letantur, dum insignem hunc vel illum locum sibi propter merita obtigisse mente pertractant: ita ediuerso infelices ac miseræ maiorem in modum cruciantur, dum hunc vel illum foedum abiectumque locum sibi propter peccatum assignatum considerant. Animabus itaque à corpore separatis (nam dum in corpore adhuc herent, nullum alium locum, aut sedem, aut domicilium habent, quàm ipsummet corpus, nec habere quoque aliud possunt; vt quæ in eo existant, non modò vt motores & formæ, verum

Lux & tenebræ in spiritalibus & corporalibus sortiuntur quandam inter se analogiam.

Locus alio & alio modo affectit, prout alio & alio modo mente concipitur.

In hac vita animæ sedes est corpus.

verum etiam ut mercenarie iter adhuc carpentes) assignanda sunt certa quedam loca, & illa ipsa quidem quinque, quorum paulo ante meminimus.

Quæ quinarij huius numeri ratio? Alij alias assignant, breuiter sic habe. Cum anima à corpore sciungitur, aut ita affecta est, ut statim ad dexteram, vel ad sinistram abripi queat: aut vinculo, ne dexteram, hoc est, coelestem beatitudinem, libere statim capeffat, aliquo adhuc irretita tenetur. Si nullo tenetur impedimento: aut propter merita eueffigio recipit premium transmissa ad superos; aut propter peccata citra moram abducitur ad inferos. Ad gehenam quidem, si personalibus flagitijs obstricta heret: ad limbum verò puerorum, si sola originis labe infecta hinc excesserat. Quod si quo impedimento tenetur: aut illud est personæ, & sic transfertur ad purgatorium, ut ibi purgetur: aut est communis naturæ, & sic pij homines olim abducebantur ad patrum limbum. Neque enim illi ullam aliã ob causam istic detinebantur, vel eò quoque amandabantur, quàm quod premium pro totius naturæ peccato per Christum nondum erat persolutum. Atque ita patet assignatum numerum legitimum esse. Neque, quæ contra numeri huius rationem allata sunt, quicquam omnino efficaciter probant. Nulla est enim hæc consecutio: Vnus tantum extat locus, vbi iusta exoluuntur laborum premia, ergo vnus est tantum, vbi debita irrogentur supplicia. Siquidem omnia premia eiusdem sunt generis, sicut eiusdem quoque principij: Supplicia autem, neque eiusdem sunt rationis, neque eiusdem quoque principij: saltem propinqui. Et per hæc quoque patet solutio ad secundum: Nam etsi utrobique, & in puerorũ limbo, & in inferno rursum damnatorum, poena obtineat æterna, non sunt tamen hæ poenæ eiusdem rationis.

Sic tandem licet triplex comperiatur culpa, vna lethalis, altera venialis, tertia originalis: non tria tamen sunt tantum poenarum loca, sed quatuor. Nam, ut paulo ante indicatum est, originis peccatum bifariam consideratur: vno modo, ut

Legitimus est quinaris receptaculorum numerus.

Omnia premia sunt eiusdem rationis & principij: Supplicia autem, neque eiusdem generis, neque eiusdem quoque principij.

Originis peccatum bifariam consideratur.

inficit personam, & sic constituit puerorum limbum: altero modo, ut est vinculum quoddam communis naturæ, quod per Christi sanguinem è medio sublatum oportuit, & sic ante Christum natum & passum constituebant limbum patrum. Mitto hic receptacula illa secundum noxæ disparitatem commodè secerni non posse. Constat enim multos in purgatorio torqueri, qui nulla tenentur noxa; multos contra in inferno, qui omnibus illis peccati generibus obstricti hærent, ut omnes adulti, in infidelitate extincti. Non sunt ergo pauciora, quàm quinque, animarum receptacula constituenda.

Sed neque his quoque plura constituere oportet. Nam etsi demonum pars in caliginoso hoc aere versetur, ut homines tentet, vel ad virtutem exerceat: non est is tamen propria cademonum sedes, sed infernus, iuxta illud Christi: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quod si aer hic propria demonum sedes non est, ut reuera non est: multò minùs sceleratarum animarum sedes erit. Pari modo terrestris paradus non est locus animarum, sed hominum, iter ad cœlum adhuc vrgentium, hoc est, animarum & corporum simul. Aut certè non est stabilis animarum sedes: aliàs enim non desunt, qui quasdam cœli domicilio nondum satis dignas istic ad tempus detineri existiment. Quod de originali & veniali peccato adferebatur, id nihil est, vel certè leue est. Hic enim casus nunquam contigit, neque continget vnquam. Et ut maximè contingeret, adhuc nouo receptaculo nullo opus foret: Siquidem peccatum veniale mortali coniunctum nunquam, ut graues Theologi sentiunt, in altero seculo remittitur, & per consequens eiusmodi defunctus semper in inferno puniretur: at originis peccatum est mortiferum. Atque ita dilucidè responsum est ad primum, secundum, & tertium.

Ad quartum respondetur, essentialem, vel quasi essentialem poenarum diuersitatem, diuersa receptacula parere solere,

natur: nempe est vitium personæ, & peccatum rursum communis naturæ.

Matth. 25.

Propria demonum sedes est infernus, non aer hic caliginosus. Paradus terrestris non est animarum sedes.

Gradualis poenarum diuersitas non parit recepta.

colorum di-
uerſitatē, ſed
eſſentialis.

Quadruplex
extat poenarū
genus.

gradualem autem diſparitatem non item: nam in eodem loco alius punitur grauius, alius mitius. At quadruplex tātūm poenarum genus extat: Quandoquidem omnis omnino poena, aut eſt tantūm damni, aut damni & ſenſus ſimul: (ſola enim ſenſus poena nulla datur, neque dari quoque poteſt) Iam ſi damni tantūm eſt: aut eſt æterna, & eiufmodi eſt puerorum non renatorum: aut eſt temporaria, & talifmodi erat patrū in limbo quondam detentorum. Si autem eſt damni & ſenſus ſimul: aut eſt æterna, & hæc damnatorum eſt propria: aut eſt certo temporis ſpatio præſinita, & ea illos exercet, qui detinentur in purgatorio.

Quintum in partem concedi poteſt, ſed hoc interim non conſtituit aliquam communem animarum ſedem: Siquidem mundus hic inferior, ubi peccatur, non eſt locus mercedis, aut meſſis, ſed laboris & ſementis. Contingunt autem eiufmodi extraordinariæ punitiones ex peculiaribus quibuſdam cauſis, ſemper tamen, aut illis, qui puniuntur, aut alijs ſalutaribus.

Ad ſextum dicitur, quicquid boni damnati in hac vita perfe- cerant, id totum abundè in hac vita fuiſſe penſatum: Vix vlla enim eſt proportio inter quotidiana Dei beneficia, & hominū peccatorum merita. Poſtremum reſponſione non indiget.

Conſtat enim non aliam eſſentialem animę poenam, vel glori- am eſſe ante & poſt communem carnis reſurrexionē, ſed ean- dem omnino: ab anima autem redundat in corpus, quicquid boni vel mali in ea hæret. In cauſa itaque maneat, quinque tan- tūm communia animarum domicilia exiſtere: Coelum nimi- rum, Infernum, vtrunque Limbum, & Purgatorium.

Ad horum autem ſitum quod attinet, certum eſt, coelum empyreum à cæteris omnibus longiſſima intercapedine di- uulſum eſſe. Sed & cæterorum quoque non eadem prorsus

Luc. 16.

» eſt diſpoſitio: nec enim fruſtra dictum eſt, Magnum inter nos

» & vos chaos firmatum eſt. Certè Auguſtinus & Gregorius in-

Lib. 20. c. 15.
de ciuit.

teruallo hæc loca diſtinguunt. Non abſurdè, ait ille, credi vide- tur antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fi- dem,

dem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos tamen fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret. Hæc Auguſtinus, cui per omnia ad- ſtipulantur hæc Gregoriana. Ante aduentum Mediatoris, ait, omnis homo, quanuis mundæ, probatæque vitæ fuerit, ad in- ferni clauſtra deſcendit. & paucis interiectis ſubdit: Nec ita ta- men iuſtorum animas ad infernum dicimus deſcendiſſe, vt in locis poenalibus tenerentur. Sed eſſe ſuperiora inferni loca, eſ- ſe alia inferiora credenda ſunt: vt & in ſuperioribus iuſti re- quieſcerent, & in inferioribus iniuſti cruciarentur. Vnde & Pſalmiſta propter præuenientem ſe Dei gratiam dicit: Eripu- iſti animam meam ex inferno inferiori.

De certo tamen horum locorum ſitu, eorundemque inter ſe ordine, nihil ita clarè in ſacris literis proditum extat, quod pertinax Antagoniſta in alium ſenſum detorquere non queat. Solūm ex his colligitur, omnia illa loca, & animarum ergaſtu- la ſubterranea eſſe. Neque enim inferni, aut infernorum no- mine designarent, ſi ſubterranea non eſſent. At hoc nomine designant ea paſſim. Scriptum eſt enim: Qui aſcendit, ipſe eſt, qui & deſcendit ad inferiores terræ partes. ruruſum: Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. item: Quis mihi hoc tri- buat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec per- tranſeat furor tuus: Hic Gregorius: Beatus Iob ante Media- toris aduentum ad infernum ſe deſcendere ſciens, conditoris illic ſui protectionem poſtulat, vt à locis poenalibus alienus exiſtat, ubi dum ad requiem ducitur, à ſupplicijs abſcondatur. Quòd ſi ante Chriſtum natum Sancti apud inferos aſſerua- bantur: multò magis cæteri, qui Sancti non erant, ibi detine- bantur.

Quia ergo Scripturæ de harum ſtationum ſitu, earundem- que inter ſe ordine, nihil certi pronunciant; & quia ruruſum Eccleſia & Concilia altūm hinc ſilent; & quia tandem Sancto- rum dicta, quæ ea de re extant, non vnā interpretationem recipiunt: ſit vt recentiores Scriptores diuerſa hac de re ſtatu-

Lib. 12. c. 6.

Moral.

Sancti patres
ante Chriſti
aduentū de-
tinebantur in
inferno, ſed
non in dāna-
torum infer-
no.

« Pſal. 85.

«

Quatuor ani-
marum rece-
ptacula ſunt
ſubterranea.

« Ephes. 4.

« Gen. 42.

« Iob 14.

Varia iudicia
de situ & or-
dine inferna-
lium ergastu-
lorum.

ant ac scribant. Quidam nanque quatuor hæc loca supra se in-
uicem collocant: alij iuxta se inuicem. Nonnulli puerorum
limbum & Abrahæ sinum ad latera, infernum autem & purga-
torium in vno communi terræ hiatu ponunt: ita id tamen, vt
infimam illius partem & quasi sentinam occupent demones
cum cæteris damnatis: superiorem verò, vbi plus lucis, & mi-
nus ardoris est, fideles à peccatorum reliquijs, quibus obstricti
tenentur, nondum satis repurgati. Alij tandem, pro numero
classium & ordinum, constituunt quatuor specus subterrane-
as, quasi quatuor eccentricos orbis, non solum intercapedi-
ne, sed loci quoque qualitate & capacitate inter se distinctas.
Vastissimam ex his assignant damnatis, cæteras suo ordine cæ-
teris. Huic opinioni fauent, quæ suprâ ex Augustino allegata
sunt. asserit is enim sanctos patres detentos fuisse locis à tor-
mentis impiorum remotissimis: At istuc non satis propriè as-
sereretur, nisi patres illi secretum à cæteris secessum obtinuis-
sent. Ad primam Gregorius non prorsus obscure alludit. ait
enim: Alia superiora, alia inferiora esse inferni loca. Et qui-
dem in superioribus requieuisse iustos, in inferioribus verò
iniustos, pœnisque & cruciatibus expositos. Alludunt ad
eandem quoque, quæ de Lazaro & diuite in Euangelio refe-
runtur. At non ita multum refert, hoc ne, an illud, vel aliud
quoque de hoc ordine sentias. Sat est, si omnia hæc ali-
qua saltem qualitate inter se discrepare non ignores.

Verum vt hoc qualitatis & suo quoque modo po-
situs discrimen aliquantò clariùs peruide-
atur, de singulis seorsum pauca quæ-
dam in medium adfer-
re lubet.

Omnia

*Omnia & singula animarum receptacula natura, & loci conditio-
ne inter se discrepare.*

CAPVT QVARTVM.



Inter omnia hæc animarum domicilia prin-
cipem locum obtinet cœlum empyreum.
Eiusmodi autem cœlum in rerum vniuersi-
tate existere credi potest, naturali autem
ratione probari non potest. Est enim illud
immobile & inaspectabile, nullum in hæc in-
feriora opus, per quod cognosci possit, ex-
ercens. Sed neque ad hoc quoque conditum est, vt in hæc in-
feriora & sublunaria loca vim suam exerat; sed vt quieta per-
petuæque beatorum sedes existat. Est enim pars præmij bea-
torum, quod, neque secundum se totum, neque secundum
partem sub sensum cadit. Vnde etiam seculi huius Philosophi
nihil prorsus de eo literis prodiderunt. Esse tamen, Scripturæ
sanè intellectæ neutiquam obscure testatum faciunt. Verum
quid sit, aut cuiusmodi sit, id sensui, humanæque rationi æquè
obscurum & incertum est, atque alterum illud, quod modò at-
tingebamus. Probabile fit tamen corpus esse suo modo spirita-
le, immobile, summi splendoris, summæ capacitatis; denique
tale, quod, idonea Dei, beatorumque sedes, iure meritoque
dici haberique queat.

Est corpus vel corporeum, quia cōtinendis recreandisque
corporibus fabricatum, tametsi nō huius rei causa tantum. Est
suo modo spiritale, quia proprium summi illius sempiternique
Spiritus, & Angelorum domicilium, nulli, neque interitui, ne-
que mutationi obnoxium. Est immobile, quia perpetuum, pa-
catumque beatorum omnium habitaculum: at per absurdum
foret, qui iam ad terminum, tranquillæque vitæ statum perue-
nerunt, illos perpetuò vnà cum illo circunuolui, maximè ve-
rò post communem carnis resurrectionem. Est summi splen-
doris, quia non Sole, aut Luna, aut alio astro, quæ subinde ori-

Cœlum em-
pyreum na-
turali ratio-
ne probari
non potest.

Seculi sapi-
tes de cœlo
empyreo ni-
hil prodide-
runt.

Cœlum Em-
pyreū est cor-
poreū, & suo
quoque mo-
do spiritale.

Apoc. 21. untur & occidūt, irradiatum, sed claritate Dei & lucerna agni citravillam adumbrationis vicissitudinem illustratū. Est summa capacitatis, quia est magna illa & ingens domus Dei, de qua Propheta, non sine admiratione, ita scribit: O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem: excelsus est & immensus. Est denique tale, quale magnus ille diuinorum secretorum mystes Apostolus Ioannes in sua Apocalypsi mysticis quibusdā symbolis illud adumbrat, nobisque ob mentis oculos collocat.

Apoc. 21. » Et sustulit me, ait, in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem, habentem claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi precioso, tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim. & infrā: Et erat structura muri eius ex lapide iaspide, ipsa verò ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide precioso ornata. Fundamentum primum iaspis, secundum sapphirus, tertium calcidonius, quartum smaragdus, quintum sardonius, sextum sardius, septimum chrysolithus, octauum beryllus, nonum topazius, decimum chrysooprassus, vndecimum hyacinthus, duodecimum amethystus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt: & plateæ ciuitatis, aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus. Hæc de mystica Hierusalem Ioannes, quæ etsi ad ciues pertineant veriùs, quàm ad ipsam ciuitatem: attamen quia inter id, quod continet, & continetur, quandam proportionem intercedere oportet, ex obliquo insignem quoque ipsius loci splendorem ac venustatem insinuant. Verùm licet locus secundum se sit nobilissimus, elegantissimus, amœnissimus, &c. multò tamen maiorem elegantiam, dignitatem, & amœnitatem accipit, funditq; ex Dei, Diuorumque præsentia, quàm ex sua ipsius natura. Vnde si talem se Deus exhiberet damnatis in inferno, qualem se exhibet beatis in cælo; & vice versa si talē beatis in cælo se præbe-

Præcipuū cæli ornamentū est Deus, Diuorumque præsentia.

ret, qualem se præbet damnatis in inferno: profectò infernus re ipsa esset cælum, & cælum rursum infernus.

Cælo ex aduerso opponitur infernus, quæcunque tandem spectare, aut certa quadam contentione inter se conferre hinc lubeat. Etenim vt ibi omnia sunt læta, venusta, ordinata, felicia, &c. ita hinc omnia sunt tristitia, obscura, confusa, infelicia. Infernum autem (vt orthodoxè instituti inferni vocabulum usurpant) absolute ij omnes negant, qui animā vnā cum corpore interire affirmant. Tum illi rursum omnes, qui vniuersas pœnas, quæ post hanc vitam quouis modo irrogantur, medicas, vel expiatorias esse prædicant. Tum illi denique omnes, qui ea omnia, quæ de inferorum pœnis traduntur, ad ineptas quasdam metaphoras transferunt. Sed hos omnes, vt & Origenistas quoque, tanquam insanos hæreticos Catholica & Apostolica Ecclesia condemnat. Credit enim illa, plenoque, quod dici solet, ore prædicat, intra vastam mundi huius machinam, extare locum æternis supplicijs à Deo destinatum, in quo ardent & in omne æuum arsurī sunt cacodæmones, omnesque Sectarij, quocunque tandē nomine illi censeantur, & omnes præterea illi, qui quocunq; tempore personali crimine obstricti, vitæ finē fecerunt. Hæc, inquam, de inferno credit & docet Catholica & Apostolica Ecclesia: neque, cur id credat & doceat, leues causas habet. Cōpellit enim euidentis diuinarū Scripturarum autoritas; compellit vnanimis Sanctorū omnium consensus & fides; compellit & ipsa quoque ratio, vt latè, si opus id foret, deduci demonstrarique posset.

Verùm vt hoc certum est; ita, vbinam illud sceleratorum colasterium existat, suamque vim exerat, in partem contruersum est, non apud triuiales solūm, sed apud quosdam quoque primæ classis Theologos. Certè Augustinus non vno loco hinc se ancipitem declarat. Imò verò neminem, vel vbi sit ignis ille inferni, vel qualis sit, certò nôsse intrepidè pronunciat. Sed & Magnus Gregorius quoque timidè hinc disputat. Etenim Petro supra ne hanc terram esset infernus, an sub hac terra,

Infernus modo omnibus opponitur empyreo cælo.

Multi infernum negant.

Lib. 20. c. 16. de ciuit.

4. Dial. c. 42. terra, sciscitanti, ita respōdet: Hac de re temere diffinire non audeo. Nonnulli nanque in quadam terrarum parte infernum esse putauerūt. Alij verò hūc sub terra esse æstimāt. Sed tamen hoc animum pulsat: quia si idcirco infernum dicimus, quia inferiūs iacet: quod terra à cœlo est, hoc esse debet infernus à terra. Vnde fortasse per Psalmistam dicitur: Liberasti animam meam ex inferno inferiori: Vt infernus superior in terra, infernus verò inferior sub terra esse videatur. Et Ioannis vox in æstimatione ista concordat. & paucis interiectis subdit: Cùm ergo ad aperiendum librum nullus sub terra inuentus dignus dicitur, quid obstet non video, vt sub terra infernus esse credatur. Hæc Gregorius, qui alibi tamē aliter ea de re scribit. Ex hac autem fluctuatione, certum iudiciū fit, certius cōstare, quod fit infernus, quàm vbi sit.

Lib. 14. c. 6. Moral.

Communis infernus non est, vbi quisq; peccauit.

Deus quosdā punire potest vbi peccarūt.

Infernus in ignis sphaera non est positus.

At quid ergo, inquis, hūc nobis tanq̄ certius cōplectendum est? Id vtiq̄, quod Scripturæ, communiq̄ sanctorū Patrum sententiæ affinius est, & inter cetera quoque rectæ rationi conformius est. Et primò quidem extra controuersiam est, communem infernum non esse, vbi quisque peccauit: nam hac opinione admissa consequens fieret dæmones non puniri in inferno inferiori, aut in abyſso, vt loquitur Scriptura, aut in aëre hoc quoq; caliginoso, sed in cœlo. Tum vnum eundemque rursus in diuersis simul locis poenas pendere: (Contingit enim non infrequenter vnum aliquem in locis plurimū à se inuicem diffitis peccato constringi) Vel certè peccata omnia, præter vnum aliquod, impunia relinqui. Sed vtrunque absurdum, & à ratione alienum est omnino: Non est ergo Infernus, vbi quisque peccauit. Negari tamen non debet, quin Deus Opt. Max. ad mortalium disciplinam, quasdam sceleratas animas ad tempus ijs in locis punire queat, vbi peccatū designarunt. Verum quia hoc fit præter communem legem, pro lege, aut communi regula haberi nequit.

Àequè certum est, Infernum in suprema ignis sphaera non esse positum. Quandoquidē inferni mancipijs debetur locus vilissi-

vilissimus, & obscurissimus, nec nō à beatorum sedibus quàm longissimè diffitus: Eiusmodi autem non est ignis in suo orbe; vt qui inter omnia Elementa principatum obtinet, magnamque cum vicinis orbibus cognationem habeat. Adhæc tartarei ignis vis, eiusdemque ardor communi omnium consensu tantus est, quantum nullius animus in mortali hac vita concipere potest: Atqui ignis in sua sphaera propter ingentem raritatē perexigui ardoris & efficacitatis censeri solet, nec iniuria: Nam si flamma, quæ quiddam ignitum est veriūs, quàm purus ignis, vtpote fumus incēsus, multò minūs adurit, quàm carbo: quid cogitandū est nobis de igne in suo orbe, qui aëre ipso puro, nedum caliginosa crassaq; flamma, multis partibus subtilior est? Denique si proprius Inferni locus esset suprema ignis sphaera, nullę omnino animę corporibus exute descendere, sed ad vnum omnes ascenderent: At ex Scriptura Patrumq; sententia nō omnes ascendere manifestū est, sed multas quoque descendere. Non est igitur summa ignis sphaera proprius inferni, vel inferorum locus.

Quò ignis est rarior, eò minūs adurit.

Eadē hęc rationes præpotenter quoque probant, Infernum in media aëris regione non esse exedificatū. Quibus maioris roboris gratia & hanc quoque addo: puta illam aëris portionem ad eò non esse ignitam, vel incensam, vel inflāmatam, id quod inferno est proprium, vt summè quoque sit gelida. Testantur hoc non modò multę graues, & efficaces Philosophorum rationes, sed certę quoque experientię fides. Cōstat enim niues, & grādines, & alia id genus, quę inter frigida primas faciliè obtinent, inde ad nos transmitti. Sed & hyeme quoque sauiente partes aquę aëri viciniore cæteris multò sunt algentiores. Ostendunt istuc clarè nō solū animantia in aquis degentia, quę per id tempus fundum petunt; sed ipsum quoque gelu, quod à superficie aëri proxima telam suā orditur. Neque enim glacies, quę frigidorum omniū frigidissima est, ex innato aquę algore generatur, vel certè nō ex eo solo generatur, sed præcipuè ex circūstante vel subingrediēte frigidissimo aë-

Infernus in media aëris regione non est exedificatus.

Media aëris regio est approximè frigida.

Glacies non generatur ex innato aquę algore.

dd

re.

re. Nam si generaretur ex nativa aque frigiditate: & semper generaretur, secluso impedimento; & semper à medio, aut fundo aquæ, ubi ipsa est purior, exordium faceret: & tamen inde non exorditur, sed à superficie, vt patet ad sensum. Signum est ergo aërem, etsi secundùm se sit calidus & humidus, per accidens tamen non solum cum aqua, sed cum ipsa quoque terra frigiditate certare posse. Nam si terra aëre semper esset frigidior, gelu ab inferioribus aque partibus initiũ faceret: at hoc communiter non facit.

Iam si infima aëris regio interdum vsque ad eò alget, siue id fiat propter obliquos solis radios; siue ppter exiguã eiusdem in nostro hemisphærio moram; siue propter aqueam humiditatem, quæ tũc maximè viget; siue propter quamcunq; aliam causam: quid sentiendum de media eiusdem Elementi plaga, quæ, æstiuo præsertim tempore, multò maiores, potentioresq; sui algoris causas habet? Quauis præcipua ex ijs sit circumfusis vndiquaque calor. Hic enim dispersam per aërem frigiditatem in vnum cogit: vis autè vnita fortior est dispersã. Experimur enim exiguam aquæ quantitatem, in vehementem ignem iniectam, ignis ardorem incēdere veriùs, quàm obtundere. Sed & manus quoque algentes, in locum calidum illatæ, vel igni admotæ, magis algēt: quia alior, qui illis inhæret, propter circumstantem calorem magis intenditur. Cùm ergo infernus perpetuò estuet igne, & media aëris regio perpetuo algore rigeat: per absurdum est imaginari Infernum in media aëris regione extructum esse. Et quauis ea aëris pars iam plerunque sit obscura & caliginosa, propriaque durante hoc seculo dæmonum tentatorum sedes existat; post communem tamen carnis resurrectionem neutrum erit. Neque enim tunc infecta erit nubibus, aut obsepta dæmonum turbis. Sed & alia quoque est ratio de dæmonibus, alia de animabus: Dæmonum enim est tentare homines, iuxta illud Apostoli: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum,

Post communem carnis resurrectionem aer liberabitur, & à nubibus & à dæmonum turbis.

1 pphes. vii.

harum, contra spiritualia nequitię in cœlestibus: atque ita dæmonibus, quò tentatorum munus expleat, debetur locus hominibus vicinus, cuiusmodi est aër. Animarum autem non est tentare homines, ne sceleratissimarum quidem: & per consequens non est illarum in hoc aëre vagari, passimque circumuolare.

Quòd denique Infernus non sit situs supra terram, exempli causa, in Sicilia, vel Campania, vel Achaia, vel alia quacunque terræ ora, istuc ex eo colligi potest, quòd omnia illa loca à cõmuni hominum habitatione non sint semota: Animę autem corporibus exutæ vt statu ab ijs dissident, qui vitæ vel mortis iter adhuc carpunt, ita loco quoque ab illis seiungi debēt: nec enim eundem meriti & præmij locum esse conuenit. Cùm ergo felices animę non solentur in hoc mundo, sed in cœlo; neque damnatæ quoque & infelices cruciabuntur in hoc orbis spatio, sed in alio procùl ab hoc posito. Ad hæc nulla apparet grauis causa cur Infernus in Sicilia, vel Campania, vel Achaia potiùs constitui debeat, quàm in alia quacunque orbis parte. Nam etsi hisce in locis flammæ nõnunquam erumpant, grandiaque incendia excitent, hoc tamen nõ euincit dæmonum carcerem illic existere: Imò, si rem rectè expendamus, oppositum veriùs euincit. Quandoquidem si ibi Infernus, vel inferorum os essent: aut semper erumperent, aut nunquam erumperent, cùm Infernus eodem semper modo sese habeat; & in vno tantum loco erumperent, nisi forsitan vniuersæ terræ molem intus exesam, tartarcisque ignibus plenam esse dicant. Sed id neutiquam sit probabile. Nam aliàs quotiescunque chasma aliquod terræ contingeret, semper infernales ignes inde erumperent. Sed & frustra quoque assignantur eiusmodi ora, cùm animæ, vt & reliqui quoque spiritus, eadem facilitate transmittant per solidum terræ corpus, atque per quemcunque eiusdem hiatum. Denique legimus & credimus Christum Dominum, & ante ipsum antiquos patres, ad inferos descendisse: atqui si patrum limbus non extabat in

Infernus non est positus in terræ superficie.

terræ superficie, vt reuera non extabat, multò minùs dæmonum ac sceleratorum Infernus extabit in terræ planitie. Hoc tamen non impedit, quò minùs præpotens Deus præter communem legem aliquem in olla Vulcani, vel in Siculo Aetna potuerit ad certum, vel incertum tempus punire. Nam & dæmones quoque in hoc sublunari orbe herere sinuntur, cum tamen proprius eorum locus sit abyssus.

Infernus non
æstat sub
terram.

Ex his planum quoque fit Infernum non esse sub terra. Si quidem quod nobis est sub terra, vel infra terram, hoc antichthonibus nostris est supra terram: quippe cum cœlum sit vndique sursum, & æquo vndique interuallo à terra distitum. Cum ergo Infernus non extet in suprema, vel infima ignis sphaera; nec in media aëris regione; neque supra terram, vel infra terram: consequens fit, vt sit intra terram. Et hoc diuinæ Scripturæ passim insinuant. Nec enim aliter exponi potest illud Numerorum: Confestim, vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum deuorauit eos cum tabernaculis suis; descenderuntque viui in infernum operi humo. His profectò nihil dici potest apertius: Nam & per terræ hiatus demerguntur ad inferos, & humo tanquam nunquam inde amplius emerfuri operiuntur. Eodem pertinet illud Esaiæ: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. & illud regij Prophætæ: Liberasti animam meam ab inferno inferiori. & illud Lucæ: Rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyssum irent. & illud Apocalypsis: Apprehendit draconem serpentem antiquum, & ligauit eum per mille annos, & misit eum in abyssum, & clausit super illum. Hæc sanè & alia his affinia, nisi vis fiat manifesta, ad aërem, vel ignem, vel aliquam habitabilis terræ partem referri non possunt. Est igitur Infernus non extra, sed intra terræ vastitatem constitutus, quod ipsum ipsa quoque vocabuli notio, & infelix condemnatorum conditio omnino postulat. Nam cum hi à Deo, cuius sedes cœlum est, sint maximè alieni; & igne illo, quem

Inferorū tor-
menta fauiliūt
intra terram.
Cap. 16.

Cap. 7.

Psal. 85.

Cap. 8.

Cap. 20.

quem filius hominis in terram mittere venerat, prorsus destituti, & crassissimis scelerum tenebris operi, & propter amissam gloriam, & poenam irrogatam mœstissimi: conuenit illis locus à cœlo quàm remotissimè positus, densaque caligine, & grandi mœstitia plenus: Eiusmodi autem est centrum terræ, & loca huic centro finitima.

Terræ centrū
conuenit da-
mnatorum
conditio.

At dices forsan: Naturalem ignis locum esse spatium inter orbem lunarem & aërem interiectum, non terræ centrum. Tum terræ partes centro viciniores non esse cauernosas, vt quæ se inuicem conculcent, comprimantque: opus autem esse vastissima cauerna, quæ post communem carnis resurrectionem sceleratorum omnium corpora suscipiat. Tum denique ignem extra natiuum locum positum citra alimenta conseruari non posse: ingentem autem materiam adesse oportere, qua tantus ignis perpetuò foueatur. Verum hæc, & si qua id genus sunt alia, quæ de inferni situ asserta sunt non infirmant. Ad primum paucis respondetur, id cuique rei naturale esse, quod Deus de illa vult fieri: vult is autem intra terram ignem existere, quo tanquam instrumento vtatur in plecendis fontibus: & quia hoc vult, indit illi loco qualitatem, qua ignem illum perinde fouet, integrumque conseruat, ac si in proprio loco consisteret: Atque ita abest hîc omnis omnino violentia. Ad secundum respondetur, damnatis non datum iri magnum spatium apud inferos: erunt enim in vnum acernum congesti, vt plumbum. Sed & diuina quoque virtute fieri poterit, vt vel locus extendatur, vel vt corpora quoque se inuicem non impediunt: denique nulli deest spatium, in quo exerceatur, ac pro meritorum suorum ratione torqueatur.

Quod Deus
vult, hoc cui-
que rei est na-
turale.

Ad postremum iam responsum est: nam si cauernæ illi quædam vis indita est, quæ tartareum ignem semel accensum perpetuò conseruet, nullis hîc opus erit fomentis. Si id autem non placet, statuas apud te equè facile esse Deo, Inferno sufficere perpetuam materiã piccã, vel sulphuream, vel aliã quamcunque eiusmodi, atque fluminibus, ac fontibus perpetuam aquam.

Inferno alij Purgatoriū, alij puerorū Limbū proximū constituit. Causantur hi, quō vnaquēlibet anima deterioris status peioris ve conditionis extiterit, eō deteriori, & per cōsequens inferno cognatori loco asseruari debere: Infantī autē spiritus deteriori loco esse, vt qui eiusmodi peccato obstricti teneantur, à quo absolui non possunt. Verū hęc ratio non est satis firma. Nam etsi pueri illi deterioris conditionis existant, si absolutum horum statum cum absoluto illorum statu conferas: (Sunt enim hi salutem certō consequuturi, non etiam illi) attamen illo temporis intervallo, quo simul vtrique detinentur apud inferos, melioris conditionis sunt isti, quā illi; adeoquē deterior, orcoquē affinior debetur locus istis, quā illis. Quandoquidem cū pueri non renati, illorum ve spiritus nullo teneantur propriæ voluntatis delicto, damni tantūm pœnam sustinent: ceteri verò omnes, etiam illi, qui purgantur, & illam ipsam damni pœnam perferunt, & duplicem nihilominus sensilem; alteram externam, quę per ignem, vel aliud quodcunque elementum, vel mixtum infertur; alteram ex malis, quę fecerunt, aut ex bonis, quę omiserunt, vel quę propter mala admissa amiserunt, animo conceptam, & quasi intra viscera natam, qua de re postea ex instituto.

Verumenimverò licet illi, qui in solo originis peccato extincti sunt, ab omni sensili pœna immunes existant: attamen quòd irę sint filij, extra Christum, eiusquę gratiam, & amicitiam constituti, ad vnum omnes ablegantur ad inferos, ibi (nisi qui forsan per miraculū à vinculo, quo obligati tenentur, absoluantur) vt plerique volunt, perpetuò hęc sibi, exilijquę pœnam perpeffuri. Dicebam illos, qui in solo originis peccato extincti sunt, ab omni sensili pœna immunes futuros: nam qui præter hoc alia propria voluntate consârunt, illi, nisi ante vitæ finem resipuerint, ad damnatorum infernum amandati, vtranque, damni, inquam, & sensus pœnam in omne æuum depensuri sunt: quanuis non maiorem propter originis labem.

Sed

Sed meritò obiecerit hęc quispiam: Infantes non renati versantur in loco caliginoso, horrido, spectris, malisquę dæmonibus pleno; versantur in magna ignoratione, & mentis cæcitate; versantur, vt verbo absoluam, in omnimoda gloriæ & gratiæ priuatione: ergo non solū damni, sed externam quoque internamquę sensus pœnam luunt: Hanc quidem ob bonorum iacturam, quam fecerunt; illam verò ob loci squalorem, dæmonumquę, inter quos versantur, societatem. Sunt sã hęc aliquid: verū quòd alibi de his actum sit ex instituto, & prolixè, vt emur hęc compendio. Ad primum itaque quod attinet, fatemur in loco parum commodo versari: at hinc tamen rectè inferri non potest sensili pœna affligi. Nam si sola loci incōmoditas, vel vilitas necessariò sensus pœnam adferret, consequens fieret veteres Sanctos à sensili pœna non fuisse liberos: Quandoquidem & ipsi quoque ante Christum passum in simili ergastulo concludebantur. Potest tamen ea loci conditio ad damni pœnam non incommodè referri. Si enim beati forent, eo loco non detinerētur, sed inde ad alium meliorem & commodiorem transferrentur. Etenim vt visio- ne, ita visionis quoque templo carent. Si tamen ibi essent, vbi non sunt, nec vnquam erunt; adhuc Deum non magis viderent, sicuti est, quā nunc vident, quia gratia & lumine gloriæ carent.

Sed esto, ais, locus ille illorum spiritus nunc non affligat, vt qui nullam noxiam qualitatem in eos imprimere valeat; sicut nec sanctorum quoque patrum animas ante Christi Redemptoris mortem afflictabat: at saltem post communem carnis resurrectionem illorum corpora affliget: ergo vel iam tum intra terræ vastitatem non consistent, vel certè citra sensilem pœnam intra illam non consistent. Quis enim in tantis for- dibus & fœcibus, quantæ post mundi huius inferioris repur- gationem ad inferos veluti in communem quandam senti- nam confluxuræ sunt, sine ingenti molestia, & pœna ætatem agere posset? ergo iam tum inde ad hunc nostrum orbem transitum

Qui apud in-
feros purgā-
tur, & qui in
puerorū lim-
bo detinen-
tur, alia & a-
lia ratione se
inuicem ex-
cedunt.

In sola origi-
nis labe ex-
tincti, à sen-
sus pœna im-
munes de-
gunt.

Sola loci in-
commoditas
non fat est ad
inferendam
sensus pœnā.

transitum facient. Ad hoc respondent quidam, nostrum hunc orbem non quorumlibet esse, sed hominum solum animalem vitam adhuc viuentium: defunctos autem venisse iam ad terminum, & ob id ibi constitui debere, vbi omnis ortus & interitus cessat: Cessat is verò cum in cœlo, tum in terræ quoque centro. Cum itaque solis beatis pateat cœlum, cæteris omnibus reliquum fiet terræ centrum. Verùm quicquid sit de re ipsa, hæc ratio vel nihil probat, vel, si aliquid probat, probat hoc ipsum, quod argumentum sumebat: puta in solo originis peccato vita defunctos post commune omnium iudicium in orbe hoc sublunari vitam acturos esse. Nam post id tempus cessabit hinc omnis ortus interitusque vicissitudo.

Post carnis resurrectione cessabit omnis ortus & interitus.

Sed excipiunt illi: Eiusmodi infantibus nullum gaudium, nulla debetur oblectatio: in mundo hoc autem repurgato & innouato citra magnam animi voluptatem, & oblectationem ætatem ducere non possent, quippe cum in hoc quoque deprauato, miseroque vitæ statu comperiantur nonnulli, qui tantam ex eo oblectationem hauriant, vt semper in eo viuere exoptent. Sed hæc quoque exceptio non est satis opportuna: nam cum Deus Opt. Max. impertiatur illis immortalitatem, & suo quoque modo impatibilitatem; & infundat eisdem rerum naturalium scientiam, vel omnem, vel certè sufficientem: cur non alia quoque illis largiatur, quæ sunt purè naturalia, & his multò minora? Vel ergo post iudicij diem habitabilem hunc orbem occupabunt, quod graues quidam Theologi nō absq; magna probabilitate defendunt: vel in eiusmodi terræ regione collocabuntur, vbi à fordibus, & fæcibus, & dæmonum infestationibus, quarum paulò antè facta est mentio, procū absint. Effet enim grauissima sensus poena, caco-dæmonum ludibrijs, & vexationibus perpetuò expositum esse. Sed & in medijs quoque ignibus, & fæcibus, & dæmonum cateruis Deus ab omni dolore & cruciatu immunes illos conseruare posset: sicut tres pueros in fornace Babylonica, & Daniëlem in lacu leonum conseruasse legimus.

Quod

Infantiū non renatorū corpora erūt immortalia, & suo quoque modo impatibilia.

Quod porrò de ignoratione, mentisque cæcitate addebat, illud, vel nihil est, vel iam antè dilutum est: dictum est enim necessaria rerum naturalium scientia non destitui, quòd Deus & natura in necessarijs deesse non soleant. Ad postremum respondetur, ex iactura, quam propter peccatum fecerunt, nullum dolorem, nullam animi molestiam capere; vt qui, quidnam illud sit, & quantum sit, & quale sit, quod amiserunt, prorsus ignorent. Eiusmodi enim cognitio non habetur nisi per fidem, qua ipsi carent, semperque carebunt.

Ignorant infantes nō renati, quod amiserunt.

Sed comparebunt, ais, in vniuersali illo mortaliū omnium iudicio? Sit ita: tametsi quidam id negent, quòd nihil examine, aut discussione dignum illuc adferre valeant. Verùm hinc certus doloris sensus necessariò non consequitur. Siquidem non videbunt id ibi, in quo vera beatitudo est posita, sed quædam tantum externa veræ illius summæque felicitatis symbola. Hæc autem ad ingenerandam animo mœsticiam per se fat non sunt. Et vt maximè aliqua hinc molestia, aut mœsticia oriri posset, ea tamen aliunde cōprimeretur. Nam ab altera parte conspiciuntur sunt turbam longè maximam omni miseria-rum & calamitatum genere vndiq; coopertam: Atq; ideo tantum gaudij & solatij haurient ex eo, quòd miserrimæ illi infelicissimæque; sceleratorum turbæ non sunt adscripti, quantū inde doloris capient, quòd à felicissimo illo beatorū cœtu sunt exclusi. & hoc sanè non iniuria. Nam etsi reuera miseri & infelices sint, si cum beatorum forte illorum fors conferatur: sunt tamen ter felices, si cum infelicissimo illo, longeq; calamitosissimo reproborum grege cōmittantur. Imò verò cum multò plures visuri sint damnatos, quàm beatos; iure meritoque pleriq; eorū lætari poterunt, quòd ad adultam ætatē non peruenērūt; & inter eos illi præcipuè, qui ex hereticis, vel infidelibus parentibus sunt orti. Adde his, iudiciū illud tāta celeritate perfectum iri, vt vix vllum spatium futurum sit, quo animum ad aliquid seriò de eiusmodi rebus cogitandū instituere queant. Deniq; Deus gloriosus ea suauitate moderabitur omnia,

Non renati, cum damnatis collati, suo modo sunt felices.

cc

vt

vt vel nullam, vel certè perquam exiguam ex eo spectaculo relaturi sint molestiam; nec ex illo solùm, sed ex tota quoque iactura, quam fecerunt. Quauis is quoq; non omnem omnino molestiam, ex quacunq; causa ortam, impedire obligetur. Solùm ad suauem illius prouidentiam, immensamq; clementiam pertinet, ne per se, aut per alios aliquam sensus pœnam ijs irroget, qui in solo originis peccato decesserunt. Et hæc paucis de Infantium nõ regenerantium conditione & statione.

De subterraneo porrò veterum patrum domicilio generatim dici potest, illud nõ solùm inferno & purgatorio, vbi vtraque pœna obtinet, sed ipso quoq; puerorum limbo partibus aliquot præstitisse, & si fortè non tot, quot huius incolæ, illius inquilinos præstabant. Enimuerò patres illi, quòd fide, spe, charitate, ceterisq; virtutibus ornati essent, nullas interiores tenebras patiebantur, sed tantùm exteriores, & illas adhuc non admodum densas, vt quidã volunt: at pueri non renati vtraq; patiuntur. In patribus rursùm nullũ hærebat impedimentum personæ, sed cõmunis tantùm naturæ; necdũ enim cœlum per Christi sanguinem patefactũ erat: in pueris aut vtriusq; partis impedimentum hæret. Patres tandẽ temporariæ tantùm pœnæ debitores erant, & per consequens certa æternæ vitæ spe nitebantur: Infantes autem nõ regenerati perpetuam damni pœnam debent, atq; ideo nullam melioris vitæ spem habent. Multò itaque peiori loco sunt hi, quàm fuerant, illi; adeoque plus intercedit inter hos & illos, quàm inter horum & illorum limbum.

Hic autem patrũ recessus varijs nominibus designatus legitur. Symbolũ Apostolorũ, vt & nonnullę quoq; Scripturę, Inferos vocat. Beatus Iob & post illum Osee absolutè Infernum appellat. Quis, inquit Iob, mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertrãseat furor tuus? Osee verò: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus ô inferne. Apostolus Paulus inferiorem terrę partem nominat. scribit enim: Quòd autem

Patrum limbus multis nominibus designatus legitur.

Iob 14.

Osee 13.

Eph. 4.

tem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terrę? Christus Redemptor noster sinus Abrahæ nomine designat. ait enim: Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Vocat sinum, quia preciosa, nobisque chara, & quæ quàm optimè volumus custodita, ea in sinu recondere consueuimus. Vocat autem Abrahæ sinum, quia hic, vt Scriptura testatur, fuit pater omnium credentium, cùm Iudeorum, tum gentium quoque: per fidem autem deuenimus ad vitam æternæ stationẽ, quauis non per eam solam. Habuerunt & alij quoque ante ipsum, & post ipsum fidem, cùm nemo sine fide Deo placere, aut salutem consequi valeat; sed nullus ante ipsum commendationem, aut de Christo expressiorem. Primus enim hic accepit expressam benedicti seminis promissionem. Primus certum acceptæ fidei symbolum; primus, patria, patrijsq; commodis posthabitis, ab infidelibus Chaldæis sequestratus. Sed & inter omnes quoque, qui illum antecesserant, aut qui post illum in lucem prodierant apud Iudæos, apud quos. Christus concionabatur, sanctissimus, & celeberrimus habebatur.

Omnia hæc nomina, vno illo, de quo modò egimus, excepto, locũ hunc interranẽ esse indicant, tametsi certus hinc situs colligi nõ queat: vnde, vt supra monuimus, alij aliud hinc imaginantur & statuunt. At satis interim compertũ est, omnia illa loca qualitate inter se differre. Nam cùm locus rei locatæ debeat & soleat quoque conuenire, singulæque animarum classes ordine, statu, & conditione inter se discrepent: consentaneum est vt ipsa quoque loca, in quibus continentur, si non intercapedine, aliqua saltem qualitate inter se dissideant. Imò verò verisimilimũ fit, vel omnia, vel aliqua certè vtroq; modo inter se differre. Dico omnia, vel aliqua: Nam si eò vnusquilibet profundius mergitur in abyssum, quò extiterit sceleratior; & eò rursùm vnusquisq; eorum, qui apud inferos expiantur, conũctior est orco, quò maioribus debitis obstrictus tenetur: non prorsus absurdè credi potest, duas vt minimũ

Eccli 44.
Genes. 17.

Genes. 17.
Gal. 3.
Heb. 11.
Genes. 12.

Omnia inferiorum loca qualitate inter se discrepant.

Probabile fit, duas mini-

mum distin-
ctas cauernas
apud inferos
extare.

distinctas cauernas apud inferos extare: Alterā, in qua perpetuus æstuat ignis; in cuius superiori parte versentur & exercentur ij, qui purgantur: in inferiori verò damnati omnes, cū eo tamen discrimine utrobique, quod modò attigimus. Alterā, in qua sola dāni pœna obtineat; in cuius vna parte, nobiliori videlicet, extiterint olim sancti patres; in inferiori verò & minùs commoda omnes in solo originis peccato extincti.

Vetus Testa-
mentum suos
habuit Marty-
res, suasque
Virgines &
Doctores.

Sunt tamen, qui indignum censent sanctissimos illos Patriarcharum, Prophetarum, Martyrū, (nam & vetus quoque Testamentum suos habuit Martyres, suasque Virgines, & Doctores) reliquorumque Diuorum spiritus, apud inferos tenere conclusos: maximè verò, cū inter horum patrum spiritus, & sceleratorum turbam, tantum chaos firmatum fuisse legatur, vt hi ad illos transire nequaquam potuerint. Sed hæc leuia sunt. Erant enim patres illi ita perfecti & sancti, vt re tamen nondum essent beati, cœlestisq; gloriæ lumine perfusi: & quia tales non erant, in cœlo, quod est sedes absolutè beatorum, collocari non debebant: nec rursus supra terram, vt quæ proprium viatorum sit stadium, perpetuisque mutationibus & turbationum fluctibus exposita; sed intra terrā, in loco tamen ab omnī turba & sensili pœna vacuo. Sed neq; dedecus quoq; locus ille patrū Spiritus, qui animā Christi citra vllam illius notā intra se suscepit, susceptaq; ad tridū vsq; detinuit.

Nullum ob-
iectum cor-
pus spiritus
impetum si-
stere potest.
Luc. 16.

Ad alterū dicitur, chaos illud nō exprimere ingentē aliquā inter patres & sceleratos loci intercapedinē, sed status tantūm immutabilitatē. Siquidem nulla loci distantia, nec vlla rursus corpora obstātia animę transitū impedire possūt; vt quę temporis quasi pūcto p quæuis spatia, & p quęuis obstacula transmittere valeat. Cū Abrahā ergo dicit, Magnū inter nos & vos chaos firmatū est, vt hi qui volūt hinc trāsire ad vos nō possint, neq; inde huc transmeare, id perinde accipiendum est, ac si dictum fuerit: Vt semel in peccato extinctus, & ob id condēnatus, neq; saluari, neq; aliquo solatio potest potiri: (nā vt in inferno nulla est redēptio, ita nulla quoq; in eodē est poenarum miti-

mitigatio) ita qui semel per mortem in gratia confirmatus est, ampliùs labi, aut torci pręda fieri nō potest. Quòd autē Abraham & diues epulo toto cœlo à se inuicem nō fuerint disiuncti, id metaphoricus illorū dialogismus satis apertè ostendit.

Tandem vbicunq; sanctorum patrum limbus extiterit, (intra terram autē positum fuisse nihil dubitamus) nullus iam ampliùs illius est vsus. Nam quotquot hoc tempore mortali hac vita defungūtur, omnes mox aut feruntur ad cœlum, aut ad purgatorium, aut ad puerorum limbum, aut ad sceleratorum infernum; prout omnes quoque, quotquot hinc excedunt, aut excedūt hinc lethali peccato obstructi, aut ab omni peccato peccatiq; vestigio liberi, aut originis vitio infecti, aut nonnullis adhuc mortalium, aut venialium quoque reliquijs grauati. At verò ante Christum passum ij omnes eò amandabantur, qui ab omni peccati infectione erant vacui: siue eam à peccatorum sordibus vacuitatem obtinerent, cū vita iam defungerentur; siue per emendatorium ignem illam postea consequerentur. Vt enim nunc ex corpore, & ex purgatorio igne fit transitus ad cœlum; ita tūc ad patrum limbum; vel, vt Christus loquitur, ad Abrahæ sinum. Et vt nunc ex omni gente & natione, quæ sub cœlo est, aliqui transmittuntur ad cœlum, vel transmitti certè ad illud possunt: ita tunc quoque ex omni populo & lingua deportabantur ad Abrahæ sinum. Nec enim pro solis Iudæis extructus erat limbus, Abrahæ ve sinus, sed pro omnibus hominibus Deum timētib; & in sanctitate & iustitia vitam finientibus.

Iam si patrum limbus, in quo damni tantūm pœna obtinebat, intra terram erat: multò magis purgatorium, in quo perinde ac in inferno vtraq; pœna vires suas explicat, intra eandē ardebit. Sunt tamen, qui ibi vnumquēque purgari autumant, vbi aliquid purgatione dignum conflārat. Alij, (quòd spiritus purgationis etiamnum egentes medium quodammodo inter viatores & comprehensores statum obtineant) medium inter hos & illos locum illis assignāt, puta aëris, vel ignis re-

Patrum lim-
bus nullum
ampliùs ha-
ber vsus.

Vt nūc è cor-
pore & pur-
gatorio fit
transitus ad
cœlum, ita
olim ad pa-
trū limbum.

Purgatorium
intra terrę vi-
scera vires
suas explicat.

gionem. Sed vtraque opinatio est vana, & veritatis fundamento destituta. Prior quidem, quia non potest idem simul in diuersis locis puniri; nec opus est, vt certa quadam successione modò in hoc puniatur, modò in illo: cùm vna ad numerum perpeffione pro omnibus satisfieri queat. Nec locus aliqd ad rem facit, cùm rarissimè peccati speciẽ mutare soleat. Sed neque in politicis quoque rei ibi plectuntur, vbi facinus designarunt, nisi forsan ad aliorum terrorem aliquando; sed in loco communi, & publico, certoque iudicio à magistratu ad id destinato. Posterior verò, quia nulla apparet ratio, cur solù purgatorium in aëre, vel æthere constitui debeat. Nam quod de medio statu allegabatur, hoc nihil est profus. Quãdoquidem veteres patres multò melioris status, cœloque, si meritũ spectes, multò viciniore erant: & tamen hi nõ asseruabantur in aëre vel æthere, sed in visceribus terræ. Imò verò multę & magnę adferri possent causæ, cur in aëre vel æthere constitui non debeat.

Veruntamen licet cõmunis purgationis locus sit subterraneus, & idem fortassis cum infernali: hoc tamen nihil quicquam verat, quò minùs Deus Opt. Max. aliquos extra hũc locum punire queat: vel quia peccata illorum id promeruerunt; vel quia alios, ne in similem tormẽtorum locum incidant, sua pœna admonere volunt; aut certè quia viuorum suffragia hac ratione impetrare contendunt. Nec mirum videri debet quosdam interdum extra communem expiationis locum pœnis exerceri; cùm quidam quoque damnati extra communẽ sceleratorum carcerem nonnunquam torqueantur. Dicitur autem hęc solus ignis, vel locus purgatorius, quia vni huic ex omnibus hęc facultas suppetit. In inferno enim & puerorum limbo nulla purgatio potest fieri: in cœlo autẽ nulla est opus; sicut nec vlla quoq; in limbo patrum quondam erat necessãria. At de hac re suo postea loco fusiùs, est enim præcipuus totius huius disputationis scopus. Nunc pauca quoq; de animarum è suis sedibus egressione in medium adferamus.

Nullum

Nullum esse animarum receptaculum, ex quo nonnullæ interdum non exeant, aut exire certè, si smantur, non valeant.

CAPVT QVINTVM.



Animarum è suis sedibus egressum quod attinet, certum est, olim omnes inde ad iudicium prodituras esse. Aequè certum est veterum patrũ spiritus, qui ante Christum natum & passum in limbo detinebantur, ibi iam ampliùs non distineri. Iamdudum enim antè filius Dei, hominis causã homo factus, mortemque perpeffus, captiuam duxit captiuitatem, infernumque momordit. Sed neq; dubium est quoque omnes illas animas, quę cum Christo in cœlo triumphant, aut cum diabolo in inferno pœnas pendunt, nunquam ea ratione inde ad vitalem hanc lucem remeare, aut remeaturas quandoque esse, vt denuo eò, vnde digressæ fuerant, non redeant. Nemo adhęc ambigit, iustorũ Spiritus, qui apud inferos expiantur, non diutius istic hęrere, quàm pœnarum debita ad legis iustitiam exoluerint. At quęstionem tamen nonnullam habet, an inde rectã statim transmittantur ad cœlum, Deum, sicuti est, clarè contemplaturi. Sunt enim pij quidam & eruditi viri, qui etsi nihil absolutè hęc definiant, innuũt tamen vel omnes, vel aliquos certè, qui satis quidem pœnarum iam luerũt, necdum tamen, qui ad gloriam admittantur, satis idonei censentur, ex purgatorij statione, non rectã statim ad superos transmitti, sed ad terrestrem paradisum, vel ad alium amœnum, pœnarumque expertem locum.

Hanc controuersiam ex Sanctorum quorundam sententia in vtranque partem agitat Dionysius Carthusianus, qui quoque in aientẽ satis propensum sese declarat. Verũm admissõ, quod vir ille salua fide admitti posse autumat, nempe iustorum animas non rectã mox ex purgatorijs pœnis ad cœlum transferri, sed ad terrestre paradisum, vel alium amœnum locum;

Anime omnes è suis sedibus prodibunt ad iudicium.

Depart. iud. ar. 30. 31.

Locus peccati speciẽ raro mutat.

Non omnes spiritus eodẽ in loco expiantur semper

locum; ita vt proximè à sensus & damni pœna transferantur ad pœnam dâni tantùm, qualem olim citra cruciatum perpessi sunt patres in limbo; & inde tandem ad cœlestem gloriam: ex consequenti statuêdum est, eiusmodi animas ab omni debito non prorsus adhuc esse liberas, sed aliquid etiamnum illis cohêrere, ppter quod p̄ta merces differri adhuc debeat. Est enim communissima doctorum hominum sententia, animas sufficienter purgatas statim admitti ad gloriam: Cui sententiæ p̄ter Concilium Lateranense ipsa quoque ratio suffragatur. Siquidem sublato omni debito, expiataq; omni sordē & immunditia, nulla ampliùs manet dissimilitudo, nullus obex ad gloriam: Ianua autem cœli patet ijs omnibus, qui impedimento nullo tenentur. Adhęc immundi, lethali v̄ peccato contaminati, statim rapiuntur ad supplicium: ergo mundi, & ab omni peccati nœuo expiati, statim transferuntur ad gaudium. Est enim Deus eq̄què propensus, vel etiam propensior ad exoluendum iusta p̄mia, atque ad irrogandum commerita supplicia. Denique iustus & pius paterfamiliâs non differt p̄tē mercedis solutionem: ergo multò minùs Deus, cuius clementiæ & iustitiæ nullus est finis, eam differt.

Probabile fit tandem, defunctorum spiritus, cuiuscunque demum status, vel ordinis illi extiterint, sedes, quas pro meritum suorum ratione perpetuò, vel ad tempus assignatas habent, naturali instinctu appetitūve nunquam deserere. Non quòd vi naturali ex loco sibi assignato excedere, aut de loco ad locū se transferre, si permittantur, non queant; sed quòd secundum naturæ suæ statum causam, propter quam eiusmodi mutationem affectare magnopere debeant, nullā habeant.

Siquidem motus plerunque omnis suscipitur propter indigentiam: at animæ beatæ nullius indigent; damnatæ pluribus egent, sed nullius subsidij participes fieri valent: iustæ poenitentes, hoc est, in purgatorio satisfaciētes, vel satisfaciētes, & indigent, & iuuari possunt. Verùm id tantùm secundum spiritalem ordinem & causam: Natura enim non dicitur

spiritalia

Animæ sufficienter purgatæ statim admittuntur ad gloriam.

Scelerati statim rapiuntur ad supplicium.

Spiritus naturali instinctu non mutant locum.

Motus suscipitur propter indigentiam.

spiritalia suffragia expetenda esse. Nec dici potest ideo exitum moliri, vti cum hominibus cōuersentur. Quandoquidem animarum separatarū conuersatio non est cum hominibus, cum sint spiritus carnis expertes, nullo sensu vtētes, nullam sui cognitionem sensibus ingerentes, nullam notitiam à rebus accipientes: hęc enim conditiones in hominibus tantùm locum habent, non in spiritibus. Quare nisi corpore aliquo vestiuntur, neque videri, neque audiri, neq; ab hominibus cognosci possunt.

Dices forsan: Animæ eam retinent affectionem, in qua è viuus decesserant: ergo secundum naturæ suæ conditionem, naturalemque volūtatis propensionem subinde exire, locumque mutare desiderant, quò nimirum ijs prosint, quos amant; vel ijs obsint, quos odio habent; vel quò beneficium aliquod à suis amicis expetant? Ad hoc paucis responderi potest, eum amicitia, vel beneuolentiæ vsum inter viuos vitaque defunctos intercedere nō posse, qui intercesserat inter vtrinq; superstitēs. Amicitia enim orditur à sensu; hinc verò exorsa, per ea que in sensus incurrunt, iisdemque grata accidunt, fouetur & confirmatur; & fructus tandem ex se progignit sensiles: In separatis autem, vt sensus, ita ea quoque, que sensum, & per sensum intellectum & voluntatem mouent, locum non habent. Et quia vita defuncti non solùm mutârunt statum, sed ipsam quoque naturam, fit vt ea, quæ antè (nempe dum in viuis adhuc agerent) illis erant grata, iucunda, vtilia, ac salubria, eisdem iam ampliùs non sint talia. Neque mirum videri debet, si vitæ munere perfuncti statū, viuendique cōsuetudinē mutant, cum in politicis quoque & humanis mutatio status, morum & consuetudinum mutationem adferre soleat. Non enim idem vtile, aut honestum, aut iucundum est priuato & publico magistratui. Nec cum eiusdem conditionis hominibus versatur diues & pauper; persona sacra & profana. Cùm ergo non eadem sint illis vtilia, & nobis; nec eadem illis iucunda, & nobis; nec eadem illis grata, & nobis, sed diuersa: impossibile est, vt

ff inter

Spiritui conuersatio non est cum hominibus.

Inter viuos vitaque defunctos intercedere non potest cōiunctus politicus.

Amicitia inter homines orditur à sensu, foueturque & confirmatur p̄ ea, quæ sensui grata sunt.

Defuncti mutant naturam & statum.

Mutatio status, morum mutationem adferre solet.

inter nos & illos familiaris conuictus consistat.

Sed manet in illis, inquis, amor & odium, in quibus disceserant? Sanè amor & odium, vt concupiscentis partis affectiones sunt, non magis in illis reliquæ sunt, quàm sensus ipse: Amor autem, vt voluntatis affectione constat, in damnatis est omnino deprauatus. Vnde non retinent amicitiam ad eos, quos in vita amauerant: sed omnem amicitiam & beneuolentiam, quam, vel habebant in vita, vel habere videbantur, in odium permutant. Cur permutant? Quia utilitas, vel iucunditas, vel honestas, vnde illa conflata, aucta, & perfecta fuerat, in inferno stationem suam non ampliùs obtinent. In beatis remanet quidem verus ac syncerus amor: sed illi interim supernaturali amore veriùs nos diligunt, quàm naturali: Quo amore & nos quoque inimicos nostros, si tamen id verè sumus, quod esse deberemus, prosequimur, quos tamen naturaliter auersamur. Et vt omnes naturalis amoris causæ cessant apud inferos, ita & odij quoque: Nullam itaque separatæ animæ naturalem causam habent, propter quam ad nos commeari, vel nobiscum versari magnopere expetere debeant.

Beati supernaturali amore nos diligunt.

Animæ, quæ naturaliter non exeunt, mirabiliter exeunt aliquando.

Beatorum spiritus toties ad hæc inferiora descendunt, quoties lubitum fuerit.

Verùm quia alia sunt, quæ naturaliter sunt; alia, quæ mirabiliter; & alij rursus rerum humanarum sunt limites, alij diuinarum: animæ, quæ naturaliter, hoc est, secundum naturalem conditionem suam, sedibus relictis ad homines non exeunt, mirabiliter, hoc est, secundum secretam diuinæ sapientiæ dispositionem & ordinem, aliquando inde egrediuntur, egressæque hominibus sese offerunt. Et primò quidem indubitatum est, animas coelesti gloria iam donatas è cœlo ad inferiora hæc & sublunaria spatia, quotiescunque lubitum id fuerit, descendere posse. Nam si quacunque causa incitata inde ad nos prodire cuperent, neque prodire tamen possent, aliquam vtique ægritudinem animo conciperent: beatis autem, nec ægrè est, nec ægrè esse potest. Ad hæc non minoris facultatis, aut libertatis sunt felices illæ animæ, quàm demones. At hi, (etsi fortè non omnes) quocunque visum fuerit, liberè vagari sinuntur.

sinuntur. Cùm diabolus & demones, inquit Hieronymus, vbi que toto orbe vagentur, & nimia celeritate vbi que præsentibus sint, quare Martyres post effusionem sanguinis tenebuntur inclusi? Quod autem de Martyribus hîc asseritur, hoc de ceteris omnibus assertum accipiatur. par enim omnium est ratio. Denique extant huius rei plurima grauiâ documēta & exempla grauiſſimorum Scriptorum monumentis prodita, quibus fidē in vniuersum abrogare, aliud nihil esset, quàm venerandam antiquitatem aperti mendacij insimulare.

Contra Vigil.

Ceterum dum è Diuorum albo qui spiam huic vel illi spectandum sese exhibet, nullum gloriæ detrimentum inde accipit. Nam vbi que sunt beati, lumen gloriæ secum deferunt, & in Deum, qui nusquam deest, semper incurrunt. Sed & nunquam quoque exire vellent, si cum aliqua beatitudinis iactura eiusmodi egressus contingeret. Nemo enim ne ad exiguum quidem tempus velit esse miser. Et quemadmodum, quando inde ad nos remeant, consummata illa beatitudo non adimitur illis in totum; ita neq; in partem quoque. Nam vt nullus totius felicitatis iacturam per istiusmodi ad homines reditionem pati velit; ita nec partis quoque. Et quod hîc dicitur de beatis, hoc ipsum & de ceterarum quoque classium vel ordinum spiritibus dictum accipiatur. Cōmune est enim hoc omnibus, nempe quod, dum mortaliū obtutibus se offerunt, locum tantum mutant, non etiam statum. Quare vt beati, quocunq; tandem locorum sese cōtulerint, coelestis vocationis brauium secum semper deportant; ita damnati, & purgatorij cruciatibus mancipati, quocunque terrarum abscesserint, suum carnificem semper secum ferunt.

Beatorum spiritus dum ad homines exeunt, nullam gloriæ suæ iacturam faciunt.

Spiritus rediunt ad locum tantum non etiam statum mutant.

Sed quid de damnatis statuis, nunquid & ille quoque, perinde ac beatæ exeunt, quotiescunq; volunt? Nequaquam. nam si integrum illis foret exire, quando vellent, & quoties vellent, ne ad horam quidem in inferno hererent, etiam si illorum poenæ per eiusmodi egressum nihil quicquam decederet, nec vllum inde adiumentum aut leuamentum ad illos accederet. Siquidem, quæ illarum est superbia, gauderent ea vagandi libertate, lo-

Damnatis non licet exire, quum id lubet.

Dæmones
horrentabyf-
sum.

corumque varietate. Quare & dæmones quoque, qui suum ta-
men infernū semper secum deferunt, maiorem in modū abyf-
sum exhorrent, & metuunt: nō ob id solūm, quōd ibi existen-
tes tentare, quos volunt, nō possunt; sed ob id etiam, quōd vni
semper loco adhærescere refugiant. At sinuntur tamen & ipsi
quoque damnati interdum exire, non vt profint sibi, aut vsum
aliquem inde capiant; sed vt nobis profint: licet illi ex se id
non studeant, imō oppositum potiùs studeant & optent. Sunt
enim salutē nostrę oppidō infesti, maximeque inuidi.

Damnati in-
ferum nō de-
ferunt vt pro-
fint, sed vt ob-
sum.

Ad eos autem, qui in purgatorio exercentur & expiantur,
quod spectat, dubium nullum est, quin omnes & singuli simul
atq; purgationis tempus integrè expleuerint, inferorum sedes
deserāt. Verūm an interea dum expiationi dant operā, quan-
doq; egrediantur, egressiq; cum hominibus cōuersentur, istuc
ideo quidam in quęstionē vocant, quia incertum est, an animæ
illæ, quę assumpto corpore interdum apparēt, viuorumq; suf-
fragia efflagitant, ex purgatorijs locis illuc adueniant, an verò
ibi, vbi mortalium opem fidemq; implorāt, promeritas pœnas
expendant. Dictū est enim suprā duplex purgatoriū esse: alterū
cōmune, & ordinariū; alterum priuatū, & extraordinarium.

Quidam ante
pœnam abso-
lutā ex com-
muni purga-
torio ad ho-
mines exire
permittuntur.

Compertū est nihilo secius quosdam in illis ipsis locis pœnis
fuisse addictos, vbi mortaliū subsidiū ambiebāt. His tamē non
obstātibus, probabiliter credi potest, peculiari Dei Opt. Max.
cōsilio quosdā ex cōmuni quoq; purgatorio ad nostrū orbem
redire; vel vt incredulos sua præsentia reuincant, suaq; oratio-
ne instruant; vel quōd ignauos & desides ad salutis suę studium
excitent; vel quōd suffragia expetant, charosq; de suo statu cer-
tiores reddant. Nam cūm Augustinus, Gregorius, & alij præ-
terea cōplures Theologi multis exēplis sæpe id accidisse ostē-
dant; neque tamen, vnde accesserint, exponant: temerarium
esset negare, nullum ex ijs omnibus ex communi purgato-
rij loco aduenisse; sed ad vnum omnes ibi suum certum &
stabile purgatorium assignatum habuisse, vbi se præsentes ex-
hibebant.

Non vnus o-
mnium est sco-
pus, q ex pur-
gatorio ad
nostrum hūc
orbem rede-
ant.

Porro

Porro autem an non renatorum spiritus locum, quem quo-
uis modo assignatum habent, aliquando destituant, homi-
numque contubernijs ac colloquijs sese misceant, id nemini
fatis compertum existimo. Certum est tamen, deserere, assum-
ptoque corporis schemate cum hominibus versari posse; si
is, qui omnia potest, & omnibus absolutè imperat, ita iubeat,
vel ordinet. At nobis interim verisimilius fit Deum id nun-
quam iubere, nec ipsos quoque magnopere istuc expetere; vt
qui nullum ea è re fructum capere, aut alijs adferre valeant.
Sunt sanè & illi quoque, perinde ac sempiternis inferni suppli-
cijijs mancipati, à Christi regno perpetuò exclusi: at non est
tamen eadem vtrorumque ratio. Nam cūm damnati grauissi-
mas pœnas luant, expedit vt nonnunquam compareant, su-
amque miseriam & infelicitatem in aliorum terrorem coram
exponant. Comperiuntur enim, qui virtutis amore permo-
uentur parum, aut nihil; pœnarum autem, & maximè terri-
bilium, quales sunt tartareę, formidine cōcutiuntur, nec non
ad virtutis studium excitantur plurimum. At verò in solo ori-
ginis peccato defuncti, sensus pœnā nullam sustinent; atque
ita, si ad homines redeant, ijsque coloribus statum suum de-
pingant, quibus à magnis quibusdam Theologis descriptus
extat, adeò non terrebunt, vt quosdam quoque permoturi
sint, vt similes illis esse exoptent. Nam cūm sensus pœna care-
ant, scientiaque, & sanitate, & immortalitate polleant, possunt
conditionis non admodum malæ videri, etiamsi Deum non
videant; neque, sicuti est, eundem cognoscant, neque cogni-
turi sint vnquam. Quandoquidem & nos quoque in hoc re-
rum statu Deum non videmus, neque, sicuti in se est, eundem
cognoscimus, & tamen multi ita ad hanc vitam afficiuntur, vt
de altera parum interdum cogitent.

Pueri ex lim-
bo nunquam
redeunt ad
hanc lucem.

Plures mouē-
tur pœnarum
formidine q̄
virtutis amo-
re.

Et sicut paruuli, de quibus hīc sermō est, istorum ve spiritus
rarò, vel fortè nunquam, receptacula sua deserunt: ita credi-
bile fit, Sanctos, qui ante Christi aduentum detinebantur in
limbo, rarò admodum exiuisse. At quosdam tamen inde ad

Pattes è lim-
bo rarò pro-
dibant ad hanc
lucem.

ff 3 hanc

Matth. 17.

hanc lucem remeâsse, dubitare non licet. Neque enim Moyses cum Christo Domino sermones serere potuisset, nisi Abrahæ sinum ad tempus deseruisset. **Qu**anuis ergo (vt de omnibus vniuersè dicamus) ordinarium non sit, vthumani spiritus, cuiuscunque demum conditionis extiterint, posteaquam humana semel deseruerunt, iisdem rursus sese immisceant: at tamen vt Moyses & Elias apparuerunt Christo Redemptori in monte Thabor, & Samuel Saulo Israelitarum regi in vico Endor, & Onias & Hieremias Iudæ Machabæο *ἡγρόναρ*: ita alij beatorum spiritus alijs quoque, si qua necessitas, vel utilitas id poscat, vel Deus permittat, nonnunquam apparere possunt. Est enim multò maior libertas, egrediundi que facultas in cœlo, quàm fuit olim in patrū limbo. Ais, ait Hieronymus in Vigilantium scribens, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigeri, vel subter aram Dei, animas Apostolorum & Martyrum confedissee, nec posse suis tumultis, cum voluerint, adesse præsentis. Et ita tu Deo leges ponis? Tu Apostolis vincula iniicis, vt vsq; ad diem iudicij teneantur in custodia, nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est: Sequuntur agnū quocunque ierit. Si Agnus vbique est, qui cum eo sunt, vbique esse credendi sunt. Hęc Hieronymus de Sanctorum libertate, que tamē, quod ad vbiuitatem attinet, commodè exponi debent. Certum est enim, Diuos nō esse vbique, sed vno tantum loco: dicuntur tamen vbique esse, quia vbi cunque adesse volunt, ibi successiuè adesse possunt. Quod ipsum, & de Angelis quoque dici solet, & iure quoque dici potest: imò multò iustius asseritur de his, quàm de illis. Quandoquidem Spiritibus illis angelicis ex officio, & quasi ex naturæ suæ conditione conuenit homines custodire, Dei Opt. Max. decreta annunciare, inferiora hæc administrare, & alia id genus munia obire, atque ideo non in vno loco herere, sed passim adesse. Animabus verò beatis nihil horum conuenit ex officio, suę ve naturę conditione: Sicut nec illud quoque in illas conuenit, quòd sedibus suis desertis, quocunque visum fuerit, diuagentur:

1. Reg. 28.

2. Mach. 15.

Apoc. 14.

Diui nec sunt
vbique, nec
vbique esse
possunt.

tur: sed tantum ex munere gloriæ, vel ex peculiari illius dispensatione, qui solus vbique est simul & semel, non solum secundum virtutem, sed etiam secundum essentiam.

Solus Deus
simul & se-
mel vbique
presens adest

Et quanuis negari non debeat Sanctorum spiritus ibi adesse, vbi adesse volunt, (alioqui enim perfecta beatitudo illis deesset) hinc tamen non sequitur vbique diuagari: Quia nihil est, quod vbiuis, vel passim quoque extra cœlum agant, aut vnde voluptatem capiant, aut scientiam hauriant. Nos autem multis locis adesse naturaliter desideramus: Siquidem audimus, videmus, & intelligimus in vno loco, quod non in illo. Multa enim sunt, & sunt Romæ, que non Augustæ, vbi hæc scribimus, & vice versa. Vnde si nullæ essent molestiæ, nulli sumptus, nulla pericula, nulla alia impedimenta, homo perpetuè peruagari cuperet. Et quemadmodum non idem hinc statuentum est de Angelis, Diuorumque spiritibus; ita nec idem quoque de demonibus, cæterisque damnatis. Nam licet vtrique in hoc conueniant, quòd neutri possunt esse vbique: Sunt enim superiora omnia vel ipsis quoque demonibus occlusa: demonibus tamen permissum est, vniuersum hunc sublunarem orbem peruolare, hominesque ad peccatum laessere, & infestare: neutrum autem permissum est sceleratorum hominum animabus: etiamsi quedam ex illis quibusdam demonibus multò sint nequiores, sicut quidam quoque homines quibusdam Angelis multò sunt beatiores.

Nulla est causa, cur Sancti passim adesse desiderare debeant.

Magnæ sunt causa, cur homo multis locis præstò esse percipere queat.

Quidam homines quibusdam demonibus nequiores.

Verumenimuerò licet negari non debeat, & citra manifestam temeritatem negari quoque non queat, animas cum beatas, tum damnatas quoque hominibus apparere posse, & quasdam quoque ex illis aliquando apparuisse: non est tamen omnino certum, an ipsemet animę appareant *αυτοπροσώπως*, an verò *ετεροπροσώπως*. Augustinus in eam sententiam magis propendet, que statuit, quicquid in eiusmodi contingit, id si non in totum, maiorem certè in partem Angelorum ministerio contingere. ait enim: Feruntur mortui nonnulli vel in forma vel alio quocunque modo apparuisse viuentibus, atque vbi

Incertum defunctorū ne Spiritus *αυτοπροσώπως* redeant.

Cap. 10. de cura pro mort.

vbi eorum corpora iacerent inhumata nescientibus, locisque monstratis admonuisse, vt sibi sepultura quæ defuerat præberetur. Hæc si falsa esse respōderimus, contra quorundā scripta fidelium, & contra eorum sensus qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur. Sed respondendum est, non ideo putandum esse mortuos ista sentire, quia hæc dicere, vel indicare, vel petere videntur in somnis. Nam & viuentes apparent sæpe viuentibus dormientibus, dum se ipsi nesciunt apparere. Angelicis igitur operationibus fieri crediderim, siue permittatur desuper siue iubeatur. Hæc ille, & alia multa in eandem sententiam capitibus sequentibus.

Profectò si cum quibusdam non contemnendæ authoritatis Theologis statuatur, animas illud tantum corpus mouere posse, quod essentialiter informant, hanc Augustini opinionem absolutè citra exceptionem admittere liceret. Nam cum eiusmodi Spirituum reditiones semper contingant in aliquo assumpto corpore; (neque enim sensa sua alijs depromere, aut ab alijs cerni, vel audiri possent, nisi corpus aliquod adiunctum haberent) & illud ipsum corpus, in quo apparent, non sit suum; neque, vt suum sit maximè, illud tamen informet; nam aliàs eundem hominem toties intermori, ac resurgere oporteret, quoties ipsum apparere ac disparere contingeret; & secundum doctrinam iam tactam aliud præcisè, quàm id, quod essentialiter perficiunt, mouere non valeant: necessariò conficitur, animas humanas per se solas nunquam redire, aut apparere; sed semper per aliquem sanctum, aut nequam Spiritum: vel certè per alterutrius subsidium, & ministerium: ita nimirum, vt Angelus illud corpus, in quo & per quod ipsæ cernuntur & audiuntur, impellat ac moueat.

Verùm nullam videmus causam, propter quam animæ separate omnis omnino mouendi facultas adimi debeat: imò verò non pauca se offerunt, quæ oppositum potiùs suadent. Constat enim animas eiusmodi secundum locum mouere se posse: Nam aliàs omnibus animantibus miserabiliores forent;

& na-

Spirituum reditiones semper contingunt in aliquo assumpto corpore.

Nulla est causa cur animabus separatis mouendi facultas adimi debeat.

& naturalis illarum appetitus, quo vtique de loco ad locum sese transferre desiderant, inanis planè & cassus in illis esset, & in vno loco existentes, citra externum adminiculū inde auelli non possent: quæ omnia sunt absurda, illarumque dignitati & excellentiæ omnino dissentanea. Constat nihilofecius, dum in corpore adhuc degunt, & suum, & per suum aliud seiunctum, quod suo aliquando grandius est, magna facilitate mouere, & quolibet versum impellere posse. Cum ergo hanc vim à suo vel alieno corpore non mutuentur, sed à seipsis petant; consequens fit, vt secum illam deferant, dum hinc excedunt, delatamque ac integrè retētam, huic aut illi corpori applicare valeant. Constat, vt paucis absoluam, quàm plurimas sæpe in assumptis corporibus apparuisse, & se in hoc, vel illo loco, vel corpore pœnas pendere professas esse: dicere autem, omnes illas apparitiones, & sermocinationes per Angelorum ministerium accidisse, id nequaquam est necessarium. Simpliciter ergo concedendum est, animas à corpore separatas aliquod corpus, quod actu informant, mouere posse.

Imò non desunt, qui existimant animam separatam maius corpus mouere posse, quàm coniunctam. Sed hæc sententia dilabitur in alterū extremum. Nam cum anima secundum se non crescat, nec crescere valeat, (est enim Spiritus, qui totam suam essentialem perfectionem accipit simul) citra, imò contra rationem asseritur, maiores vires sortiti extra, quàm intra corpus. Quandoquidem corpus, quod informat, adedè illi ad cingendum motum non est impedimento, vt eidem magno quoque sit adiumento. Nam vnio formæ cum propria materia est multo naturalior, multoque validior, quàm cum aliena. Etenim in corpore vt forma existens, constituit speciem, naturamque perfectam; extra corpus verò neutrum horum præstat. Adhæc anima secundum se tantarum est virium in infante; vel senes iam decrepito, quanta est in robustissimo viro. Vnde Philosophus alicubi asserit, si daretur seni oculus iuuenis, æquè clarè visurum, atque iuuenem: Si ergo totum videndi, audiendi,

gg

sen-

Animæ seipsum possunt seipsas de loco ad locum transferre.

Animæ mouendi vim, quam in corpore habebant, extra corpus non amittunt.

Animæ mouere possunt corpus, quod actu non informant.

Anima secundum se non crescit, nec crescere potest.

Anima non habet maiores vires extra quàm intra corpus, sed minores.

Anima tantarum est virium in infante, vel senes, quanta est in valido gigante.

fentiendi, & operandi discrimen prouenit ab organis; ita ut ibi validior & perfectior sit operandi vis, ubi meliora & perfectiora sunt organa: necessariò conficitur animam potentiùs agere, mouereque posse intra corpus, quàm extra corpus existentē: Quandoquidem híc nulla habet organa, aut motus instrumenta; ibi habet, & quidem apta, & naturalia. Denique quòd Angeli magnam mouendi vim habēt, hoc nequaquam euincit animam separatam plus posse, quàm coniunctam. Est enim dissimilis vtriusque ratio. Siquidem Angeli per se sunt nature perfectæ, non nature partes, aut formæ: anima autem non est substantia per se perfecta, sed tantùm perfectæ substantiæ pars & forma. Quare licet non omnis mouendi facultas animæ separatæ adimi debeat, ut prima opinio adimebat: non debet tamen par illi in vtroque statu tribui, sed propter rationes iam allatas minor, dum est extra corpus, quàm cum est in corpore. In intellectione tamē secùs res habet: operosiùs enim & obscuriùs intelligit in corpore, quàm extra corpus. Extra corpus enim nec defatigatur, neq; impeditur, cum eo in statu organo corporeo nullo vtatur, neque cognitionem ex rebus venetur.

Anima clariùs intelligit extra quàm intra corpus.

Anima non potest corpus suo vastius mouere.

Anima corpus, quod se mel defecit, non potest mouere; aut non expeditè mouere.

Hinc illorū quoq; opinatio refellitur, qui animam ad suum corpus regredi, vel in aliud suo vastius ingredi, ingressamque, nisi diuinitus (ne videlicet metempsychoseos commentū stabiliretur) præpediretur, localiter illud mouere posse contendebant. Nam cum anima à corpore seiuncta destituatur organo ad perficiendum motum idoneis, non est tanta in ea vis cum est motor tantum, quanta est cum est forma & motor simul. Quapropter licet in corpus, quod reliquerat, intrare queat; non poterit tamen illud mouere, aut certè non expeditè mouere, multò verò minùs illud informare aut animare. Et ut maximè ad corpus suū regressa, illud qualitercunque mouere posset, adhuc tamen ad illud regredi, vel in illud ingredi non vellet; ut que operationes, quas priùs ibi exercebat, ampliùs ibi exercere nō valeat. Neque enim posset ibi loqui, aut videre, aut

re, aut audire, aut aliquod aliud eiusmodi opus exercere. Si quidem desunt ei organa ad ea munia obeūda necessaria. Non est tamen eiusdem operæ loqui, vel ambulare, & videre, vel audire, vel alterius cuiuscunque interni externive sensus opus exercere. Priora enim, quòd per solum motum administrari queant, dæmonum industria fieri possunt, non tamen animarum: ut quæ, neque tantas vires habeant, neque tot quoque artes calleant. Posteriora autem ne cacodæmonum quidem opera effici possunt, nedum separatarum animarum.

Sed neque locutio quoque per demortui cadaver fieri potest, nisi organis vtcunque adhuc consistētibus. Quare cum post annū, vel mēsem, vel aliud prolixius spatiū apparent mortui, nec ipsi, nec alij quicūque illorū loco, in proprio illorū corpore apparēt, sed in altero, pborū vel improborū spirituū ministerio ex aère vel alio elemēto cōflato. Iā si animæ ad sua corpora nō regrediūtur, nisi admodū rarò, & tūc quoq; ea, vel non mouent, vel ægrè admodum mouent: multò minùs ingredientur in aliena. Et si propter virium debilitatem suam, vel alterius hominis corpus mouere non possunt, multò minùs mouebunt corpus tauri, aut elephantis, vel alterius cuiuscunque vastioris animantis. Quamobrē tumultuationes illæ, quæ interdum in priuatis, aut publicis adibus contingunt, nullo modo fieri putandæ sunt per demortuorum spiritus, sed per spiritus impostores. Non est ergo Pythagoricus error in causa, quòd animæ ad sua, vel aliena corpora non regrediantur, regressæque, vel in ea ingressæ, illa ipsa ut artè nō moueant, sed ipsa illarū impotentia. Nam ad Pythagoricā *μετεμψόχωσιν* quod attinet, poterat illa sola naturali ratione, vel ipsa quoque experientia refelli. Patet enim ad sensum eiusmodi spirituum apparitiones res euanidas, & parum diuturnas esse.

Sed cōtra mouēdi facultatē, quæ tribuitur animæ, argumētari qui spīā in hūc modū posset: Ex omnibus animæ viribus sola volūtas & intellectus reliquæ in ea sūt: per has aut ne vnita quidē mouebat, sed tātum per musculos & neruos, & reliqua

Anima ad suum corpus regressa, nō potest ibi exercere actus, quos prius ibidem exercebat.

Spiritus post aliquot menses redeūtes, non redeunt in suo ipsorū corpore.

Tumultuationes nocturnæ non sūt per defunctorum animas, sed per demones impostores.

In anima separata reliqua sunt intellectus, voluntas, & vis motrix.

Vis motiua manet in anima radicaliter.

Anima seiuncta apprehendit omnium sensuum obiecta.

Apparet hominum spiritus per se, & per Angelos.

Ex peritastibus dijudicandum est, cuiusmodi sint spiritus qui apparent.

eiusmodi motus instrumēta: ergo multò minùs per eas mouet à corpore iam auulsa. Ad hoc responderi potest, in anima seiuncta nō solūm intellectū & voluntatē reliqua fieri, sed facultatem quoque motricem. Spectat enim illa ens in tota sua latitudine, hoc est, nō solūm vt vnū, aut verū, aut bonū, &c. est, verūm etiā vt moueri, vel nō moueri natū est: Et quāuis eiusmodi vis nō maneat in illa formaliter, manet tamen in illa radicaliter. Quo etiam modo apprehensiuæ vires in illa manent: Nam etsi non audiat, nec videat, nec alterius cuiuscunq; sensus actū exerceat, apprehendit tamen omnium & singulorum sensuum obiecta. Et quia facultas illa non eodem modo existit in anima coniuncta, & separata sit; vt ipsa quoque non eodem modo moueat coniuncta, & separata. Enimuerò cū in corpore vt forma adhuc existit, non totam corporis molem simul impellit; sed dum vnā impellit, altera quiescit; quiescens enim virtute ex anima accepta mouet partem motam: dum autem extra corpus agit, nō partem post partem mouet; sed totam molem simul impellit. Præstigijs tamen diaboli fieri potest, vt eiusmodi corpus organicè moueri videatur.

Ex his iam planum est, quid ad quæstionem paulò antè propositam responderi queat, & responderi quoq; debeat: nempe eiusmodi humanorū spiritū ex superis, vel inferis ad hūc nostrum orbē reditioes, & per ipsosmet hominū spiritus, & per bonos rursum vel malos Angelos fieri posse, & fieri quoq; solere, vñtatius tamen per hos, quàm per illos. Quando aut per hos, & quando rursum per illos fiāt, hoc ex apparitionis modo & qualitate dijudicari debet. Sicut & illud quoq;, an Angelus, qui demortui personam sustinet, lucis an tenebrarū sit spiritus. Etenim si eiusmodi spectris admiscetur aliquid, quod per animā à corpore separatā fieri nō posse putatur, facile erit diuinare, qui auditur, vel cernitur, vel alio sensu percipitur, nō hominem, aut hominis spiritū, sed probum, vel nequam Angelum esse. Pari modo si istiuscemodi visionibus, mortuorum ve spectaculis, aut eorundem sermonibus inuoluuntur quædam

dam trice, veræ pietati, catholicæque fidei parum consentaneæ, vel res quoq; leues, aut ridiculæ, aut aliās inusitatæ: haud difficulter conijcere licebit, qualis sit fons, vnde tam turbida & insalubris lymphâ profcatuit.

Vt cunque sit: siue defunctorum spiritus ἀνορθότως, & per se; siue ἑρεπορθότως, & per alios huc redeant, certum est non idem spectare omnes. Siquidem valde boni redeunt, vt profint: valde mali, vt obsint, licet præpotens Deus prauam illorum voluntatem in aliorum salutem non rarò conuertere soleat. Cæteri neque valde boni, neque valde rursum mali, cuiusmodi, auctore Augustino, sunt, qui vnà cum Christi gratia, aliquid expiabile secum hinc asportârunt, vt viuorum suffragia petant, suauē de sorte familiares suos certiores reddāt. Hoc tamen, vt suprâ quoque mouimus, commune est omnibus, nempe vt locum tantūm, nō etiam statum mutent, dum mortalibus spectandos se præbent: Tum illud quoque, quod sub communem carnis resurrectionem omnes sedes sibi assignatas ad tempus deserent, seseque non iam per hunc, aut illum Angelum, aut alium quemcunque μεσίτην, sed per seipsos suo se iudici sistent: Tum illud demum, quod post exactum horrèdum illud vniuersalis iudicij spectaculum omnium discursus. & vices finem facient. Tunc enim impij & scelerati omnes fixi manebunt in inferno; iusti autem & Sancti in cœlo. Sed hi interim hîc liberè, (possent enim cœlestem patriam cum alio loco ad tempus commutare, si vellent) illi verò istic inuitè.

Sed vnde, inquis, prodiē runt illi, quos Christus, vel Apostoli, vel alij præstantis sanctimonix viri ex mortuis ad vitam reuocârunt? Haud dubiè non ex vno loco, vel vna sede ad vnum omnes; sed alij ex hac, alij ex illa, alij item ex alia: Nam in tanto resuscitatorum numero probabile fit ex omnibus & singulis ergastulis, vel sedibus, aliquos huc prodiisse: exempli causa, è cœlo illi omnes, quos ante rationis vsum extinctos, priùs tamen, quàm extinguerentur, aqua sacra expiatos, sancti viri

Non idē spectant omnes, qui ex mortuis ad viuos redeunt.

Post communē carnis resurrectionē nullus erit amplius spiritū discursus.

Ad vitam exuscitati, ex diuersis receptaculis prodierunt.

Si viri exuscitârunt. Ex inferno, quos Apostoli, vel alij, in infidelitate, vel alio quocunque lethali crimine vita defunctos, vitæ restituerunt. Ex sanctorum patrum limbo duo illi pueruli, quorum alterum Elias, alterum exuscitauit Elisæus: quibus quidam Lazarum Mariæ & Marthæ germanum, cum reliquis duobus, quos vitali auræ Christus reddidit, adiiciunt. Rectius hos forsân inter eos censeas, qui ex purgatorio huc remeârunt. Ex puerorum limbo infantes, quos, ante susceptum Baptismi Sacramentum ex hac luce ereptos, D. Martinus, Hilarius, & alij complures Sancti exuscitare meruerunt: ex purgatorio demum reliqui.

Tandem vndecunque hi prodierint, (nam ex præfinito aliquo loco, nempe ex eo, qui secundum præsentis iustitiæ, vel iniustitiæ statum in illos conueniebat, prodijisse certum est. Neque enim, qui in infidelitate, aut mortifero scelere vitam finiuerant, interea dum resuscitarentur, detinebantur in cœlo, aut purgatorio, aut patrum, vel puerorum limbo, sed in inferno. Idem pro meritorum ratione statuatur de cæteris) de nullo sententiam absolutè vltimam fuisse latam euidens est: Absolutè enim vltima non admittit appellationem, aut retractationem: at horum omnium per Sanctorum appellationem, vel interpellationem secundum nostrum intelligendi modum fuit reuocata, & retractata: vel certè, dum denuo post primam resurrectionem vita defungerentur, suspensa. Aut prima ergo nulla fuit, aut non fuit absolutè vltima. Et hæc de animarum sedibus, & receptaculis vniuersè: nunc cæteris omnibus posthabitis ad illud vnum, quod totius disputationis huius

scopus est, quodque alijs omnibus, qui Christi

fidei fidem eiurârunt, maximè exosum

est, stylum mentemque

vertamus.

Quod

Et mortuis ad vitam reuocati non fuerunt simpliciter indicati.

Quod Purgatorij nomine accipiunt Catholici, id in nouo Testamento non vno in loco expresse traditum extare.

CAPVT SEXTVM.



Et si nouę legis Sacramenta Christi Redemptoris nostri sanguine tincta, vitæque præsentis incommoda, si moderatè toleres, ac cætera tandem omnia, quę vi aliqua expiatoria in vitę huius statione pollent, generali quadam ratione purgatorium dici queant: nos tamen in hac disputatione nihil horum omnium purgatorij appellatione censemus, sed illud vnum & solum, in quo, & per quod Deus Opt. Max. animas quasdam, iustas quidem illas, Christi que gratia perfusas, nondum tamen omnino puras, post hanc vitam expiat, cœlestique regno capeffendo idoneas reddit. Siue id ignis sit, vt communiter creditur; siue aqua, siue aliud quodcunque Elementum, aut ex Elementis concretionem: de hoc enim nullam hęc quęstionem habere volumus.

Quod autem eiusmodi animarum purgatorium post vitę huius cursum alicubi existat, vbicunque tãdem existat: (Nam etsi ostendi possit, & multis quoque argumentis, & rationibus antè ostensum sit, communem purgatorij locum subterraneum, tartareisque ergastulis finitimum esse, hoc tamē non est de fide.) id nõ est nouum & vanum Monachorum commentum, vt nouis illis magistris, vanisque Sectarum ducibus, vanissimè nugari lubet, sed verissimum & indubitatissimum sacratissimæ fidei nostrę decretum; nõ ex vniuersalis Ecclesię definitione, solenni que, ac constanti eiusdem professione, nec non vnanimi sanctorum Patrum doctrina solum manifestum, sed in ipsa quoque diuina ac canonica Scriptura non vno in loco expresse traditum.

Afferimus hoc fidei dogma non quouis modo in sacris diuinisque literis traditum extare, sed expresse. Siquidem nõ omnia,

Quicquid expiandi vi pollet, generalitè quadam ratione purgatorium dici potest.

Expiationi post hanc vitam locum esse, est certum, indubitatumque fidei decretum.

Quæ creduntur, non æquè omnia euidètia Scripturarum testimonia habent.

Triplex eorū est gradus, quæ in Dei Ecclesia creduntur, prædicantur, & obseruantur.

omnia, quæ in Ecclesia Dei creduntur, & prædicantur, eadem luce & euidètia in Scripturis traduntur, vel explicantur: sed alia maiori, alia minori. Quædam nanque creduntur, & prædicantur, quæ secundum se absolutè, citra vllum omnino discursum, in illis, & ex illis sunt manifesta: vt, quod filius Dei ex virgine sit natus, quod circumciscus, quod baptizatus, quod mortuus, quod exuscitatus, quod in cœlum assumptus, quod mundus ortus sui habuerit initium, quod vnus sit Deus, quod humana anima sit immortalis; quod præstabilius sit nõ nubere, quàm matrimonio iungi; quod satius sit omnia propter Christum relinquere, quàm multa possidere, & alia his cognata non pauca. Alia rursus creduntur & prædicantur, quæ secundum se in Scripturis non extant clarè & disertè definita, præcepta, aut tradita; colliguntur tamen clarè, & disertè, hoc est, euidètia & necessaria cõsecutione ex illis, quæ secundum se clarè & disertè hinc extant definita, præcepta, vel tradita: Exempli gratia, quod duæ distinctæ voluntates, & operationes extiterint in Christo: quod concupiscentia, quæ in renatis sit reliqua, non sit veri nominis peccatum: quod vna ad numerum natura in tribus existat, & subsistat hypostasibus: quod ieiunia, delectum ciborum, cæteraquæ Ecclesiæ, maiorūve præcepta, citra causam violare, sit peccatum: quod veniæ pontificiæ sint salutares, & in illis, qui legitimè vtuntur, effiaces: quod Pontifex maximus sit visibile vniuersalis Ecclesiæ caput, & sexcenta id genus alia. Nonnulla tandem creduntur & prædicantur, quæ in Scripturis, vel ex Scripturis secundum se non sunt euidètia, neque ex euidètiis secundum se necessaria collectione inferuntur; sed tantum probabiliter. Eius generis sunt: Angelos corporis esse expertes: infantes Baptismi sacramento salubriter initiari: Deiparam virginem mentis & corporis virginitatem perpetuò illibatam seruasse: Apostolos post acceptum in festo Pentecostes Spiritum sanctum lethali crimine se nõquam amplius obstrinxisse, & quàm plurima alia his similia. Hæc autem postrema eò erunt certiora,

& pro-

& naturalis illarum appetitus, quo vtique de loco ad locum sese transferre desiderant, inanis planè & cassus in illis esset, & in vno loco existentes, citra externum adminiculū inde auelli non possent: quæ omnia sunt absurda, illarumquæ dignitati & excellentiæ omnino dissentanea. Constat nihilofecius, dum in corpore adhuc degunt, & suum, & per suum aliud seiunctum, quod suo aliquando grandius est, magna facilitate mouere, & quolibet versum impellere posse. Cum ergo hanc vim à suo vel alieno corpore non mutuentur, sed à seipsis petant; consequens fit, vt secum illam deferant, dum hinc excedunt, delatamquæ ac integrè retentam, huic aut illi corpori applicare valeant. Constat, vt paucis absoluam, quàm plurimas sæpe in assumptis corporibus apparuisse, & se in hoc, vel illo loco, vel corpore pœnas pendere professas esse: dicere autem, omnes illas apparitiones, & sermocinationes per Angelorum ministerium accidisse, id nequaquam est necessarium. Simpliciter ergo concedendum est, animas à corpore separatas aliquod corpus, quod actu non informant, mouere posse.

Imò non desunt, qui existimant animam separatam maius corpus mouere posse, quàm coniunctam. Sed hæc sententia dilabitur in alterum extremum. Nam cum anima secundum se nõ crescat, nec crescere valeat, (est enim Spiritus, qui totam suam essentialem perfectionem accipit simul) citra, imò contra rationem asseritur, maiores vires sortiri extra, quàm intra corpus. Quandoquidem corpus, quod informat, ad eò illi ad eundem motum non est impedimento, vt eidem magno quoque sit adiumento. Nam vnio formæ cum propria materia est multo naturalior, multoque validior, quàm cum aliena. Etenim in corpore vt forma existens, constituit speciem, naturamquæ perfectam; extra corpus verò neutrum horum præstat. Adhuc anima secundum se tantarum est virium in infante, vel senes iam decrepito, quanta est in robustissimo viro. Vnde Philosophus alicubi asserit, si daretur seni oculus iuuenis, æquè clarè visurum, atque iuuenem: Si ergo totum videndi, audiendi,

Animæ seipsum possunt seipsas de loco ad locum transferre.

Animæ mouendi vim, quàm in corpore habebat, extra corpus non amittunt.

Animæ mouere possunt corpus, quod actu non informant.

Anima secundum se non crescit, nec crescere potest.

Anima non habet maiores vires extra quam intra corpus, sed minores.

Anima tantarum est virium in infante, vel senes iam decrepito, quanta est in robustissimo viro.

sentiendi, & operandi discrimen prouenit ab organis; ita ut ibi validior & perfectior sit operandi vis, ubi meliora & perfectiora sunt organa: necessariò conficitur animam potentiùs agere, mouereque posse intra corpus, quàm extra corpus existentē: Quandoquidem híc nulla habet organa, aut motus instrumenta; ibi habet, & quidem apta, & naturalia. Denique quòd Angeli magnam mouendi vim habēt, hoc nequaquam euincit animam separatam plus posse, quàm coniunctam. Est enim dissimilis vtriusque ratio. Si quidem Angeli per se sunt nature perfectæ, non nature partes, aut formæ: anima autem non est substantia per se perfecta, sed tantùm perfectæ substantiæ pars & forma. Quare licet non omnis mouendi facultas animæ separatæ adimi debeat, ut prima opinio adimebat: non debet tamen par illi in vtroque statu tribui, sed propter rationes iam allatas minor, dum est extra corpus, quàm cum est in corpore. In intellectu tamē secus res habet: operosiùs enim & obscuriùs intelligit in corpore, quàm extra corpus. Extra corpus enim nec defatigatur, neque impeditur, cum eo in statu organo corporeo nullo vtatur, neque cognitionem ex rebus venetur.

Hinc illorū quoque opinatio refellitur, qui animam ad suum corpus regredi, vel in aliud suo vastius ingredi, ingressamque, nisi diuinitus (ne videlicet metempsychoseos commentū stabiliretur) præpediretur, localiter illud mouere posse contendebant. Nam cum anima à corpore seiuncta destituatur organis ad perficiendum motum idoneis, non est tanta in ea vis cum est motor tantum, quanta est cum est forma & motor simul. Quapropter licet in corpus, quod reliquerat, intrare queat; non poterit tamen illud mouere, aut certè non expedite mouere, multò verò minùs illud informare aut animare. Et ut maximè ad corpus suū regressa, illud qualitercunque mouere posset, adhuc tamen ad illud regredi, vel in illud ingredi non vellet; utque operationes, quas prius ibi exercebat, ampliùs ibi exercere non valeat. Neque enim posset ibi loqui, aut videre, aut

Anima clariùs intelligit extra quàm intra corpus.

Anima non potest corpus suo vastius mouere.

Anima corpus, quod semel deseruit, non potest mouere; aut non expedite mouere.

re, aut audire, aut aliquod aliud eiusmodi opus exercere. Si quidem defunt ei organa ad ea munia obeūda necessaria. Non est tamen eiusdem operæ loqui, vel ambulare, & videre, vel audire, vel alterius cuiuscunque interni externive sensus opus exercere. Priora enim, quòd per solum motum administrari queant, dæmonum industria fieri possunt, non tamen animarum: ut quæ, neque tantas vires habeant, neque tot quoque artes calleant. Posteriora autem ne cacodæmonum quidem opera effici possunt, nedum separatarum animarum.

Sed neque locutio quoque per demortui cadauer fieri potest, nisi organis vtcunque adhuc consistētibus. Quare cum post annū, vel mensem, vel aliud prolixius spatiū apparent mortui, nec ipsi, nec alij quicūque illorū loco, in proprio illorū corpore apparēt; sed in altero, pborū vel improborū spirituū ministerio ex aëre vel alio elemēto cōflato. Iā si animæ ad sua corpora non regrediūtur, nisi admodū rarè, & tūc quoque ea, vel non mouent, vel agrè admodum mouent: multò minùs ingrediuntur in aliena. Et si propter virium debilitatem suam, vel alterius hominis corpus mouere non possunt, multò minùs mouebunt corpus tauri, aut elephantis, vel alterius cuiuscunque vastioris animantis. Quamobrè tumultuationes illæ, quæ interdum in priuatis, aut publicis ædibus contingunt, nullo modo fieri putandæ sunt per demortuorum spiritus, sed per spiritus impostores. Non est ergo Pythagoricus error in causa, quòd animæ ad sua, vel aliena corpora non regrediantur, regressæque, vel in ea ingressæ, illa ipsa ut antè non moueant, sed ipsa illarū impotentia. Nam ad Pythagoricā *μετεμψύχωση* quod attinet, poterat illa sola naturali ratione, vel ipsa quoque experientia refelli. Patet enim ad sensum eiusmodi spirituum apparitiones res euanas, & parum diuturnas esse.

Sed cōtra mouēdi facultatē, quæ tribuitur animæ, argumētari qui spīa in hūc modū posset: Ex omnibus animæ viribus sola volūtas & intellectus reliquæ in ea sūt: per has autē ne vnita quidē mouebat, sed tantum per musculos & neruos, & reliqua

Anima ad suum corpus regressa, non potest ibi exercere actus, quos prius ibidem exercebat.

Spiritus post aliquot menses redeunt, non redeunt in suo ipsorum corpore.

Tumultuationes nocturnæ non fiunt per defunctorum animas, sed per demones impostores.

In anima separata reliqua sunt intellectus, voluntas, & vis motrix.

Vis motiva manet in anima radicaliter.

Anima seiuncta apprehendit omnium sensuum obiecta.

Apparet hominum spiritus per se, & per Angelos.

Ex peritastibus dijudicandum est, cuiusmodi sint spiritus qui apparent.

eiusmodi motus instrumenta: ergo multò minùs per eas mouet à corpore iam auulsa. Ad hoc responderi potest, in anima seiuncta nò solùm intellectū & voluntatē reliqua fieri; sed facultatem quoque motricem. Spectat enim illa ens in tota sua latitudine, hoc est, nò solùm vt vnū, aut verū, aut bonū, &c. est, verùm etiā vt moueri, vel nò moueri natū est: Et quāuis eiusmodi vis nò maneat in illa formaliter, manet tamen in illa radicaliter. Quo etiam modo apprehensuæ vires in illa manent: Nam etsi non audiat, nec videat, nec alterius cuiuscunq; sensus actū exerceat, apprehendit tamen omnium & singulorum sensuum obiecta. Et quia facultas illa non eodem modo existit in anima coniuncta, & separata fit; vt ipsa quoque non eodem modo moueat coniuncta, & separata. Enimuerò cùm in corpore vt forma adhuc existit, non totam corporis molem simul impellit; sed dum vnā impellit, altera quiescit; quiescens enim virtute ex anima accepta mouet partem motam: dum autem extra corpus agit, nò partem post partem mouet; sed totam molem simul impellit. Præstigij tamen diaboli fieri potest, vt eiusmodi corpus organicè moueri videatur.

Ex his iam planum est, quid ad quæstionem paulò antè propositam responderi queat, & responderi quoq; debeat: nempe eiusmodi humanorū spiritū ex superis, vel inferis ad hūc nostrum orbē rediciones, & per ipsosmet hominū spiritus, & per bonos rursus vel malos Angelos fieri posse, & fieri quoq; solere, vñtatius tamen per hos, quàm per illos. Quando aut per hos, & quando rursus per illos fiāt, hoc ex apparitionis modo & qualitate dijudicari debet. Sicut & illud quoq;, an Angelus, qui demortui personam sustinet, lucis an tenebrarū sit spiritus. Etenim si eiusmodi spectris admiscetur aliquid, quod per animā à corpore separatā fieri nò posse putatur, facile erit diuinare, qui auditur, vel cernitur, vel alio sensu percipitur, nò hominem, aut hominis spiritū, sed probum, vel nequam Angelum esse. Pari modo si istiusmodi visionibus, mortuorum ve spectaculis, aut eorundem sermonibus inuoluuntur quædam

dam trice, veræ pietati, catholicæque fidei parum consentaneæ; vel res quoq; leues, aut ridiculæ, aut aliàs inusitatæ: haud difficulter conijcere licebit, qualis sit fons, vnde tam turbida & insalubris lympa profecuit.

Vt cunq; sit: siue defunctorum spiritus *αυτοπροσώπως*, & per se; siue *ετεροπροσώπως*, & per alios huc redeant, certum est non idem spectare omnes. Siquidem valde boni redeunt, vt profint: valde mali, vt obsint, licet præpotens Deus prauam illorum voluntatem in aliorum salutem non rarò conuertere soleat. Cæteri neque valde boni, neque valde rursus mali, cuiusmodi, auctore Augustino, sunt, qui vnà cum Christi gratia, aliquid expiabile secum hinc asportarunt, vt viuorum suffragia petant, suauē de sorte familiares suos certiores reddāt. Hoc tamen, vt suprā quoque mouimus, commune est omnibus, nempe vt locum tantum, nò etiam statum mutent, dum mortalibus spectandos se præbent: Tum illud quoque, quod sub communem carnis resurrectionem omnes sedes sibi assignatas ad tempus deserent, seseque non iam per hunc, aut illum Angelum, aut alium quemcunq; *μεσίτην*, sed per seipso suo se iudici sistent: Tum illud demum, quod post exactum horrèdum illud vniuersalis iudicij spectaculum omnium discursus, & vices finem facient. Tunc enim impij & scelerati omnes fixi manebunt in inferno; iusti autem & Sancti in cœlo. Sed hi interim hinc liberè, (possent enim cœlestem patriam cum alio loco ad tempus commutare, si vellent) illi verò istuc inuitè.

Sed vnde, inquis, prodièrunt illi, quos Christus, vel Apostoli, vel alij præstantis sanctimonie viri ex mortuis ad vitam reuocarunt? Haud dubiè non ex vno loco, vel vna sede ad vnum omnes; sed alij ex hac, alij ex illa, alij item ex alia: Nam in tanto resuscitatorum numero probabile fit ex omnibus & singulis ergastulis, vel sedibus, aliquos huc prodijisse: exempli causa, è cœlo illi omnes, quos ante rationis vsuram extinctos, priùs tamen, quàm extinguerentur, aqua sacra expiatos, sancti viri

Non idè spectant omnes, qui ex mortuis ad viuos redeunt.

Post communè carnis resurrectionē nullus erit amplius spiritū discursus.

Ad vitam exuscitati, ex diuersis reccitaculis prodierunt.

Et viri exuscitârunt. Ex inferno, quos Apostoli, vel alij, in infidelitate, vel alio quocunque lethali crimine vita defunctos, vitæ restituerunt. Ex sanctorum patrum limbo duo illi pueruli, quorum alterum Elias, alterum exuscitauit Elisæus: quibus quidam Lazarum Mariæ & Marthæ germanum, cum reliquis duobus, quos vitali auræ Christus reddidit, adiiciunt. Rectius hos forsân inter eos censeas, qui ex purgatorio huc remeârunt. Ex puerorum limbo infantes, quos, ante susceptum Baptismi Sacramentum ex hac luce ereptos, D. Martinus, Hilarius, & alij complures Sancti exuscitare meruerunt: ex purgatorio demum reliqui.

Tandem vndecunque hi prodierint, (nam ex præfinito aliquo loco, nempe ex eo, qui secundum præsentis iustitiæ, vel iniustitiæ statum in illos conueniebat, prodijisse certum est. Neque enim, qui in infidelitate, aut mortifero scelere vitam finiuerant, interea dum resuscitarentur, detinebantur in cœlo, aut purgatorio, aut patrum, vel puerorum limbo, sed in inferno. Idem pro meritorum ratione statuatur de cæteris) de nullo sententiam absolutè vltimam fuisse latam euidentis est: Absolutè enim vltima non admittit appellationem, aut retractionem: at horum omnium per Sanctorum appellationem, vel interpellationem secundum nostrum intelligendi modum fuit reuocata, & retractata: vel certè, dum denuo post primam resurrectionem vita defungerentur, suspensa. Aut prima ergo nulla fuit, aut non fuit absolutè vltima. Et hæc de animarum sedibus, & receptaculis vniuersè: nunc cæteris omnibus posthabitis ad illud vnum, quod totius disputationis huius

scopus est, quodque alijs omnibus, qui Christi fidem eiurârunt, maximè exosum est, stylum mentemque vertamus.

Quod

Quod Purgatorij nomine accipiunt Catholici, id in nouo Testamento non vno in loco expressè traditum extare.

CAPVT SEXTVM.



Exp. Tsi nouę legis Sacramenta Christi Redemptoris nostri sanguine tincta, vitæque præsentis incommoda, si moderatè toleres, ac cætera tandem omnia, quę vi aliqua expiatoria in vitę huius statione pollent, generali quadam ratione purgatorium dici queant: nos tamen in hac disputatione nihil horum omnium purgatorij appellatione censemus, sed illud vnum & solum, in quo, & per quod Deus Opt. Max. animas quasdam, iustas quidem illas, Christi que gratia perfusas, nondum tamen omnino puras, post hanc vitam expiat, cœlestique regno capeffendo idoneas reddit. Siue id ignis sit, vt communiter creditur; siue aqua, siue aliud quodcunque Elementum, aut ex Elementis concretum: de hoc enim nullam hîc quęstionem habere volumus.

Quod autem eiusmodi animarum purgatorium post vitæ huius cursum alicubi existat, vbicunque tãdem existat: (Nam etsi ostendi possit, & multis quoque argumentis, & rationibus antè ostensum sit, communem purgatorij locum subterraneum, tartareisque ergastulis finitimum esse, hoc tamē non est de fide.) id nō est nouum & vanum Monachorum commentum, vt nouis illis magistris, vanisque Sectarum ducibus, vanissimè nugari lubet, sed verissimum & indubitatissimum sacratissimæ fidei nostrę decretum; nō ex vniuersalis Ecclesię definitione, solenni que, ac constanti eiusdem professione, nec non vnanimi sanctorum Patrum doctrina solum manifestum, sed in ipsa quoque diuina ac canonica Scriptura non vno in loco expressè traditum.

Afferimus hoc fidei dogma non quouis modo in sacris diuinisque literis traditum extare, sed expressè. Siquidem non omnia,

Quicquid expiandi vi pollet, generali quadam ratione purgatorium dici potest.

Expiationi post hanc vitam locum esse, est certum, indubitatumque fidei decretum.

Et mortuis ad vitam reuocati non fuerunt simpliciter iudicati.

Quæ creduntur, non æquè omnia euidètia Scripturarum testimonio habent.

Triplex eorū est gradus, quæ in Dei Ecclesia creditur, prædicatur, & obseruantur.

omnia, quæ in Ecclesia Dei creduntur, & prædicantur, eadem luce & euidètia in Scripturis traduntur, vel explicantur: sed alia maiori, alia minori. Quædam nanque creduntur, & prædicantur, quæ secundum se absolutè, citra vllum omnino discursum, in illis, & ex illis sunt manifesta: vt, quòd filius Dei ex virgine sit natus, quòd circumciscus, quòd baptizatus, quòd mortuus, quòd exuscitatus, quòd in cœlum assumptus, quòd mundus ortus sui habuerit initium, quòd vnus sit Deus, quòd humana anima sit immortalis; quòd præstabilius sit nõ nubere, quàm matrimonio iungi; quòd satius sit omnia propter Christum relinquere, quàm multa possidere, & alia his cognata non pauca. Alia rursus creduntur & prædicantur, quæ secundum se in Scripturis non extant clarè & disertè definita, præcepta, aut tradita; colliguntur tamen clarè, & disertè, hoc est, euidètia & necessaria cõsecutione ex illis, quæ secundum se clarè & disertè hîc extant definita, præcepta, vel tradita: Exempli gratia, quòd duæ distinctæ voluntates, & operationes extiterint in Christo: quòd concupiscètia, quæ in renatis sit reliqua, non sit veri nominis peccatum: quòd vna ad numerum natura in tribus existat, & subsistat hypostasibus: quòd ieiunia, delectum ciborum, cæteraquæ Ecclesiæ, maiorūve præcepta, citra causam violare, sit peccatum: quòd veniæ pontificiæ sint salutare, & in illis, qui legitimè vtuntur, efficaçes: quòd Pontifex maximus sit visibile vniuersalis Ecclesiæ caput, & sexcenta id genus alia. Nonnulla tandem creduntur & prædicantur, quæ in Scripturis, vel ex Scripturis secundum se non sunt euidètia, neque ex euidètia secundum se necessaria collectione inferuntur; sed tantum probabili. Eius generis sunt: Angelos corporis esse expertes: infantes Baptismi sacramento salubriter initiari: Deiparam virginem mentis & corporis virginitatem perpetuò illibatam seruasse: Apostolos post acceptum in festo Pentecostes Spiritum sanctum lethali crimine se nõquam amplius obstrinxisse, & quàm plurima alia his similia. Hæc autem postrema eò erunt certiora, & pro-

& probabiliora, quò plurium grauiorum Patrum atque interpretum authoritate fuerint nixa. Nam si in politicis duorum, aut trium testium assertio facit fidem, cur non etiam in Ecclesiasticis? Duobus prioribus argumenti generibus, hoc est, Scripturis secundum se euidètia, & propositionibus, vel firmamentis, quæ ex euidètia euidètia inferuntur, reuincitur hereticus & proteruus: posteriori autè genere edificatur, & in fide confirmatur fidelis.

Quia ergo non solum hæreticos, eorumquæ *κακοδοξίαν* & obstinatam contumaciam, præsentem hoc scripto refellere instituimus; verum nonnullos quoque infirmos, vel minùs certè in fide robustos, aduersus Sectariorum impietatem munire & confirmare: ad constituendam & irrobendam controuersie huius veritatem, non tantum euidètia, aut ex euidètia euidètia collectis vtetur; sed post illa, vel inter illa, nonnulla quoque, quæ Ecclesiastici doctores tanquam probabilia, Scripturarumquæ menti ac sensui consentanea, in hunc locum contulerunt, attexemus & interseremus. Et quoniam Sectarum capita non solum per Scripturas, & ex Scripturis hunc articulum impugnant, verum per quasdam quoque Patrum sententias, & Scholæ argumentationes; nos vicissim, & his ipsis, & ipsorum nihilominus hostium armis, protractam in arenam veritatem propugnabimus. Nam etsi Sectariorum protospatarius Martinus Lutherus dum de purgatorio differit, multos absurdos crassosque errores profuderit; aliquando tamen, vel Scripturarum euidètia victus, vel argumentorum vi compulsus, vel meliori quoque Spiritu afflatus, de purgatorio rectè pronunciauit, puta illud credendum, publiceque prædicandum esse, ex Patrum traditione manifestum esse, & alia his cognata, vt suo postea loco planum faciemus.

Quòd igitur res, quam purgatorij appellatione designant Catholici, (nam de voce hac, purgatorium, nihil hîc disputamus) in non paucis Scripturæ locis clarè euidètia tradita,

h

ta,

Aduersarij impugnant Purgatorium per Scripturas, Patrum sententias, & Scholæ argumentationes.

Antagonista
veteris Scii-
pturæ autho-
ritatem ele-
uant.

ta, consignataque extet, id ex ijs, quæ ex vtriusq; Testamenti pagina certo quodam ordine hic iam subiiciemus, breuiterque, vbi vsus id ita postulare videbitur, edifferemus, quis Sectæ suæ amore studio, ve non prorsus occæcatus, perfacile deprehendere poterit. At nunc ipsas Scripturas pro purgatorio loquentes audiamus, sed illas primò, quas Spiritus sanctus per Apostolos, & Euangelistas exarauit, orbique communicauit. Non quod hæc ceteris sint certiores, sed quod apud Antagonistas haberi soleant efficaciores. Solent hi enim, cum per aliquod veteris Scripturæ testimonium grauius premittitur, statim subterfugia querere, ac dicere: Hoc typicum est, hoc cæremoniale est: Cum hoc nobis nihil comune est, Moysen non agnosco, Machabeos non recipio, & alia quedam eiusmodi. Cupimus autem ab efficacioribus exordium facere.

Cap. 3. Igitur priori ad Corinthios hunc in modum scriptum
comperimus: Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, vt
sapiens architectus fundamentum posui, alius autem super-
ædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædifi-
cet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter
id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem
superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum,
lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam: vnus cuiusque
opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in
igne reuelabitur: & vnus cuiusque opus quale sit ignis pro-
babit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, merce-
dem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur:
Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hactenus
Apostolus:

Et si verò præsens hic locus intra latitudinis suæ ambitum
quedam comprehendat, de quibus non idem omnium est iudi-
cium: (Nam neq; de superædificantibus idem statuunt omnes:
neque de auro, argento, lapidibus preciosis, de fœno rursum,
ligno, & stipula eadem omnium est sententia. Sed & aliter quo-
que de Die Domini, deq; igne, in quo hic dies reuelatur, pro-

nun-

nunciant alij.) attamen de ignis voce & notione, qua oratio-
nis suæ seriè Apostolus absoluit, Ipse, inquit, nempè qui auri, <sup>Locus Apo-
stoli obscu-
rus.</sup> argenti, & preciosorum lapidum loco superædificauit lignum,
fœnum, stipulam, saluus erit, sic tamen quasi per ignem, apud
Orthodoxorum cœtum nulla est controuersia. Nec video
quid vlla iusta esse de illa queat: nisi quis forsan studio velit
proteruire. Verum priusquam planum id faciam, lubet præ-
cipuas contextus hic assignati difficultates paucis percurre-
re: nam etsi neruus & præcipua loci huius vis tota in postre-
mis illis verbis sit posita, præcedentia tamen, orthodoxè &
commodè explicata, postremæ clausulæ explicationem illu-
striorem reddent.

Primò itaque in quæstionem vocari potest, Doctores ne &
pastores superædificantium nomine designati hic sint, an au-
ditores & oues: Et si ad doctores, quod hoc loco scribitur, re-
ferri debet, vt fortè debet: Ecquidnam per lignum, fœnum,
ac stipulam denotetur? (nam de auri, argenti, preciosorum-
que lapidum significatione inter Apostoli interpretes satis
conuenit.) Quidam nanque ad doctrinam hæreticam, hone-
stæque vitæ dissentaneam, hæc referunt: alij ad eiusmodi, quæ
ad inanem ostentationem faciat magis quam ad publicam
Christiani populi ædificationem. Mox, De quo die hic sit ser-
mo, dum dies Domini in igne, vel per ignem declarandus præ-
dicatur, de die ne vitæ huius præsentis, an mortis, an commu-
nis iudicij, an de his omnibus, aut certè de pluribus simul? Po-
stremò, Vnus ne & idè sit ignis, qui vnus cuiusque opus pro-
bat, & diè Domini declarat, & qui ligni, fœni, ac stipulæ stru-
ctionem per modum transmittentis saluat, an diuersus: & si
diuersus, ecquidnam inter hunc vel illos intercedat?

Vnum hic certum est, nempè totum hunc locum, imò ve-
rò totum caput, vnde hic locus petitus est, metaphoris abun-
dare. Nam quæ de lacte, de plantatione, de irrigatione, de in-
cremento, de agricultura, de prophanato templo, de ipso de-
nique fundamento, totaque ædificij structura hic exponitur,

Locus ad Co-
rinthios est
metaphori-
cus.

hh 2 ea

Comperitur duplex spirituale ædificiū: validū vnum, infirmum alterum.

ea omnia metaphoram sapiunt, nec plano sensu citra absurditatem exponi possunt. Assignatur hīc autem non vnum ali- quod metaphoricum, vel mysticum ædificium, sed geminum: Alterum validum, ab omni incendio, cœlique iniuria, & tempestate tutum; cuiusmodi est illud, quod ex auro, argento, & lapide precioso construitur. Nam etsi casu quopiam incendium in aurum, vel argentum, vel lapides preciosos incid- rit, illud ad eam illa non absomit, aut obscurat; vt interdū quo- que illustriora reddat. Alterum contrā infirmum ac debile, vt- pote ex ligno, fœno, ac stipula; materia vtique vili, flam- mæque concipiendę idonea, conflatum: Quod proinde ædifi- cium, si fortè incendatur, neque se à cōsumptione, neque in- quilinum ab adustionis discrimine tueri valet. Tali enim ædifi- cio conflagrante, nō potest hospes, qui intus detinetur, ab in- cendio non lædi; siue per flammam exeat, siue intus hærere eligat. Porrò autem quid per fundamentum, cui vtrunque hoc mysticum ædificium innititur, accipiendum sit, id pe- culiarem difficultatem nullam habet: Ipse enim Apostolus

1. Cor. 3. » disertis verbis istuc explanat, ait enim: Fundamentum aliud
» nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est
» Christus Iesus. Hæc ille, & rectè: Christus nanque est vnicum
Ephes. 2. » illud fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, in quo
Præmium spiritalis ædifi- » omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in
ficij fundamē- » Domino. Sunt alia sanè mystici huius ædificij fundamenta:
tū Christus. » Verùm hæc omnia huic vni tanquam firmissimæ cuidam ba-
si innituntur. Sed iam ad rem.

Igitur qui super mysticum hoc fundamentum, hoc est, supra immotam illam Catholicæ fidei basim, per Christum, eiusdemque Apostolos iactam, valideq; firmatam ædificant, sunt bipartiti. Alij nanque ex ijs superædificant aurum, ar- gentum, ac lapides preciosos: alij verò lignum, fœnum, ac stipulam. Iam etsi per geminum *εποικοδομούντων* genus, quod hīc assignatur, duplicem operariorum ordinem accipere li- ceat; alterum eorum, qui hoc fidei fundamentum illustribus, vereque

vereque heroicis virtutibus, virtutumque actibus exornant; alterum eorum, qui leuioribus quibusdā maculis illud asper- gunt, non tamen conuellunt, suā ve sede mouent: longè ta- men rectius, Apostolicoque contextui conformius, quæ de superædificantibus hoc loco exponuntur, ad diuini verbi mi- nistros, Euangelicæque pietatis, & veritatis præcones refe- runtur. Siquidem non ea solū eiusmodi expositionem depo- scunt, quæ proximè antecedunt, ait enim: Ego plantaui, Apo- lo rigauit, Deus autem incrementum dedit. rursum: Vt sapi- ens architectus fundamentum posui. Vnusquisque autem vi- deat, quomodo superædificet. Verùm ea etiam, quæ locū hīc allegatum proximè consequuntur. subditur enim: Si quis vi- detur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sa- piens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Nemo itaque gloriatur inter homines. At dubium nullum est vtraque hæc ad doctrinam, doctrinæque mystas pertinere. Ve- runtamen ad constituendum purgatorium in idem planè re- dit, de his ne exponas, an de illis, vel etiam de vtrisque simul. Nam in vtroque genere comperiuntur næui, & negligentia: poena dignæ. Et sicut, qui inutiliter, vel negligenter docent, poenam non euadunt: sic quoque, qui quodcunque munus debitum negligenter administrant, negligentiam suam non impunè ferunt.

Duplex est ergo pastorum, vel doctorum genus: Vnum au- reum, cuiusmodi illud est, quod doctrina per omnia sana & utili, & vita nihilominus integra & inculcata, ad perfectam, perfectiorem, ac perfectissimam vitæ rationem; vel certè ad tricesimum, sexagesimum, ac centesimum prædicationis fru- ctum gregem fidei suę commissum prouocat, quantumque per vires, Christi que gratiam licet, inducere studet: (hi enim perfectionis gradus per aurum, argentum, & lapides precio- sos adumbrati videntur) Alterum verò ligneum ac strami- neum; quale illud est, quod quidem doctrinam proponit ca- tholicam, & sanam, quæstionibus tamen curiosis, inutilibus,

Superædifi- cantium no- mine rectius accipiuntur doctores pa- stores, quam oues, vel au- ditores.

Comperiu- tur negligentes & oues & pastores.

Per aurum, argentum, & lapides pre- ciosos desi- gnantur per- fectionū, vel euāgelici fru- ctus gradus diuersi.

Corinthiorū
doctores in
partem cuti-
osi, inanis q̄
gloriæ cupi-
di.

& ad rem, hoc est, ad morum compositionem parum, aut nihil quoque facientibus respersam; & nullo præterea illustri vitæ exemplo commendatam, imò verò quibusdam iactantia, inanisque gloriæ fucis, aliisque id genus miseris & næuis contaminatam. Talismodi pastores & doctores erant Corinthiorum nonnulli: Siquidem linguis, mundanæque Philosophiæ placitis plus satis dediti, malebant docti haberi, quàm pii; magisque studebant, ut auditorem raperent in admirationem, quàm ut ad seriam vitæ emendationem incitarent.

Per lignum,
fœnum & sti-
pulam nō de-
signantur hē-
reses, aut gra-
uia peccata,
sed navi tan-
tū veniales.

Serm. 41. de
Sanct.
2. Cor. 3.

Hæretici non
ædificant su-
per fundamē-
tum, sed fun-
damentum
evertunt.

Lib. 4. c. 39.
Dial.

At hæc tamen omnia intra venialis peccati limites: Nam quòd per lignum, fœnum, stipulam non designentur hæreses, aut in fide errores, aut morum portenta, hoc est, mortifera flagitia, & per consequens quòd per eos, qui isthæc super fidei fundamentum extruunt, non intelligantur hæretici, aut lethalibus criminibus obstricti, id ex ipso allegatæ literæ cōtextu planissimum est. Primò nanque tria isthæc in igne, vel per ignem, saluis interim illorum structoribus, absumuntur: hæreses autem, ut & lethalia quoque crimina, in altera vita induci non possunt; nec, qui talia moliantur, in altera vita salui per ignem fiunt, illo, inquit Augustinus, transitorio igne, de quo dixit Apostolus, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Deinde verò hæretici non ædificant super fundamentum, hoc est, Christum, vel Christi fidem. Omnis enim hæresis, ut omnis quoque hæreticus, quocumque tandem nomine censeatur, quod quidem ad se attinet, Christum, eiusdemque fidem soluit. Peccata autem capitalia, etsi fidem necessariò non tollant, necessariò tamen fidei vitam adimunt: fides enim sine charitate mortua est. Postremò autem plerique omnes Apostoli interpretes, & alij præterea complures, tria hæc inter ea peccata reponunt, quæ spiritualis vitæ fundamentum non conuellunt: Eiusmodi autem sunt sola venialia, hæc enim cum fide & charitate consistunt. Non ille, inquit Gregorius, qui super hoc funda-

fundamentum ferrum, æs, & plumbum ædificat, hoc est, peccata maiora, & idcirco duriora, & insolubilia, saluus erit: sed qui lignum, fœnum, & stipulam, hoc est, peccata minima, atque leuissima, quæ ignis facillè consumit.

Sed dicent fortè, qui tria hæc aliter exponunt: Si illi, qui super fidei fundamentum, per Christum & Apostolos positum, ædificant lignum, fœnum, & stipulam, non sunt catholice doctrinæ pestes, sed assertores, tametsi futiles: vbi ergo relinquuntur fidei hostes, quorum doctrina serpit ut cancer, totumque interiorem hominem non tam inficit, quàm planè interficit: an non & horum quoque meminisse oportuit? Oportuit sanè, & meminere horum quoque Apostolus, sed postremo loco. Delineat enim tria diuersa pastorum ingenia, & studia in vno hoc capite, tribus diuersis, ac inter se distinctis metaphoris. Harum prima, quæ ab agricolis plantantibus & irrigantibus petita est, complectitur tantum bonos. Altera, quæ ex ædificatoribus ducta est, adumbrat partim bonos & perfectos, partim rursum malos & imperfectos. Boni & perfecti sunt, qui aurum, argentum, & lapides preciosos; imperfecti, & suo quoque modo mali, qui ædificant lignum, fœnum, & stipulam. Tertia ac postrema, quæ ab *ιεροσόλοις*, templorumque violatoribus, hoc est, eversoribus ac profanatoribus desumpta est, comprehendit hæreticos, & pseudoapostolos, & alios quoscumque perditæ deprauatæque doctrine, vitæque doctores, ait enim: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, hoc est, falsa doctrina, aut profano turpis vitæ exemplo deprauauerit, hunc Deus nequaquam per ignem transitorium saluabit, sed disperdet, ac in ignem æternum mittet. Atque ita, quid ad primam loci huius difficultatem responderi queat, & responderi quoque debeat, explicatum est dilucidè.

Secundam (quæ de die Domini mouebatur) eò facilius expeditur, quòd pauciores recessus, pluresque consentientes interpretes habet. Et primò quidem satis compertum est, hunc

Hæreticorum
doctrina non
tam inficit,
quàm planè
interficit.

Dies Domini
non designat
præsentis vi-
tæ spatium.

Præfens vita
est dies no-
stra.

Ioan. 12.

Luc. 19.

2. Tim. 5.

Pfal. 74.

Dies Domini
rarò patefit
in hac vita,
nec tum quo-
que patefit
semper per
ignem.

Dies Domini
non est dies
vniuersalis
iudicij.

hunc Domini diem, qui in igne, secundum Apostoli doctrinam, reuelatur, non designare præsentem hanc vitam, siue decurrentis vitæ huius spatium, ita vt sit sensus: Præfens hoc seculum, cuiusmodi vniuscuiusque hominis doctrina, vel vita extiterit, palàm est facturū. Siquidem præfens vitæ huius tempus, non est dies Domini, sed dies nostra. Notum est enim illud Christi: Dum lucem habetis, credite in lucem. & illud eiusdem: Operamini dum dies est, & illud item: Videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, & illud Apostoli: Dum tempus habemus, operemur bonum &c. Dies autem Domini post decursum vitæ huius stadium primùm exordium facit. Hinc illud: Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Sed & Prophetæ quoque & Apostoli, quotiescunque diei Domini mentionem faciunt, semper ad tempus, quod post hanc vitam decurrit, respiciunt. Adhæc hic Domini dies perrarò in doctoribus eorūdem, ve auditoribus patefit in hac vita; & si quando hic reuelatur, non semper tamen reuelatur per ignem, aut in igne. Nam etsi contigat fidos diuini verbi ministros multa sæpe pati, prout per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; hoc tamen non omnibus contingit, neque semper contingit, neque passim contingit: hîc aut de eo est sermo, quod certa quadam lege, & semper contingit. Denique si bona & mala in hac vita non omnibus promiscuè contingerent, vt nunc promiscuè indiscriminatimque contingere videmus, sed Deus ordinariè, quid quisque in hac vitali luce operatus esset, per hæc patefaceret: homo citra vllam reuelationem, in gratia ne esset, an secus, certò scire posset: sed hoc est falsum.

Sed neque ad vniuersale quoque omnium iudicium hîc dies rectè satis transferri potest: etiam si illa, & vna sit, & certa sit, & Domini sit, & per conflagrationis ignem reuelanda sit, & vniuscuiusque opus & animum omnibus patefacturus sit. Quandoquidem post vniuersale illud iudicium nullus ampli-

us

us reliquus erit locus, nullum tempus, nullus ignis, per quem, vel in quo purgentur illi, qui super fidei fundamentum ædificauerunt lignum, foenum, stipulam, hoc est, peccata parua, minora, & minima. Nam ante illud tempus omnes, qui purgatione digna secum detulerint, aut purgatorij, aut tribulationis, aut conflagrationis igne purgati erunt, alioqui enim cum cæteris Sanctis cœlestem patriam adire non possent: Et tamen apertè hîc docetur, non prius illos salute potituros, quos dies illa Domini incendio apta secum deportasse comperit, quàm transitorius omnia ignis illa ignis fomenta penitus absumpserit. Præterea si illos, qui ligno, foeno, stipula grauati hinc decedunt, vniuersale iudicium, vel conflagrationis ignem, qui iudicium illud comitabitur, expectare oporteret, consequens fieret maiorem adultorum hominum partem ante diem iudicij salutem consequi non posse: quippe cùm pauci admodum per omnia mundi hinc decedant: Cœlum autem nihil coinquinatum admittit. Tandem non scribitur hîc diem Domini, quod quisque docuerit, aut fecerit, olim per ignem patefacturum esse, sed subinde patefacere, ait enim: Dies Domini declarabit, qui in igne ἀποκαλύπτεται, hoc est, reuelatur.

Cùm omnis ergo Domini dies, aut dies sit vniuersalis iudicij; aut dies præsentis huius vitæ, qui tamen certa quadam ratione hominis est veriùs, quàm Dei, vel Domini; aut dies mortis, particularis ve iudicij: (hæc duo enim coniunctim eunt: neque, vt antè ostensum est, ordinaria lege vnquam à se inuicem diuelluntur) & dies, de quo hîc sermo est, ad vniuersale iudicium, aut ad præfens hoc seculum commodè transferri non queat: consequens fit vt ad diem, hoc est, tempus, vel instans mortis vniuscuiusque, particularis ve iudicij transferri debeat. Est enim dies hæc certa, certoque vnicuique constituta; & dies Domini in diuinis literis familiariter appellata. Scriptum est enim: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. rursum: Veniet dominus serui illius in die, in qua non sperat.

ii

denum:

Ante veniale
iudicium oēs
Regni filij
erūt purgati.

Dies Domini,
est dies
mortis cuius-
que.

cc Matt. 24. 25

Heb. 9. ²² demum: Statutum est omnibus semel mori, & post hoc iudicium. Adhęc dies hic quotidie, quid quisque boni, vel mali designarit, reuelat: Quotidie nanque mors in ianuis vrget, & modò hos, modò illos ex vitæ huius statione ad iudicium euocat. Denique Origenes, Ambrosius, Augustinus, & alij præterea complures Apostoli interpretes hunc Domini diem ad vniuscuiusque mortem referunt. neque propter allatas iam rationes, & alias, quas adferre adhuc licebat, plano sensu aliò referri potest. Atque ita dubium, quod dies Domini offerebat, è medio quoque sublatum est.

Supereft tertius, & is in hac materia præcipuus nodus: nempe quid ignis nomine, quod semel atque iterum vno hoc contextu repetitur, accipi debeat: Nam salua Apostoli sententia, non eodem modo vtrobique accipi posse extra controuersiam est. Inquirendum est ergo, ecquidnam ignis vocabulo denotetur, cum hinc scribitur: ignem, quale vniuscuiusque opus sit, probaturum; vel diem Domini in igne, vel per ignem patefactum iri: (duo hæc enim incidunt in idem) Ecquid rursum, cum sub Apostolicæ sententiæ finem ligni, foeni, ac stipulæ structorem per ignem saluum fore asseritur? Vnum hinc certum est: puta ignem illum, qui diem Domini reuelat, qui que quale vniuscuiusque sit opus explorat, (de hoc enim prius hinc differere lubet, quàm de altero illo saluifico) non designare ignem tartareum: nam etsi in vero aliquo sensu admitti queat, ignem hunc lignum, foenum, & stipulam explorare; siquidem emendatorius & tartareus ignis natura & specie consentiunt; nullo tamẽ modo concedi potest, aurum, argentum, & lapides preciosos examinare: & tamen idem ad numerum ignis, vt ex Apostoli litera planum est, examinat aurum & lignum, foenum & argentum, stipulam & lapides preciosos. Sed nec illos quoque propriè probat ignis tartareus, qui lignum, vel foenum, vel stipulam, vel hæc omnia simul construxerunt. Nam etsi illi transmittantur ad ignem, & salui fiant per ignem, non tamen ad ignem, vel per ignem tartareum, quatenus tartareus est:

Ignis cuiusque opus probans non designat ignem tartareum.

us est: hic enim non est transitorius, aut saluificus, sed lethifer, & sempiternus.

Aequè certum & indubitatum est, ἀποκαλυπτικόν, aut δοκιμαστικόν illud πῦρ non esse conflagrationis ignem. Siquidem conflagratorius ignis illorum animas non explorat, qui aurum, aut argentum, aut lapides preciosos ædificauerunt. Sed neque eorum quoque omnium, qui lignum, aut foenum, aut stipulam adstruxerunt. Nam etsi eos examinare queat, qui per id tempus in viuis comperientur; nullo tamen modo eos explorare potest, qui multa secula illud inuolutionis, vel conflagrationis tempus antecesserunt: aliàs enim illorum salutem ad finem vsque seculi dilatam oporteret, quod orthodoxa fide salua defendi non potest. Tandem ignis ille impios, Christi que inimicos exuret veriùs, quàm iustos, iuxta illud: Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Et quemadmodum ignis hic exploratorius de tartareo, aut conflagratorio legitimè exponi non potest; ita neque de purgatorio quoque. Nam etsi hic ignis lignum, foenum, & stipulam exploret, explorando que consumat; non tamen aurum, argentum, & lapides preciosos: Ignis autem, de quo hinc est sermo, non huius, aut illius, sed vniuscuiusque opus exploraturus traditur. Sed neque hæc ignis fomenta citra authorem quoque ad purgatorium deferuntur; sed vnà cum ipso, vel ipse veriùs vnà cum illis: Apostolus autem ipsamet opera ignis periculum subitura prædicat. Deinde si omnes omnino homines transcunt per purgatorium: aut ignis ille lædit omnes, aut non omnes, sed eos solùm, qui lignum, foenum, & stipulam struxerunt. Si omnes promiscuè? ergo nullum erit discrimen inter aureos & ligneos doctores, quod cum Apostoli sententia difertè pugnat: Si autem eos, qui aurum, argentum, vel lapides preciosos ædificauerunt, non lædit, perinde est ac si per illum non transirent. Postremò, asserere omnes indiscriminatum per ignem purgatorium transire, aliud nihil est, quàm cum

Ignis humana opera probans, non est ignis conflagrationis.

Psal. 96.

Ignis probans & explorans, quid quisque egerit, nõ est ignis purgatorius.

diuinę iustitię sapientięq; ordine, adeoq; cum totius Ecclesię consensione, publicaque eiusdem professione, apertū bellum suscipere. Credit hæc enim, publiceq; prædicat, veros Christi Martyres, infantes item post susceptum Baptismū extinctos; tum viros quoq; illustri sanctimonia, & vitę perfectione claros, rectā hinc citra vllum omnino purgatorium ad superos euolare. Et vt maximè quibusdam donaretur ad vnum omnes purgatorium pertransire, sed perfectos citra cruciatum & detrimentum, imperfectos verò cum cruciatu & detrimento, id quod tamen necessarium non est, adhuc id nullum sententię nostrę præiudicium procrearet. Nos enim de purgatorio hęc loquimur, vt communiter doctores de eo loqui, & scribere solent; non, vt quispiam de eo loqui, aut scribere possët; aut nonnulli fortè scripserunt, locuti ve sunt. Ignis igitur, qui vniuscuiusque opus probat, non est ignis purgatorius.

Ignis probas, dicitur que Domini reuelas, aliud insinuat, quam præsentis vitę miserias.

Sed neq; examinatorium hunc ignem ad vitę huius miserias ac cruces rectè quoque fatis detorseris. Siquidem præsentium miseriarum ignis, etsi latè admodum pateat, non tamen locum habet in die Domini, sed in die nostro: nec adurit hic absolutè omnes, nec omnium opera probat, vt certa experientia constat. Neque secundum quantitatem tribulationum vnicuique redditur merces, sed secundum quantitatem operum, vel laborum, vt hęc, & alibi crebrò asseritur. Tandem ex præsentis vitę crucibus nullo modo discerni potest, qui ædificauerint lignum, vel foenum; qui item aurum, vel argentum: cum commoda & incommoda, bona & mala eque eueniant iusto & iniusto, pio & impio, & pijs quandoque cumulatiùs, quam impijs. Denique vt ignis ille cuiusq; opus probans, non potest seorsum ad purgatorium, neque seorsum rursus ad flammam, miserias ve, quas vita hæc præsens secum adfert, commodo sensu referri: ita neque ad vtrunque simul quoque. Nam rationes, que probant ad neutrum seorsum referri posse, eadem etiam probant ad vtrunque simul referri non posse.

Per ignem itaq; qui vniuscuiusq; opus probat & explorat, acci-

accipere debemus aliquid cõmune, ac generale, quod omnia tam bona q̄ mala examinet, ac censeat. Et hic est ignis ille exacti iudicij Dei. Hic vnus enim cuncta, etiam minima & occultissima, penetrat, rimatur, ac discutit. Quòd autem ignis, in quo, & per quem dies Domini reuelatur, quiq; vniuscuiusq; opus examinat & explorat, metaphoricòs designet exactissimū illud præpotentis Dei iudiciū, id ex ijs, que hætenus in medium attulimus, adeò planum est, vt dubitationi nullus ampliùs locus videatur relictus. Etenim cum hic ignis nõ denotet, nec denotare quoque queat, ignem tartareum; nec ignem rursus purgatorium; nec ignem denique conflagrationis, aut mundanę tribulationis, neque vtrunque simul; nec aliquid aliud eiusmodi: necessariò denotat ignem illum dicasticum, qui admirabili quadam subtilitate & efficacia mortalium omnium corda & renes scrutatur. In hac igitur iudiciali flamma aurum & argentum, hoc est, opera perfecta, citra detrimentum subsistunt; quia examinata nulla ex parte reprehensionis, aut vitio alicui obnoxia deprehenduntur: stipule verò & paleę, hoc est, peccata minuta, vt sunt verba otiosa, detrimentum patiuntur; quia redarguuntur, & iustis poenis subiiciuntur. Possunt quidem homines hominum quoque facta iudicare, sed nullus omnia. Nec enim omnia vni sunt subiecta, aut comperta, aut præsentia, sed alia alijs. Deo autem nihil non subiectum; nihil, quod in iudicium adducere, adductumq; punire, aut remunerare non queat, & remunerare quoque non soleat. Est enim totus iustitia, totus iudicium, totus ignis, omnia discernens, omnia scrutans, omnia penetrans. Denique hunc locum ita exponunt omnes illustriores diui Pauli interpretes.

Ignis cuiusq; opus probas, est ignis exacti iudicij Dei.

Non omnia subiecta sunt humano iudicio.

At dices forsã? Si ignis opus vniuscuiusque examinans & probans metaphoricòs designat, exactum illud exquisitumq; Dei iudiciū: ergo dies Domini, qui in igne reuelatur, & ignis singula probans & scrutans, in vnum coincident? Sunt sanè duo hæc inter se cognata, attamen non sunt prorsus idem. Si-

quidem dies Domini propriè denotat ipsum, quo iudicium exercetur, tempus, vel instans; ignis autem ipsum iudicium, vel ipsum iudiciale actum. Aliquando tamen ipsum quoque iudicium diei nomine exprimitur. notum est enim illud Apo-
 1. Cor. 4. „ stoli: Mihi pro minimo est vt à vobis iudicet, aut ab humano
 „ die, hoc est, ab humano iudicio. Sed & diès quoque & iudiciū
 Rom. 2. „ interdum simul assignantur, vt hïc: Secundùm duritiã tuam
 „ & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in diè irę & reuelati-
 „ onis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique iuxta opera eius.
 „ huic cognatum est & illud quoque: Statuit diem, in quo iudi-
 Acto. 17. „ caturus est orbem. Sed hæc interim non impediunt, quò mi-
 „ nùs altero tempus, altero iudicij actus hïc denotetur. Quid
 ergo ignis omnia examinantis vocabulo significetur, hæc te-
 nus ostensum est perspicuè. Restat nunc vt pari perspicuitate,
 vel maiori quoque, si fieri potest, ostendamus voculã ignis,
 qua periodum Apostolus absoluit, dicens, Ipse autem, nempe
 qui super fidei fundamentum edificauit fœnum, vel lignum,
 vel stipulam, saluus erit, sic tamen quasi per ignem: non deno-
 tare ignem tartareum: Nec aliquem rursus priuati publiciue
 iudicij actum, nec generale orbis incēdium, nec innumerum
 denique molestiarum, quas mundus hic parit, numerum: sed
 illud ipsum purgatorium, quod aduersa pars tam impudenter
 negat, tantaque animi contentione impugnat.

Ignis saluum
 stipularũ stru-
 ctorem trãf-
 mittens, non
 est ignis tar-
 tareus.

Tartareæ flãmæ non sal-
 uant.

Quòd igitur ignis ille, per quem non omnes transmittunt, & salui tamen fiunt, sed illi tantum, qui supra fundamentum, quod Christus est, præter aurum, vel inter aurũ, vel iuxta aurum, vilia quedam adedificãrunt, puta lignum, fœnum, vel stipulam, non sit tartareus, id Apostoli litera ipsa meridiana luce clariùs ostēdit. Constat enim tartareas flammæ neminem saluare, aut incolumem transmittere: hic autem ignis, quos puniēdos suscipit, saluos tandē emittit. Erit, inquit Apostolus, saluus, sic tamen quasi per ignē. Vult dicere: Qui purum aurum, vel argentum adedificãrunt, illi statim mercedem accipient, vt qui nihil secum deferãt, quod à coeli aditu illos pro-
 hibe-

hibeat: Qui autem præter aurum vel argentum, vel inter aurum & argentum admiscuerunt quoque lignũ, vel stipulam, accipient quidem & ipsi suam quoque mercedem; quippe qui non omni auro, vel argento careant: (nam si toti plumbei, vel lignei, aut straminei essent, statim mergerentur in profundum) sed non eueffigio: prius enim transibunt per ignem, vbi stipulæ, & paleæ, quæ illis adhibebant, absumantur. Quòd si Apostolus sempiternam detentionem significare voluisset, & non transitionem, hoc est, pœnam aliquam temporariam, vti- que non vsus fuisset præpositione aliqua transitum denotante, puta *diè*, vel *per*, sed *in*, vel *in*, vel alia quapiam detentionem, vel fixam mansionem exprimente. Adhæc errata illa, quæ metaphoricôs ligni, fœni, & stipulæ nominibus hïc insinuantur; siue ea ad mores retuleris; siue ad doctrinã, cõmuni sanctorum Patrum, & Pauli interpretum sententia formata fidei fundamentum non conuellunt: atque ita authores suos ad tartara præcipites nequaquam agunt. Denique *σωτηρίας* vocabulum, quo Apostolus hïc vtitur, in sacris præsertim, ad deteriorem partem nunquam transfertur. Non potest ergo ignis ille, per quem nonnulli transeuntes salui fiunt, ad inferni incendium referri.

Sed neque ad vniuersalem quoque sublunaris orbis conflagrationem, (de qua in sua canonica Apostolorũ princeps) gentium doctorem spectãsse certum est. Nam si naui illi, qui pastorum doctrinæ, vel vitæ adherent, & hïc per lignum, fœnum, ac stipulam designãtur, alio quàm generali mundi huius incendio aboleri non possent, consequens fieret nullum ex ijs omnibus, qui in quacunque tãdem labecula mortẽ obijset, ante seculi consummationem salutis eternæ compotem posse fieri: at id asserere, aliud nihil est, quàm in fide perniciosè errare. Credimus enim iustos vitæ munere iã perfunctos, si nõ per satisfactionem, saltē per satisfationem etiam nunc ab alienis nominibus absolui, absolutosque ad beata illa domicilia redã citra moram transmitti. Præterea vniuersalis illa conflagrationis ignem.

conflagratio non in eos solum, qui lignum, foenum, vel stipulam superaedificauerunt, vires suas exertura est, sed in omnes, quanuis non æqua prorsus ratione. Denique conflagrationis ignis vniuersale iudicium antegredietur. scriptum est enim:

Psal. 96. » Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. hic autem ignis, ignem examinatorium, hoc est, exatum illud Dei iudicium, perinde ferè ac effectus suam causam consequitur. Nihil est ergo quod ignem hunc saluificum, vel transitorium ad conflagrationis ignem detorqueant.

Ignis lignum, foenum, ac stipulam absumens, nõ est ignis tribulationis præsentis vitæ.

Et quemadmodum ignis hic nõ nisi violenter ad commune illud orbis incendium detorqueri potest: ita citra manifestam quoque vim ad vilitates vitæ huius miseras transferri non valet. Quandoquidem vitæ liuius cruces & ærumnæ bonis & malis, iustis & iniustis sunt communes; Imò verò maiorem plerunque tyrannidem in iustos, integræq; vitæ homines exercent, quàm in nequam & sceleratos: Atqui omnes illi, qui solidum aurum, vel argentum, vel preciosos lapides exaedificauerunt, à transitorio illo igne hinc immunes pronunciantur: vt qui, vbi primum ad criticam illam examinatoriãque fornacem adducti fuerint, statim approbentur, mercedeque factis suis digna potiantur. Præterea vitæ huius miseriæ tametsi acerbæ non omnes saluant, aut purgant, sed quosdam ob suam ingratitude, & impatientiam maiori damnationi obnoxios reddunt: hic autem ignis neminem absorbet, neminem contaminat, neminem peiorem reddit; sed omnes, quotquot recipit, saluat, & à maculis, quibus obstricti tenebatur, expiat. Denique perpauci, aut fortè nulli sunt, qui huius transitorij ignis nomine, præsentis vitæ afflictiones accipiant: & si qui sunt, qui ita hunc locum exponant, illi nullo fundamento id faciunt, & communem præterea Sancto- rum interpretationem hinc non excludunt, sed includunt.

Non desunt denique, qui ad vniuersale omnium, aut ad priuatum singulorum iudicium Apostolũ spectasse arbitrentur: Sed hi sanè æquè incommodos violentosque interpretes agunt,

Per ignem trãmissoriũ non

agunt, ac ceteri. Nam vtrunque iudicium, tam vniuersale omnium, quàm particulare singulorum, cõmune erit omnibus. Nec enim soli probi & sanctimonia conspicui iudicabuntur; sed improbi quoque & scelerati. Omnes, inquit Apostolus, stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; prout gessit in corpore suo, siue bonum siue malum. item: Statutum est omnibus semel mori, & post hoc iudicium. Sed per ignem illum sotericum non transeunt omnes, sed certi tantum. Ad hæc non omnes, qui iudicantur, saluantur quoque: multi enim ex illis condemnantur. Atqui omnes, qui per hunc ignem transeunt, certam salutem consequuntur. Ipse, inquit Apostolus, saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Denique omnes, tam Græci, quàm Latini interpretes per hunc ignem intelligunt rem aliquam, poenam & cruciatum reo adferentem: Iudicium autem secundum se absolutè non est quid vrens, aut crucians: nam & beati quoque post communẽ carnis resurrectionem vnà cum ceteris iudicabuntur; & id tamen citra vllam omnino poenam, quippe cum in verè beatos nulla poena aut cruciatus cadat.

Cum igitur vocula hæc ignis, Apostolici contextus periodum claudens, ad neutrum iudiciorum, neque rursum ad infernum, vel mundi huius inferioris incendium, nec denique ad quotidianas vitæ huius calamitates cõmodè referri queat; neque tamen alius, siue proprius, siue metaphoricus, ad quem concinnè transferri possit, vllus omnino præter purgatorium occurrat, aut in rerum quoque vniuersitate existat: fit vt aliò quàm illò referri nullo modo debeat. Atque huc celeberrimi quique diuinorum oraculorum interpretes locum hunc perpetuò retulerunt.

Origenes: Si post fundamentum Iesu Christi non solum in tuo corde aurum, & argentum, & lapidem preciosum superaedificaueris, verum etiam lignum, foenum, & stipulam, quid tibi vis fieri, cum anima seiuncta fuerit à corpore? vtrumnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum foeno, & stipula, vt

kk

polluas

designatur cõmune omnium aut priuatum singulorum iudicium.

cc Rom. 14.

cc Heb. 9.

Hom. 12. in Hier.

polluas regnum Dei? An propter lignum, foenum, & stipulam foris residere, & pro auro, argento, & lapide precioso nihil mercedis accipere? Sed neq; hoc æquū est. Quid igitur sequitur, nisi vt primū propter ligna ignis tibi detur, qui consumat lignū, foenū, & stipulam? Tria hīc asserit: Primò lignum, foenum, ac stipulam cum auro & argento, hoc est, cum gratia & virtutum ornamentis posse consistere: Mox, eiusmodi leuia errata in morte, vel per mortem, vel etiam ante mortem, non semper induci; sed post animam à corpore separatam interdum adhuc reliqua fieri: Postremò, quod in morte, vel ante mortem, ex istiusmodi n̄uis abolitum non est, id per ignem illum, de quo hīc sermo est, posse induci & aboleri.

Ad c. 3. Cor.

Theodoretus Cyri Episcopus: Τοῦτο τὸ πῦρ πικρῶς μὲν καθαρίζον, ἐν δὲ καθαρίζονται αἱ ψυχαὶ ὡς χρυσίον ἐν τῷ χαυνεὺς ἰσίδῳ. &c. Hunc ipsum, inquit, ignem purgatorium credimus, in quo purgantur animæ perinde atque aurum in conflatorio. &c.

In eund. loc.

Ammonius: Credimus hunc ignem esse καθαρίσιμον, hoc est, expiatorium, in quo animæ defunctorum probātur, & repurgantur, sicut aurum repurgatur à scoria in fornace. Et hi interpretes disertè de ea purgatione agunt, quæ fit post hanc vitam.

In idem cap.

Oecumenius: Σωθήσεται ἡ αὐτὸς, ἐπὶ πῦρ ὡς εἰκόσ τὸν διὰ πυρὸς παρῖόντα, ἡ ἐκκαθαρίζομενον τὸν ἐνόντα αὐτῷ βραχὺν ῥυπὸν. Θεοῦ γὰρ μόνον τὸ ἀνεμάριπτον &c. Saluabitur & ipse quoque, inquit Oecumenius, non tamen citra dolorem, vt par est eum, qui transit per ignem, & à concretis leuioribus maculis expiatur. Solus enim Deus est in quem nullum peccatum cadit. Et suam Basiliana interpretatione confirmans subdit: Basilii in commentarijs Esaiæ bis verbi huius ignis mentione facta, pro ipsa purgatione accipit. Et his quoque nihil dici potest apertius, nihil ad rem opportunius.

Lib. 14. in
Leuit.

Cyrellus: Possumus addere etiam illud, nempe quòd natura peccati similis est materiæ, quæ igne cōsumitur, quam Apostolus

stolus ædificari à peccatoribus dicit, qui super fundamentum Christi ædificant lignum, foenum, & stipulam. In quo ostendit manifestè esse quædam peccata ita leuia, vt stipulæ comparentur, cui ignis illatus diu immorari non potest. Alia verò esse foeno similia, quæ & ipsa quoque ignis non difficulter absumat, verūm aliquantò tardius, quàm stipulis immoretur. Alia verò esse, quæ lignis conferuntur, in quibus pro qualitate criminum diuturnum ac grande pabulum inuenias. Ita ergo vnumquodque peccatum pro quantitate, vel qualitate sui poenarum iusta persoluit. Et hīc apertum inter ea peccata, quæ per ignem absumuntur, discrimen ostenditur.

Ad c. 3. Cor.

Ambrosius: Cū dicit Apostolus, sic tamen quasi per ignem, ostendit saluum quidem illum futurū, sed poenas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus, & non sicut perfidi eterno igne in perpetuum torqueatur. Et hīc quoque doctor de ea expiatione, & punitione hæc asserit, quæ post hanc vitam fit per ignem. Confert enim eos, qui detinentur, & cruciantur in igne illo transitorio, cum ijs, qui poenas pendunt in inferno.

In eund. loc.

Hieronymus: Quòd si ille non nisi per ignem saluus erit, qui iustus ex proprio est, quia negligenter ædificauit discipulos: quid de illis fiet, qui & sermone non ædificant, & insuper scandalizant exemplo? Et hæc eodem quoque tendunt, quòd Ambrosiana illa. Committuntur enim negligentes pastores cum flagitiosis, publiceque turpibus, & horū poena cum illorum in altera vita.

Ad psal. 37.

Augustinus: Domine in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare, nisi quia hīc ædificant supra fundamentum ligna, foenum, stipulam? Si ædificarent autem aurum, argentum, lapides preciosos, & de vtroque igne securi essent: non solum de illo eterno, qui in æternum cruciaturus est impios: sed etiam de illo,

kk 2 qui

qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt. Et hic author citra vllam controuersiam de ea peccatorum expiatione isthac exponit, & proponit, quæ post vitæ huius catastropham per eum ignem fit, de quo ex instituto hîc agitur, & in Ecclesia purgatorius, vel emendatorius, vel transitorius appellatur.

4 Dial. c. 39.

Gregorius: Sollicitè pensandum est, quia illum per ignem dicit posse saluari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, aut plumbum ædificat, hoc est, peccata maiora: sed lignum, fœnum, & stipulam, hoc est, peccata minuta. Hæc eadem totidem ferè verbis repetit Heruæus Anglus hunc Apostoli locū interpretans, & Alcuinus Caroli Magni didascalus de Trinitatis mysterio disputans.

Ad eund. loc.

Haymo: Per aurum, & argentum, & lapides preciosos intelligere possimus bona opera, virtutesque præclaras: per fœnum verò, lignum, & stipulam leuia peccata: sicut est otiosus sermo, risus in honestus, & cætera talia, & infra: Qui leuia peccata attrahunt, purgantur ab illis, qui tribulationibus incenduntur, in hoc seculo: vel post mortem in igne purgatorio. Et hic quoque Episcopus apertè profitetur, qui ligna, vel fœnum, vel stipulas collegerunt, neque tamen per seculi huius tribulationes, vel per alias spontaneas corporis afflictiones easdem absumperunt, illos post vitæ huius curriculum ad purgatorium amandatum iri; & hoc indicare Apostolum, dum ait,

» Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

Admonit. 1.

Felicianus: Illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus, » Ipse enim saluus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Quauis non solùm maiora, sed etiam minuta, si nimirum plura sunt, mergant.

De eccl. 12.

Synodus Senonensis: Cùm poenæ temporalis, aut venialis tantùm peccati reus, repentè nonnunquam intereat, nec illi pateat aditus in coelestem illam Hierusalem, in quam nihil inquinatum ingreditur; nec item gehennæ subiaceat, quippe qui gratiæ sit particeps: fit vt primùm purgetur

ex

ex eis quæ gessit in corpore, saluus tamen aliquando futurus, sic tamen quasi per ignem. Similia comperias apud Pauli Ep. ad Senec. Lib. 2. c. 32. ad Genes. paucos loci huius interpretes, quos breuitatis studio missos hîc facimus. Euidens est ergo ex hoc Apostoli loco suum etiam post hanc vitam purgationi locum esse.

Sed esto, inquis, locus hic Patrum consensum habeat, non omni tamen difficultate, & scrupulo adhuc vacat: Tum quòd eandem ignis voculam in eadem disputatione, imò verò in eadem ferè periodo, aliter & aliter vsurpēt, & ab Apostolo vsurpatam contendant: Tum rursum quòd Apostolus non absolute prædicet, negligentes pastores, vel oues, per ignem saluos fore, sed quasi per ignem. Tum denique quòd hæc doctrina, vel interpretatio, vitæ huius poenitentias & satisfactiones vehementer eneruet: Nam si omnes omnium pastorum & ouium negligentie per purgatorias flammæ expiari habent, quorsum opus erit vltroneis satisfactionibus hîc se maccrare?

Sed hæc, quæ de vero legitimoque Apostolici contextus sensu, vel ex ipsa litera, vel ex communi quoque sacrorum interpretum sententia in medium allata sunt, non infirmant. Nam ad primum quod spectat, non est nouum eandem vocem in eodem, vel in diuersis locis, aliud & aliud sonare. Nemo Catholicorum dubitat Christum Dominum, neque fuisse peccatum, neque fecisse peccatum: & hoc tamen non obstante legitur, Qui peccatum non fecerat, eum Deus pater pro nobis peccatum fecit. & alio rursum loco, De peccato damnauit peccatum in corpore suo. Sed & in humanis quoque non infrequenter effectus exprimitur nomine causæ, & causa vicissim nomine effectus. Quamobrem vt sermo appellatur lingua, quia linguæ præsidio efformatur; & scriptura vocatur manus, quia manuum opera effingitur: ita concupiscentia appellatur peccatum, quia per peccatum orta est; & poena vel cruciatus, qui per ignem illum criticum & iudica-

cc Rom 8. Effectus sape exprimitur nomine causæ, & vice versa.

kk 3

tori-

torium decernitur, & irrogatur, vocatur ignis. Verum est tamen vno hoc ignis vocabulo non ipsam tantum poenam designari; sed ipsum quoque elementum, per quod tanquam per instrumentum, poena per iudicem infertur.

Ad alterum dici potest particulam, *ὧς*, qua vtuntur Græci, & quasi, quam vsurpant Latini, non similitudinis semper symbolum existere, sed interdum quoque epitafeos vim obtinere.

Joan. 1.

» Vt cum legimus: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vni-
 » geniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. In hoc autem loco
 vtriusq; notionis vi pollet. Nam & ignis, vel poenæ veritatem explicat, & seruati nihilominus hospitis simulachrum ob oculos nobis collocat. Quibus enim cum purgatorio negotium est, perinde ferè sese habent, ac ij, qui incenso ædificio quo pi- am stramineo per medias flammæ elabuntur. Nam vt eiusmodi flammæ pilos, vestes, cæteraque, quæ corpus circumstant, faciliq; momento absumuntur, depascuntur, ipsumque pertranseuntem affligunt, amburuntque, nõ tamen perimunt, aut in cinerem redigunt: ita purgatorium, quos puniendos recipit, non perdit; sed paleis, stipulis' ve, quas eò secum detulerant, non absque ingenti illorum cruciatu absumptis, incolumes tandem emittit. Particula ergo, *ὧς*, vel, quasi, vtcunque tandem accipiat, nullum asserte veritati præiudicium generat.

Ad postremum respondetur, Apostolum non de omnibus promiscuè, qui vilia hæc extruunt, vel aliquando extruxerunt, agere: (Nam aliàs illi quoque, qui aurum, argentum, vel lapides preciosos superædificauerant, per ignem salui fierent; quippe cum nullus omnium tantæ sanctitatis, aut perfectio- nis, aut cautionis existat, qui interdum non impingat, adeo- que lignum, aut foenum, aut stipulam non colligat) sed de illis tantum, qui isthæc extruunt, & ad tribunal Christi integra deferunt: Cuiusmodi sunt ij omnes, qui incendio digna per vitæ incuriã cumulata, dum in viuus adhuc degunt, per charitatis officia, serièque poenitiæ pharmaca non exhauriunt. Sed

&

In hac vitæ
lubricitate
nemo tam
cautè ambu-
lat, vt interdum
non impin-
gat.

& dato quoque omnes omnino homines, quod absit, eiusmodi stipularum causa purgatorij loca subire, adhuc tamen operam non perderent, qui poenitiæ munij impigrè incumbere. Siquidem verè pietatis exercitamenta, non solum satisfactoria sunt apud Deum, verum etiam meritoria, malorumque habituum expiatoria.

In summam igitur, quæ de nobili hoc loco fusiùs explicata sunt, vt contrahamus: Vnicum salutis, fideique nostræ fundamentum est Christus Iesus, idem omnium Seruator & iudex. Super hoc autem fundamentum alij construunt aurum, argentum, & lapides preciosos, hoc est, doctrinam solidam, conuertendisque, ac inflammandis auditorum animis apprimè idoneam; & viuus nihilominus inculpatæ vitæ exemplis egregiè illustratam & commendatam: Vtrunque enim alterius ope nititur. Nam nisi vita doctrinæ respondeat, concionatoris industria parum præstat: Sed & honesta quoque vita, si literarum præsidio destituatur, in Ecclesia Dei minùs valet.

Sed quid hæc singula seorsum adumbrant? Sanè si tria isthæc ad doctrinam retuleris, per aurum verum germanumque sanctarum Scripturarum sensum, qui versatur in cordis arcano, maioremque in partem ex diuini luminis præsentia hauritur, (nisi enim hoc lumen mentem irradiet, plerunque obscura cæcaque manet) accipere licebit. Per argentum verò ignita castaque Dei eloquia. Per lapides autem preciosos opera externa Deo grata, proximoq; ad pietatem excitando peridonea. Perfectus enim doctor tribus his partibus absoluitur: nõpe, si arcana diuinorum eloquiorum sensa penetret: si penetrata commodè populo pponat, efficaciterq; persuadeat: si tandè viuo sanctæ vitæ exëplo, quod ex diuino spiritu hausit, populoque proposuit, exprimat, cõfirmetque. Si verò ad vniuscuiusque vitæ ac mores referre hæc mális, p aurum accipere queas feruentem Dei amorem; per argentum synceram, minimeq; fucatam proximi dilectionem; per lapides preciosos alia cuiusvis generis pieta-

pietatis officia, virtutum ve ornamenta. Possent eadem quoque ad dispares diuini verbi fructus transferri. Constat namque alios ex verbo audito fructum reportare centesimum, alios sexagesimum, alios tricesimum: Alios rursus concipere hinc castitatem cōiugalem, alios vidualem, alios originalem. Quin & Apostolos quoque, & Martyres, & Confessores, hoc est, doctores, & pastores diuino verbo debemus. Quauis hæc omnia non eodem omnino modo.

Alij autem super idem illud spiritalis vitæ fundamentum extruunt lignum, fœnum, ac stipulam, hoc est, doctrinam futilem, & ad ciendos veros animi motus inefficacem, tametsi catholicam, & ab erroribus immunem. Nam si hæreses, aut errores adferrent, iam ipsum fundamentum euerterēt, & ex auditorum animis euellerent. Comperiuntur enim doctores, qui vanæ ostentationis causa non pauciora interdum ex Philosophis, Oratoribus, Poëtis, profanisque historijs pro concione in medium adferunt, quàm ex sacris diuinisque literis: Vnum hoc præcipuè spectantes, vt eruditi, ac polyistores quidam habeantur: cùm toti tamen in vnum hoc incumbere deberent, vt, iacto firmo fidei fundamento, populum ad virtutis studium, vitiorumque odium inflammarent: ad quæ duo necessariam materiam suppeditant diuinæ literæ. Veruntamen externa illa præsidia ad veritatis illustrationem, efficacioraque, ac faciliorem auditoris persuasionem interdum depromere, (modò id sobriè, & opportunè fiat) nulli culpæ est obnoxium. Quòd si isthæc ad quosuis promiscuè transferre placet: per lignum, fœnum, ac stipulam eiusmodi errata accipias, sine quibus in hoc corrupto vitæ statu diu multumque non ducitur; tum illa quoque vestigia, quæ ex lethalibus vulneribus reliqua interdum fiunt. Inter quæ vt varia extant nomina, ita varia quoque discrimina. Minus est enim, quod designatur per stipulam, quàm quod per fœnū; & hoc rursus leuius est, quàm quod insinuat per lignum.

Ceterum illud ipsum ne opus, quod super hoc fundamentum

tum extructum est, sit purum aurum, vel argentum, an verò lignum, aut fœnum, istuc non humanus dies, humanum ve iudicium discernere valet: (vt quod falli queat, & sepe quoque falli soleat; id aurum vel argentum pronuncians, quod secundum se, & apud Deum est merum æs, vel plumbum; & contra id æs, vel plumbum esse iudicans, quod apud Deum est solidum aurum, vel argentum) sed ignis ille, qui penetrat, & rimatur omnia, etiam ea, quæ sunt homini intima: nempe accuratum illud exactumque summi illius monarchæ iudicium: huic vni enim nihil est occultum, nihil præteritum, nihil futurum. Et vt vnus hic iudex nihil habet tectum, nihilque deserit indiscussum; ita nihil quoque, quod vel minima reprehensione dignum censetur, relinquit impunitum. Nam etsi is, dum præfens hæc vita decurrit, erga peccatorem declaret se supra modum clementem, & benignum: attamen post exactam semel hanc vitam iudicem, imò verò vindicem, exhibet se admodum seuerum. Quod ne clam nobis esset, alicubi monet, non talentorum, aut drachmarum, aut denariorum tantum rationem exigendam esse, sed quadrantum quoque, hoc est, minimorum erratorum. Qualecunque ergo extiterit illud, quod superædificatum fuerit, totum hoc ignis ille consumens examinabit & iudicabit.

Et si quidem opus, quod superædificatum fuerat, critico illi igni veluti Lydio lapidi applicatum, vt solidum aurum, illæsum permanserit, hoc est, diuini iudicij examen, tanquam nihil poena aut reprehensione dignum admixtum habens, intrepidè sustinuerit, author illius de morte translatus ad vitam statim consequetur mercedem. Contra verò si opus superædificatum, in æquissima illa diuini iudicij bilance positum, arserit, hoc est, reprehensione, aut exustione dignum compertum fuerit, (siue illud doctrina fuerit curiosa; siue factum secundum se culpæ obnoxium; aut secundum se quoque bonum, aliqua tamen inanis gloriæ, aut aliqua alia veniali labe contaminatum) detrimentum patietur, quia flam-

mis vsque ad consumptionem subijcietur. Nam cum nullum malum admittat cœlum, necessarium est vt omnia mala, quæ beatitudinem obtenturo coherent, vel in hac vita per veram satisfactionem, vel in altera per veram satisfactionem, excoquantur & absumantur, adeoque in nihilum redigantur. Sed neque solum opus detrimentum patietur, sed ipse quoque operis parens ardenti igni ad tempus mancipabitur. Verum quod is fundamentum non perdiderit, (perseuerauit enim in fide, spe, & charitate, licet leuia quædam ignis fomenta secum detulerit) saluus tandem erit, sed per illum ipsum ignem, cui propter adherentes stipulas, vel paleas mancipatus fuerat. Et hæc de hoc loco hætenus.

Matth. 12. » Huic Apostoli loco illustri sanè & euidenti, ex nouo Testamento (vetus enim peculiarem sectionem deposcit) accedit illud Christi Redemptoris oraculum, meo quidem iudicio æquè euidens ac illustre. Omne, inquit is, peccatū & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemie non remittetur. Et quicumque dixerit verbū contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritū sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Hic clarè docetur, quædam peccata in hoc seculo condonari; quædam rursus in futuro; quædam denique, neque in præfenti, neque in futuro, siue vt textus Græcus habet, *δὲτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, δὲτε ἐν τῷ μέλλοντι*. Si enim nulli prorsus delicto venia obtingeret in seculo futuro, incassum illud, *δὲτε ἐν τῷ μέλλοντι*, adijceretur. Atqui cum nullum iota, nullus apex in toto Scripturarum corpore suo careat pondere, suoque vacet mysterio: cumque graues authores nihil temere, aut superuacaneò effutire soleant, imò verò impensè in id incumbant, ne quicquam omnino in sua oratione desit, aut supersit, aut loco suo collocatum non sit: nequaquam putandum est æternam illam Sapientiam, quæ fecit verbum abbreviatū, aliquid inutile, aut superuacaneum deprompsisse, maximè verò in graui disputatione, in qua de peccatorum qualitate, & quantitate, &

In diuinis literis nihil est positū, quod suo pondere vacet.

& remissione ex instituto differebatur.

Cum ergo aliqua peccata in hoc seculo remittantur, vt farentur omnes; & omnia, etiam illa, quæ in Spiritum sanctum alioqui committuntur, in hac vita remitti queant; & Christus Dominus eo modo loquatur de peccatorum remissione, quæ fit in altero seculo, quo de ea, quæ fit in hoc præfenti: non possumus non inferre quædam etiam peccata in altero seculo condonari. Cum, inquam, Christus Redemptor noster duorum seculorum seorsum, distincteque hoc loco meminerit, & in eodem literæ tractu eorundem meminerit, ait enim, Hoc peccatum non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro: nemo salua contextus veritate inficiari potest, quorundam peccatorum condonationem vtrobique contingere, & per consequens certum aliquem locum extare, vbi eę condonentur & expientur noxæ, quæ in hoc seculo condonata non fuerant, & in altero condonari poterant. Eiusmodi autem locum cum vniuersa Ecclesia Catholica Purgatorium appellamus.

Verum ne nos nostro è cerebro eiusmodi interpretationem confinxisse, confictamque præfenti huic loco callidè adhibuisse videamur, agedum, quid veteres Theologi ex eo collegerint, paucis expediamus. Augustinus: Neque hinc veraciter de quibusdam diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remitterentur in futuro. & infra: Non omnes veniunt ad sempiternas poenas, quæ post illud iudicium illis sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam, quod in isto die non remittitur, remitti in futuro seculo iam suprà diximus. Hæc Augustinus, cui vni iure optimo plus tribuendum est, quàm vniuerso Sectariorum gregi; quippe cum in vno hoc Patre plus verę pietatis, solidęque eruditionis extiterit, quàm in omnibus ætatis huius hæreticis in vnum conflatis. Sed nūquid hic Pater hunc Euangelistę locum solus ita interpretatus est? nequaquã. Audiantur ergo & alij quoque.

Nullum est peccatū, quod in hac vita remitti non queat.

Lib. 21. c. 24. de ciuit.

Plus solidæ eruditionis veræque pietatis in vno Augustino, quàm in omnibus ætatis huius hæreticis.

4. Dial. c. 39.

Gregorius: Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio apparebit: sed tamen de quibusdam culpis leuibus esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo, quod veritas dicit: Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse relaxari. Quia quod de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Hæc Gregoriana interpretatione nihil dici potest clarius, nihil scribi ad hunc locum illustrius. Hæc eadem ad verbum penè repetit venerabilis Bedas, tertium caput Euāgelij Marci edifferens: qui etsi Gregorio sit posterior, sexcentis tamen, & eo amplius annis, Luthero est anterior.

Lib. 1. c. 18. off.

Matth. 12.

Isidorus: Nisi Ecclesia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, pro eorum spiritibus sacrificium Deo non offerret. Nam & cum Dominus dicit, Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro: demonstrat quibusdā illic dimittēda peccata, & quodā purgatorio igne purganda. Et in quodā loco ab Augustino dictum est: Defunctorū animæ suorū sine dubio viuentiū releuantur pietate, cum pro illis sacrificiū Mediatoris offertur. Tria hic Sanctus asserit: primò, Mediatoris sacrificiū pro defunctis oblatum, eorū spiritibus prodesse: mox, quædam peccata in altero quoq; seculo relaxari: postremò, eam relaxationem in purgatorio fieri. Primum probat Augustini & vniuersalis Ecclesiæ auctoritate: secundum, ex loco Matthæi à nobis allegato: tertium, veluti ex cōmuni omniū consensu notum, non probat, sed tantum affirmat. Hunc Euāgelistæ locū iisdē penè verbis allegat & Rabanus quoque. Nisi, scribit, Ecclesia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorū Spiritibus, vel elemosynam faceret, vel sacrificiū Deo offerret. Nam & cum Dominus dicit, Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc seculo, neq; in futuro: demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda.

Bern.

Bernardus: Non credunt (hæretici) ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo qui dixit quoddam peccatum esse, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur: cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatiōve peccati? Et hic quoque Pater contra suæ ætatis hæreticos adducit hoc Christi oraculum, tanquam validissimū impugnatæ veritatis præsidium, testemque omni exceptione maiorem.

Petrus Cluniacensis: Quando Dominus dicit, Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc seculo, neque in futuro: ostendit veniam quidem in hoc seculo dignis semper concedi, remissionem tamen poenarū, quam peccata exigunt, in seculo futuro aliquando differri, quæ secundum nobis occultas dispensationes iustitiæ & misericordiæ Dei pijs operibus bonorum viuorū, aut in tempore breuiantur, aut qualitate mitigantur.

Christianus Druthmarus: Quòd dicitur non remittendum, neque in hoc seculo, neque in futuro, datur intelligi esse de quibusdam peccatis in alia vita remissionem: quia quod de vno negatur, consequens est, vt de aliquibus possit intelligi. Sicut de otioso sermone, de concupiscentijs, & leuibus peccatis. Hæc Druthmarus, qui diuum Bernardum & Petrum Cluniacensem aliquot secula antecessit.

Glossa ordi. Quædam culpæ in hoc seculo laxantur; quædam verò, paruæ scilicet, etiam in futuro, quæ quidem post mortem grauant, sed & dimittuntur, si homo bonis actibus in hac vita, vt ibi dimittantur, promeruit. Eadem ferè repetit altera, quæ lineis interijcitur. Mittimus hic Petrum Episcopum Parisiensem, Thomam Aquinatē, Albertum Magnum, & alios recentiores Scripturarum interpretes. Nam si Augustino, Gregorio, Bernardo, ceterisque, quos allegauimus, imò verò Apostolo, qui lignum, foenum, stipulam, per quæ minuta peccata designantur, post hanc vitam detrimentum pati, hoc

11 3 est,

Cap. 34. Cō-
menta. in
Matth.In eund. Ex-
ang. locum.Ser. 65. in
Can.Epist. cont.
Petrobrus.

est, per transitorium ignem absumi abolerique asserit, non credunt: multò minus credent alijs, qui infelicia hæc tempora propiùs accesserunt.

At non sequitur, aiunt illi, Peccatum in Spiritum sanctum in altero seculo nõ remittitur, ergo aliquod aliud, quod eiusmodi non est, istuc remittitur. Est enim phrasis Hebraica exaggerationis causa vsurpata, qua Dominus Phariseis, & per illos ceteris omnibus, terrorem incutere voluit, ne quando in Spiritum sanctum blasphemarent. Quare etiam Euangelista Marcus illud, Neq; in hoc seculo, neq; in futuro, vnico eternitatis vocabulo exposuit. ait enim: Qui autem blasphema-uerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni iudicij.

Marc. 3.

Sed hic aries veritatis fundamentum, à summo illo architecto positum, & à sanctis Patribus validè confirmatum, non euertit. Nam etsi concedi queat, eiusmodi collectionem non esse absolutè, vel ratione formæ necessariam, est tamen necessaria ratione materiæ, vel ex recepto loquendi intelligendique more & consuetudine. Nam vt ex vulgato protritoque orationis modo rectè infertur: Anabaptistæ, neque Augustæ, neque in vlla alia Imperiali ciuitate impunè viuere sinuntur, ergo ceteri, qui hoc veneno imbuti non sunt, & Augustæ, & alibi quoque etatem agere non prohibentur: ita rectè quoque infertur, & ante mille ducentos annos à Theologis Dialecticæ peritissimis rectè illatum est: Peccatum in Spiritum sanctum in altero seculo nõ relaxatur, ergo cætera, quæ eiusmodi non sunt, vel in totum, vel saltem partem, in altero seculo relaxari possunt: maximè, cum de vtroque seculo pari modo loquatur. ait enim: Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Cùm ergo certa indubitataque fide constet, quædam peccata in hoc seculo remitti, cur non intrepidè inferamus, in altero quoque seculo quorundam peccatorum remissionem contingere?

Addunt,

Addunt, Christum Dominū ea exaggeratione vsū, nõ quò dogma aliquod statueret de peccatorū remissione post hanc vitam, sed quò terrorem incuteret Phariseis, & per ipsos cæteris. Verum ad incutiendum terrorem plus satis erat, si diceret: Hoc peccatum nunquam remittetur. Sed hoc non dixit, dixit autem: Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Cur autem distinctam vtriusque seculi mentionē fecit? Non aliam sanè ob causam, quàm vt certò nobis psuaderet, aliquod peccatum non solum in hoc seculo condonari, verum etiam in futuro: blasphemiam autem in Spiritum sanctum neutrobique remitti. Adde, ad incutiendum veros terrores Christo opus non fuisse, vt obscura aliqua, perplexaque oratione vteretur: at si in altero seculo nulla omnino peccata expiantur, & oppidò perplexè differuit, & illustribus nihilominus Ecclesiæ membris errandi, maleque interpretandi apertam ansam subministravit. Sed absit, vt, vel obscurè locutus hinc fuerit, vel phrasi illa, qua vsus est, Patres in errorem coniecerit. Quauis ergo Christus Redemptor noster verum terrorem incutere voluerit, nullo tamen modo consequens hinc fit, vt, vel clausulam illam superuacandò, vel solius terroris incutiendi causa adiecerit.

Ex his planum quoque fit, quod de Hebraica auxesi allegabant, ineptum esse. Est enim hic loquendi modus non apud Iudæos tantum receptus, sed apud Græcos & barbaros quoque. Semper enim, quando vnum aliquod ex magna aliqua multitudine excipitur, cetera, quæ ex corpore non excipiuntur, in corpore inclusa relicta intelliguntur. Sed disputationis causa donetur aduersario phrasi Hebraica hinc significari, peccatum in Spiritum sanctum nusquam venia potiri: adhuc ea concessio, vel Patrum interpretationem, vel nostram quoque collectionem nihil quicquam infirmat. Nam cùm hinc enuncietur peccatum hoc tam graue, ac tam enorme, nusquam, hoc est, neque in hoc seculo, nec in alio vllò seculo aut

loco

Quod ex numero nõ excipitur, id in illo inclusum relictum intelligitur.

loco remitti: apertè innuitur quædam alia tam leuia esse, vt & hîc, & alibi quoque veniam promereantur. Sicut quando Apostolus asserit coelestem patrem per Christum instaurâsse omnia, & quæ in coelis, & quæ in terra: non solùm indicat simpliciter omnia per Christum esse instaurata, sed simul quoque innuit alia extitisse, quæ instauracione egerent in terra; alia, quæ in coelis.

Aequè ad obtinendam causam infirmum est, quod ex diui Marci Euangelio adferunt. Nam aut Christus differuit, vt narrat Matthæus; aut, vt Marcus; aut, quod vterque narrat, id maioris emphaseos causa simul coniunxit. Si id exposuit, quod enarrat Matthæus: habemus, quod iam dudum antè intulimus: puta, vt in hoc seculo peccata quædam relaxantur, ita etiã in futuro. Nam vt frustra Christus dixisset, Neque in hoc seculo, si nulla hîc contingeret remissio: ita incassum quoque hîc addidisset, Neque in futuro, si nulla in futuro seculo peccatorum condonatio locum haberet. Si verò Christus Dominus differuit, vt narrat Marcus: (quod tamen non admodum fit probabile. Siquidẽ Marcus Christum differentem non audiuit, sed Euangelium suum maiorem in partem ex Matthæi narratione & Apostoli Petri prædicatione conflauit.) tunc Matthæus Spiritus sancti magisterio edoctus illud clariùs & explicatiùs exposuit, quod Christus Dominus Marco narrante proposuerat aliquantò contractiùs. Interpretatus est, inquam, Matthæus illud In æternum idem valere, quod, Neque in hoc seculo, neque in futuro. Si denique maioris emphaseos causa vtrunque coniunxit, in hunc modum: **Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternũ, neque in hoc seculo, neque in futuro: tunc clarum est, τὸ æternum, explanare voluisse per illud, Neque in hoc seculo, neque in futuro.**

Neutiquam autem credibile fit Christum dixisse: **Nō remittetur in æternum in hoc seculo, neque in æternum in seculo futuro. Quandoquidem seculum præsens non sortitur æterni-**

æternitatem: est enim vtrunque determinatum. Attamen si ad hunc modum differuisset, vel eo etiam modo, quem exponit Marcus, adhuc quod de quorundam peccatorum remissione in altero seculo assertum, & ex sanctis quoque Patribus confirmatum est, non infringeretur. Nam hoc ipso, quod Marcus asserit aliquod esse delictum æterno iudicio dignum, ait enim: **Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, nō habet remissionẽ in æternũ, ἀλλ' ἐνοχὸς ἔστιν ἀικωνίου κρίσεως,** hoc est, sed reus, vel obnoxius est æterno iudicio, vel æternæ damnationi: apertè insinuat aliquod esse peccatum temporario & transitorio tantùm iudicio dignum. In quamcunque ergo partem se torqueant Sectarum magistri, non possunt teli huius vim declinare: quod Lutherus in disputatione Lipsica sentiens, ingenuè professus est, purgatoriũ ex hoc loco colligi. Ego, inquit, qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio purgatoriũ esse, facillè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem. **Quem admodum illud Matthæi inducit Gregorius in Dialog. lib. Non remittetur in hoc seculo, neque in futuro, volens quædam peccata remitti in purgatorio.**

Præter id, quod hætenus vrsimus, aliud quoque ex hoc loco colligitur, nempe triplex peccati genus committi: Vnum tantæ nequitiae, vt neque in hoc seculo, neque in altero quoque veniam promereatur: Alterum tam modicæ malitiæ, vt in vtroque remitti queat, & remitti quoque soleat: Tertium quasi medium, quale est, quod in hoc quidem seculo integrè condonari potest, in altero autem, aut non condonatur, aut tantùm in partem cōdonatur. Peccatum, quod neutrobique remittitur, vel certè egrè admodum remittitur, est peccatum in Spiritum sanctum. Cuiusmodi est, quod ipsam malitiã, vel ipsam Dei offensam tanquam scopum propositã habet. Peccatum autem, quod in hoc tantùm seculo integrè relaxatur, in altero autem in partem solùm, est peccatum quoduis capitale; siue id ortum sit ex ignorantia, siue ex infirmitate, siue ex certa quoque scientia; aliqua tamen infirmitate, vel caci-

Triplex peccati genus committitur: vñũ, neq; in hoc, neque in altero seculo remissibile: alterũ, vtrobique expiabile: tertium, altrobiqu; tantũ condonabile.

m m tate

tate adiuncta. Peccatum denique, quod utrobique integrè expiari potest, est peccatū veniale; siue genere suo sit eiusmodi, ut verbū otiosum; siue ex materię paruitate, ut modicum furtum; siue ex actus inchoatione, ut subita excandescencia.

Sed quomodo, inquis, peccata absolutè venialia in altero seculo integrè, hoc est, quo ad culpam & poenam, condonantur? Sunt, qui dicant omnē omnino noxam, ut noxa est, etiam venialem, si condonatur, in hac vita condonari. Probant: In altero seculo nullum nouum potest admitti, ergo nullū vetus remitti. Probant denuo: Quia quicquid venialium cōstatum est in vita, id totū in morte, aut placet, aut displicet: Si displicet, qua noxa erat, tollitur: Sin autem placet, mortiferum efficitur. Probant tertio & postremo, quia nonnulli Patres id sentire videntur. ait Glossa ad illud Ioannis, Est peccatum ad mortem &c. Peccatū, quod in hac vita nō corrigitur, frustra post mortem eius venia postulatur, ait Gregorius: Talis quisque in iudicio presentatur, qualis hinc exit de corpore, ait Damascenus: Quod Angelis est casus; hoc hominibus mors est. Sed Angeli lapsi non possunt resurgere, aut poenitere, aut mereri, ergo nec homo quoque mortuus. sed absolutio à venialibus non contingit citra meritum.

Hęc doctrina communi Patrum doctrinę nō est satis consentanea. Statuunt enim illi peccata, quę per lignum, fœnum, & stipulam designantur, integrè etiam post hanc vitam remitti: nam quo ad temporalem poenam non solum venialia, sed mortifera quoque, in altera vita relaxantur. Neque finalis gratia ullū omnino peccatū tollit, quod actu, vel habitu etiamnum placet. Dicere autē omnia in morte, actu, vel habitu displicere, est planè ineptire. Cōstat enim multos intermori, qui de peccatis venialibus nullā cogitationem habēt. Aequè ineptè dicitur, quę actu, vel habitu placent, mortalia effici. Siquidem omne omnino peccatum veniale placet, cum sit voluntariū: & tamen nullum omnino est mortale. Hoc ergo breuiter responsum sit ad vltimam secundę rationis partem.

Ad

Ad primam respōdetur, eiusdem esse labi, & resurgere, manentibus eiusdem labendi, resurgendiq; causis, eodemq; labentis affectu ac statu: sed neutrum hīc locum habet. Nam quod quis post mortē à peccato veniali absolui potest, in causa est inherens gratia, & pauca quedam alia, de quibus suo loco postea. Quod autem post mortem nouo peccato veniali obstringere se nō queat, in causa est fomitis absentia: Tum animi quoque in concepto semel bono constantia: Tum status firmitas, & alia quedam similia. Hęc tamen ratio ad quoduis mortiferum peccatum relata est efficax. Quicumque enim ab illo expediri potest, potest in illud quoque prolabi, & vice versa. Damnati & dæmones perpetuò dicuntur peccare, non quod veteribus aliquod nouum adiungant, sed quod in praua veterum voluntate semper persistant.

Ad primam secundę rationis partē respondetur, mortem naturę debitū, primæuiq; peccati meritū esse; atq; ideo secundum se ad peccatorū remissionem nullum momentū adferre. Quod si spōtè, placideq; acceptetur, eiusmodi acceptatio est Deo grata, & per consequēs meritoria, & satisfactoria. Attamen quod secundum se ad venialium expiationem nō sit ordinata, secundum se quoque non expiat illa; expiaret tamen, si vnā cum illa acceptatione coëxisteret actus quispiā detestationis. Et ut maximè largiamur voluntariā mortis perpeffionē, eiusdemve acceptationē, eam vim habere, adhuc quod multi alioqui iusti de hoc nihil cogitent, vel inuitè quoque sedem mutant, permulti hinc sæpe cum venialibus recederent.

Ad allegatas authoritates procliuè est respondere. Glossa ex instituto de mortali peccato agit, non de veniali. Adhęc licet veniale in hac vita non corrigitur secundum se formaliter, corrigitur tamen causaliter. Siquidem qui in gratia defungitur, dum in viuis adhuc ageret, promeruit, ut placida poenę acceptatio, vel generalis quoque peccati detestatio, culpę peremptoria esset in altera vita. Ad locum ex Gregorio petitem respondetur, venialia hominis statū non

mm 2 mutare,

Eiusdem est labi, & resurgere, manentibus iisdem causis.

Mors est naturę debitū, primæuique peccati stipendium.

4. c. 39. Dialo.

2. c. 4.

1. Cor. 3.
Matth. 12.

Peccatū dum adhuc placet, non remittitur.

Venialia hominis statum non mutant.

Purgatorium non constituit certum vitæ statum.

mutare, ut quæ charitatem, nec tollant, nec minuant: At secundum charitatis magnitudinem, metimur quantitatem gratitæ bonitatis ipsius animæ. Et in eodē illo capite, vnde sententia hæc desumpta est, author disertis verbis exponit, quædam minuta peccata etiam post hæc vitam aboleri. Et ut veniale peccatum statum non mutat, ita purgatorium nullum perpetuum statum vitæ constituit, ut quod non sit meta, vel terminus, sed via ad terminum, vel metam: gratia autem & capitale peccatum, & statum constituunt, & constitutum accessu suo mutant. Dicitur etiam possit, talem unum quemque in privato iudicio compariturum, qualis hinc exierit, non etiam in vniuersali: alioqui enim multi istic apparerent multis & magnis poenarum oneribus & debitis onustis. Ex istis patet responsio ad Damasceni locum. Solum enim probat post mortem non patere reditum de capitali culpa ad gratiam; nec inde rursus viam ad nouam noxam: quod nemo negat. Sed nec nouum quoque meritum deposcitur, aut actualis aliqua contritio ad venialium expiationem: Sat est enim, si adsit media quædam inter habitualem & actuaalem, quæ, ut quibusdam placet, haberi potest post hanc vitam per solam poenæ acceptationem, aut spontaneam quoque eiusdem perpeffionem. Nihil est ergo allatum hactenus, quod venialia peccata integre post hanc vitam remitti posse euineat.

Ceteri proinde integram peccatorum venialium condonationem post decursum vitæ huius spatium absolute admittunt: attamen de condonationis modo non satis inter se conueniunt. Quidam namque persuasum habent, aliud nihil esse ab hoc genere peccati absolui, quam poenam, quæ iuste illi debebatur, integre perpeti. Credunt enim peccatum hoc nulla profus malitia, aut macula animæ inficere, sed ad quandam tantum temporalis poenæ reatum eandem obstringere. Ex quo mox inferunt, veniale peccatum non solum in purgatorio, sed ipso quoque inferno posse aboleri, & reuera quoque aboleri. Expiationis modus, quem isti assignant, est facilis,

illis, sed nititur interim fundamento non satis firmo. Ponit enim, peccatum veniale aliud nihil in se complecti, quam qualemcumque temporalis poenæ reatum, quod communiter non admittitur: Aliud enim est poena, aliud culpa, tamen hæc illam progignat. Sed & vulgò quoque traditur, & pie creditur, per aquæ sacre asperfusionem, per pectoris tunctionem, per generalem peccatorum exomologesim, & alia id genus complura, venialia peccata expiari: & tamen nequaquam fit verisimile, vinculum poenæ, quæ eiusmodi peccatis debebatur, per istiusmodi actus semper tolli.

Sunt alij itaque, qui veniale peccatum, quo ad maculam, vel quo ad id, quod noxæ rationem in eo obtinet, (siquidem macula non satis proprie huic peccati generi tribuitur, cum gratiam non tollat.) precedentium meritorum virtute post mortem remitti contendunt. Nam etsi vita defunctus, inquit illi, in humanis adhuc agens, istiusmodi merita, actus venimeritorios ad venialium relaxationem actu non retulerit; erant tamen suapte natura idonei, qui ad hunc finem referrentur. Nec sequitur hinc omnia in hac vita induci. Quandoquidem ut per voluntariam detestationem hic potuerunt induci; ita per voluntariam quoque approbationem foueri: hic autem complacentiæ, vel approbationis obex in altera vita locum non habet. Iusto enim mortuo omnia mox peccata displicent: Nam si qua actu, vel habitu post mortem placerent, semper placerent: cum nulla occurrat ratio, cur potius post unam horam, aut diem displicere debeant, quam post primum instans: Citra displicentiam autem, neque in hac, neque in altera quoque vita relaxantur. Ex hac doctrina sequitur, nullam omnino noxam venialem, ut noxa est, ad purgatorium ignem deportari: siquidem omnis talis in ipso mortis instanti tollitur. Nam ut primum anima à corpore seiuncta est, statim in se ipsam reflexa omnium venialium odium, quæ commiserat, concipit. Cum eiusmodi autem odio, vel detestatione gratia informata, peccatum consistere nequit; ne in hac quidem vi-

In veniali, ut in quouis quoque alio peccato, differunt poena & culpa.

Non omne, quod tollit noxam venialis, tollit eiusdem quoque poenam.

Veniale peccatum proprie non parit maculam.

Peccata quæ post mortem placent, semper placent.

ta, vbi actus sunt remissiores; nedum in alia, vbi post depositam carnis sarcinam multò sunt acriores. Hæc sententia nihil habet incommodi, nisi quis forsan obijciat, vt Deus merita vitæ ad venialium relaxationem acceptat in morte, vel post mortem; ita eadem ad eorundem remissionem acceptare quoque posse ante mortem. Sed ad hoc illi responderent, sola vitæ merita per se ad hoc fat non esse, nisi accedat aliquod eorundem peccatorum odium: hoc autem in morte, vel post mortem perpetuò adesse, in vita autem non semper.

Diuus Thomas probabile ducit, peccata venialia per spontaneam ignis purgatorij, vel cruciatuum, qui per illum irrogantur, acceptationem, equabilemque eorundem perpeffionem integrè post hanc vitam induci: per hanc quidem, vt poenæ; per illam verò, vt culpæ rationem subeunt. Nam etsi ignis, vt absolutè ignis est, peccatum expiare non queat, subdit ille, attamen vt instrumentum Dei est, & in illum agit, qui Spiritus sancti gratia donatus est, omnem culpam, quæ displicet, & gratiæ non repugnat, expiare potest. Hæc sententia cum proximè exposita in plerisque satis conuenit: Agnoscit enim perinde ac proxima nullum peccatum, vt culpa est, ad purgatorium deferri: tum noxiæ huius abolitionem non solum cessationem ab opere deposcere, sed aliqualem quoque peccati detestationem: tum hanc venialis peccati relaxationem ex gratia meritisque præcedentibus potissimum prouenire. Quare non ita multū retulerit, hanc ne, an illam amplectare.

Actus, quo venialis culpa post hanc vitam condonatur, non est propriè meritorium, sed meritorio similis.

Solum obserua, illū detestationis, vel acceptationis actum non esse propriè meritorium, sed meritorio similem: quia Deus admittit illam noxæ detestationem, poenæque acceptationem ad culpæ remissionem; ipsam autem poenæ perpeffionem, ad debitæ poenæ relaxationem. Dicit quoque posset, licet in purgatorio nullum obtineat meritum respectu præmij essentialis, posse tamen aliquod ibi obtinere respectu aduentij præmij. Sunt enim, qui in purgatorio detinentur, medijs quodammodo inter viatores & comprehensores. Cum his nanque

nanque communem habent firmitatem, & certitudinem; cum illis poenam, & gloriæ absentiam. Iam vt cōprehensores nihil ampliùs promereri possunt, viatores autem secundum omnem modum possunt: ita qui in purgatorio expiantur, secundum aliquid possunt, & secundum aliquid rursus non possunt. Patet ergo, aliquod peccatum etiam post hanc vitam posse relaxari: atque ideo Christum Dominum non temere dixisse, peccatum in Spiritum sanctum, neque in hoc seculo, neque in futuro remissum iri.

Eiusdem notæ & roboris est illud Pauli: Dedit illi nomen, ^{cc Philip. 2.} quod est super omne nomē, vt in nomine Iesu fleatatur omne ^{cc} genu cœlestiū, terrestriū, & infernū. & illud rursus Ioannis: Audiui omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super ter- ^{cc Apoc. 5.} ram, & sub terra, dicentem: Sediti in throno, & Agno, bene- ^{cc} dictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorū. Con- ^{cc} stat enim istæ æternæ damnationis laqueo implicitis plano sensu accommodari non posse. Neque enim illi diuinæ maie- ^{cc} stati benè quandoque precantur, aut voluntatis genua eidem ^{cc} incuruant: qui potius insana illorum in Deum Opt. Max. ma- ^{cc} ledicta in secula seculorum ascendunt. Non mortui lauda- ^{cc} bunt te Domine, ait Psalmista, neque omnes, qui descendunt ^{cc} in infernum. item: In inferno autem quis confitebitur tibi? ^{cc} ^{cc} Sed neque verè quoque de sanctorum patrum spiritibus ex- ^{cc} poni hæc possunt: Quandoquidem dum Apostoli de honore, reuerentia, & obseruantia, quæ Christo Domino nostro, cum à superis, tum ab inferis quoque dependitur, istæ differebant, ^{cc} patrum limbus iam tum dudum antè exhaustus fuerat: Iam enim multò antè Dominus noster captiuam duxerat captiui- ^{cc} tatem, dederatque dona hominibus. ^{cc} ^{cc} Ephes. 4.

Cum istæ ergo de sanctorum patrum spiritibus nullo vero sensu accipi queant; neque in infantes in originis peccato extinctos cōueniant, vt qui vera pfecta que; Dei cognitione omnino destituantur; multò verò minùs in damnatos, & dæmones, vt qui sedentem super thronum adeò non benedicant, aut glorifi-

glorificent, aut venerentur, aut gratias eidem agant, vt ad nomen illius vehementer quoque exhorrescant, montibusque & petris cum potentibus illis & fortibus Antichristi ministris præformidine, animique consternatione tantum non acclamant: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: Cumque vera laus, seriumque & solidum laudandi studium ex maiestatis, potentię, sapientię, ac bonitatis cuiuspiam consideratione & admiratione nasci soleat; damnati autem & demones propter ingentem pœnam & cruciatum, quem citra ullam intermissionem patiuntur, & atrocissimum odium & iram, quibus in harum pœnarum authorem efferruntur, nihil horum omnium serio perpendant, sed tantum feuerissimam illam Dei iustitiam, quam in effectis illius noctes diesque experiuntur: Neque vlli alij denique, præter eos, qui in superiori inferno, hoc est, in purgatorio expiatorijs pœnis exercentur, apud inferos degant: euentissimum est, illam laudem, illam benedictionem, illam venerationem, illam gratiarum actionem in nullos alios, quam in illos ipsos, salua veritate transferri posse.

Apud inferos
soli iusti Deum
laudant.

Dan. 3.
Psal. 148.

Apoc. 5. » lectos Dei amicos. Et vidi, inquit Ioannes, in dextera sedentis
» super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, & prædicantem voce magna, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius?
» Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subter-

terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quia nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum. At qualis, quæso, dignitas ad aperiendum mysticum illum librum, aut quæreretur, aut quæsitæ quoque inueniretur in dæmonibus, ceterisque inferni mancipijs? Imò verò aperte esset insanire, quærere eiusmodi aliquam dignitatem in abiectionissimis illis vilissimisque tartarei ignis titionibus. Non ergo quærebatur, nec expectabatur, neque expectari quoque poterat eiusmodi dignitas à coniuratis illis Dei hostibus; sed à charis eiusdem amicis, qui per id tempus partim versabantur in cœlo, partim in mundi huius salo, partim quoque in purgatorio. Non enim pugnat eximia sanctitas, cum purgatorij pœna: quippe cum integerrimę quoque conuersationis viri, vel ex naturę infirmitate, vel ex dæmonis suggestionem, vel ex alia quacunque eiusmodi occasione, in aliquod interdum erratum pœna dignum incidere queant; & quidem in tale, quod ipsi pro errato non habeant. Alia enim Dei, alia hominum sunt iudicia. Nulla itaque ratione, quæ de inferorum veneratione, aut dignitate, ex toto hoc capite allata sunt, ad demones, vel dæmonos detorqueri possunt.

Eximia sanctimonia non pugnant cum purgatorij pœna.

Tribus his illustribus, & nisi fallor euentibus, noui Instrumenti testimonijs alia quædam ex eodem fonte petita adijcere lubet, minus fortassis illa euidetia, eiusmodi tamen, quibus purgatorij fides maiorem in modum firmatur & illustratur. Inter cætera autem, quæ Nomothetes noster Christus Iesus de Christiana mansuetudine, & lenitate Matthæi quinto exponit, hæc quoque addit: Dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo *εἰς*, hoc est, temere, vel citra iustam causam, reus erit iudicio: Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit cœcilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehænæ ignis. Hæc ibi. Triplicem hinc iræ gradum assignari: puta internam animi commotionem, necdum tamen plenè deliberatam: externam huius commotionis significationem, confusa quadam voce declaratam: & manifestam contumeliam verbo irrogatam: & tri-

Exod. 20.
Deut. 5.
Matth. 5.

plicem nihilominus noxam, tribus hisce iræ gradibus ex æquo respondentem : & triplicem tandem vindicationem, videlicet iudicij, concilij, & æterni supplicij, ne ipsos quidem aduersarios inficiaturos existimo. Cum ergo in altero seculo (de huius enim foro disertè hîc agitur) primus & secundus iræ, & ex consequenti primus & secundus noxæ gradus æterno supplicio non vindicentur: (hac enim pœna solum apertū & atrox conuicium plectitur) certum relinquitur alio supplicij genere ibidem plecti. At nullum post hanc vitam aliud extat præter purgatorium: Nam etsi in puerorum limbo sua quoque adsit pœna, non tamen pœna sensilis, cuiusmodi debetur peccato personali. Quare & hic quoque locus purgatorium, quod occæcati illi nusquam se in Scripturis vidisse clamitant, apertè nobis demonstrat.

Huc quoque spectat alterum illud, quod de lite cum antagonista tempestiuè componenda in eodē illo capite subiungitur.

Matth. 5. » Esto consentiens aduersario tuo citò, ait Christus, dū es in via
 » cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te
 » ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies
 » inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Tria offert hic
 locus, quæ aliqua explicatione indigent. Horum primum est,
 ecquis nam sit ille aduersarius, cum quo in hac vita litigatur,
 aut qualiscunque controuersia habetur. Proximum hunc esse,
 quem dicit, vel factò læsimus, sentit Chrysofomus, Theophylactus,
 & Hieronymus: Spiritum sanctum, vel Christum Dominum,
 vel quodcunque huius, vel illius præceptum, Augustinus: Internum
 nostrum hominem, vel synderesim, vel aliud quippiam eiusmodi,
 nonnulli alij. Verùm licèt hæc omnia carnali homini aduersentur,
 atque ideo admitti queāt: Chrysofomi tamē interpretatio cēsetur
 planior, literæque; cōtextui conformior. Præmiserat enim,
 Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris,
 quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus
 tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo: & tunc
 veniens offer munus tuum.

Per

Per aduersarium ergo cum Chrysofomo & Hieronymo proximum offensum accipere hîc lubet.

Ceterum nō omnes, qui à proximo alieni sunt, equè ab ipso alieni sunt. Comperiuntur enim, qui illatā contumeliam non condonāt, sed vindictam obstinato animo desiderant, desideratamque; & expetitam quacunque; via & ratione iuri quoque & æquitati dissentanea intentant. Sunt alij, qui acceptā iniuriam ignoscunt quidem, attamen externa beneuolentiæ, veræque reconciliationis signa denegant: Imò verò ad reconciliati amici præsentiam quodāmodo exhorrent, animique; cōmotionem, & tædiū quoddā nō obscurè declarāt. Vtranque; abalienationis formā hæc præsens offert litera. De priori nemo dubitat: posteriorē hoc ipso clarè insinuat, quod contracti debiti solutionē ad nouissimū vsque; quadrantē (quo utique; leuiorese; denotātur) in carcere dependendā commemorat. Nō exies inde, inquit Christus, donec exoluas nouissimum quadrantem.

Duplex abalienationis
genus.

Alterum nodum adfert vocabulum carcer, in quem post latam sententiam per iudicis ministros contraditur reus. Verùm non est hic nodus admodum perplexus. Certum est enim per hunc carcerem non intelligi puerorū, aut patrū limbum; quia neutroque; exercetur pœna sensus: Sed vel infernum, vel purgatorium, pro controuersia, quæ cum proximo exercetur, qualitate & quantitate. In confesso est enim eiusmodi controuersiam, vel abalienationem, non semper esse lethalem, nec semper rursus venialem: sed aliquando capitalem, aliquando rursus, leuem & venialem. Vnde qui cum veniali abalienatione, vel inimicitia vitæ finem faciunt, illi, si aliud nihil obstat, in ergastulum aliquod purgatorium per iudicis ministros conijciuntur. Qui verò cum capitali, simpliciter in damnatorum carcerem, vel in infernum contruduntur.

Tertiò & postremò in quæstionem vocari hîc posset, quid quadrantis nōmine designetur. Scribitur hîc enim: Amen dico tibi, non exies inde, donec exoluas nouissimum quadrantem. Sed hæc quoque quæstio non est admodū intricata. Cer-

nn 2

tum

Inter numi-
smata mini-
mum est mi-
nutum.
Cap. 12.

tum est enim quadrantis vocabulo quippiã non magni ponderis, aut precij denotari. Nam inter numismata minimum est minutum; quadrans autem complectitur duo minuta, iuxta illud Marci: Vidua vna misit duo minuta, quod est quadrans. Quia ergo sermo est hinc parabolicus, per quadrantem accipere debemus debita parua. Parua autem debita, sunt parua peccata: peccata porrò parua, sunt peccata venialia. Per nouissimum itaque quadrantem accipienda sunt peccata venialia: & sic accipiunt plerique omnes catholici interpretes.

Verus itaque germanusq; Scripturæ huius sensus eiusmodi est: Tempestiuè, dum in vitæ huius peregrinatione adhuc versaris, pacem, concordiam, & amicitiam cum proximo tuo ineas, ne fortè in aliqua abalienatione subito extinctus, incidas in manus viventis iudicis, qui te conuictum per administratos suos, hoc est, dæmones, vel lucis Angelos, deiciat in carcerem, hoc est, in infernum, si capitales inimicitias cum proximo exercebas: vel in purgatoriū, si tantum veniales. Amen dico tibi, non exies inde, videlicet ex purgatorio, donec exoluas nouissimum quadrantem, hoc est, minima peccata, minima ve peccatorum debita. Vel non exies inde, nempe ex sceleratorum inferno, donec persoluas nouissimum quadratē, hoc est, nūquam. Quia in inferno propter obstinatum in peccato voluntatem, & gratiæ priuationem, nulla contingit solutio, ne minimi quidem quadrantis. Quòd autem hæc vera propriaque loci huius sit sententia, id suadet non solum ipsa Evangelici contextus capacitas, & amplitudo, & præcipuè temporale illud aduerbium, donec; sed quorundam quoque illustrium Patrum autoritas.

Cyprianus: Non quia adultero poenitentia, ac venia laxatur, continentie vigor frangitur. Aliud est adveniã stare, aliud ad gloriam peruenire. Aliud missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem: aliud fidei statim & virtutis accipere mercedem. Aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud

aliud omnia passione purgasse. Confert hinc adulteros poenitentes cum integre carnis & mentis virginibus, asseritque hos statim ad gloriam admitti, illos verò non statim, sed prius in carcerem, & in ignem purgatoriū mitti, donec exoluant nouissimum quadrantem. Nam quòd adulteri, & alij cuiuscunque conditionis scelerati verè poenitentes, non mittantur in carcerem, vel in ignem tartareum, extra controuersiam est.

Eusebius Emisenus: Hæc poena infernalis illos manebit, qui amisso, & non seruato Baptismo, in æternum peribunt, ad quos dicetur, vt eant in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hi verò, qui temporalibus poenis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quòd non exeunt inde, donec reddant nouissimum quadrantem, per fluuiū igneum, de quo propheticus sermo commemorat, Et fluuius rapidus, qui currebat ante ipsum, per vada feruentibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeunti mōra. Quòd hæc quoque ad infernum nequeant referri, euidentis est. Nam aliàs nihil inter eos intercederet, qui æternis, & qui temporalibus poenis digna gesserūt: inter eos rursus, qui gratiam Baptismalem amiserunt, & qui eandem retinuerunt: inter herere denique semper, & pertransire. Atqui isthæc omnia sunt absurda, & euidenter falsa.

Origenes: Quauis promittatur exeundum esse quandoque de carcere, tamen designatur non ibi exiri posse, nisi reddat nouissimum quadratē quisque. Quòd si etiam quadrantis, quæ est minima peccati poena, non remittitur, nisi in carcere per suppliciū luatur, quomodo quis spe impunitatis resoluitur? Hæc Origenes præclare. Nec infirmaueris hunc locum, si dixeris illum omnibus salutē promittere. Nam si huc tenderet, frustra secerneret inter minuta & grandia peccata, quod hinc facit: frustra inter aurum & plumbum, inter plumbum rursus & lignum, frustra inter stipulam & ferrum, quod facit alibi.

Hieronymus: Quadrans, genus est nummi, qui habet duo

nn 3 minu-

Verè poenitentibus nō debetur infernus.

Hom. 3. de Epiph.
Matth. 27.

In Epist. ad Rom.

In eund. loc.

minuta. Vnde in alio Euangelio, mulier illa pauper, & vidua dicitur misisse quadrantem in Corbonam: & in alio loco duo minuta, non quòd dissonet Euangelium, sed quòd vnus quadrans duos minutos nummos habeat. Hoc est ergo, quod dicit: Non egredieris de carcere, donec etiam minima peccata persoluas. Atqui peccata minima non plectuntur in inferno, nisi forsàn per accidens, quatenus nimirum coniunguntur cum maximis. Plectuntur ergo eiusmodi minutia ac stipulae, vel paleae, in purgatorio.

Ad cap. 12.
Luc.

Ambrosius: Non otiosum est, quòd non æra duo, nõ assen, non denarium, sed quadrantem hoc posuit loco. Quadrantaria enim permutatio, velut quædam est compensatio, cum aliud redditur, & aliud significatur solutum. Ita & hîc, aut precio charitatis redimitur iniuria, aut iniuriæ estimatione poena laxatur. Quadrantem autem in balneis dari solere reminiscimur, cuius oblatione, vt illic vnusquisque accipit lauandi facultatem, ita & hîc accipit eluendi. Quia vnus cuiusque peccatum superscriptæ genere conditionis eluitur, cum tam diu noxius exercetur poenis, vt commissi supplicia erroris expendat. Certè hæc supplicia, hæ poenæ quadrantariæ non sunt tartaræ: Nam hæ nullam relaxandi, nullam eluendi vim habent, quadrantariæ autem habent. ait enim: Iniuria, aut precio charitatis redimitur, nempe in hac vita; aut poenæ estimatione laxatur, videlicet in altera vita, quod infrà quoque balneari epidigmate confirmat. Sunt igitur hæ poenæ purgatoriæ.

Ser. de obitu
Munber.

Bernardus: Volat, fratres, irreuocabile tempus, & dum creditis vos cauere istam poenam minimam, incurritis amplio rem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgatorii locis centupliciter, quæ hîc fuerant neglecta, redduntur vsque ad nouissimum quadrantem. Scio ego quàm durum sit homini dissoluto, apprehendere disciplinam; verbofo, silentium pati, vagari solito, stabilem permanere: sed durius, & multò durius erit, futuras illas molestias tolerare. Et hîc difertè

fertè exponitur, quadrararias noxas vsque ad vltimam in purgatorii locis olim expèdendas esse, & id quidem magno cum foenore. ait enim: Centupliciter, quæ hîc fuerant neglecta, ibi reddenda esse. Similia comperias apud alios loci huius interpretes, sed hæc in rem præsentem fat sint. Qui enim Cypriani, Origenis, Eusebij Emiseni, Hieronymi, Ambrosij, nec non Bernardi auctoritate non mouentur, multò minùs mouebuntur, si alij recentiores testes accersantur.

Facit ad idem & illud Apostoli quoque: Alioqui quid facient, qui pro mortuis baptizantur, si omnino mortui nõ resurgunt? Vt quid baptizantur pro illis? Vt quid & nos periclitamur omni hora? Vt Baptismi notio latè in Scripturis patet; (Nam & pro simplici immersione vsurpatur: & pro sacra vel sacramentali rursus ablutione: & tandè pro corporis animi ve cruciatu, si uè is ab altero inferatur, siue spontè suscipiatur.) Ita hic Apostoli locus, in quo Baptismi fit mentio, non vno quoque modo ab omnibus exponitur. Sunt enim, qui idem esse dicant, pro mortuis baptizari, quod Apostolorum Symbolum pro mortuis recitare: aut certè Baptismum pro peccatis suscipere. Sed vtraque expositio ab Apostoli mente est aliena. Illa quidem: nam si idem est pro mortuis baptizari, quod Apostolorum Symbolum recitare, propterea quòd resurrectionis carnis hîc fiat mentio, dicere quoque licebit, qui baptizantur, pro patre quoque, vel filio, vel Spiritu sancto baptizari: quando quidem horum omnium expressa fit hîc mentio, mortuorum autem nulla omnino. Hæc verò: quia licèt peccata appellentur opera mortua, absolutè tamen non vocantur mortui. Ad hæc nemo in peccatorum fomentum, aut còmodum Baptismo se subijcit; sed quotquot Baptismi Sacramento sese subijciunt, in peccatorum interitum, eorundemque expiationem, & internecionem huic sese subijciunt: at præpositio, pro, fauorem ac commodum denotare solet. Denique si mortuorum nomine designantur peccata, aperte consequitur, peccata vnus propter alterius Baptismum resurgere:

surgere: habetur hîc enim, Si mortui non resurgunt, quid faciunt, qui pro mortuis baptizantur? Vtraque itaque hæc expositio est inepta, & sensui Apostolico planè dissentanea.

Sunt alij igitur, qui existimant aliud nihil esse pro mortuis baptizari, quàm vero Sacramentalique Baptismo Christi mortem & resurrectionem repræsentare. Sed hæc interpretatio Apostoli sensum planè peruertit. Nec enim is probare voluit Christum resurrexisse; sed nos olim resurrecturos esse: Isti autem sua illa expositione nō nostram, sed Christi resurrectionem stabilire & confirmare volunt. Interpretantur enim Apostolum hunc in modum: Si mortui, hoc est, Christus mortuus nō resurrexit, vt quid baptizamur pro illo, hoc est, mortem & resurrectionem illius nostro Baptismo exprimimus & repræsentamus?

Propiùs in veritatis scopum collimant, tametsi eundem non attingant, qui eam apud Corinthios cōsuetudinem obtinuisse prædicant, vt si quis nō initiatus è viuis excederet, statim alius quispiã, tametsi iam antè Baptismo expiatus, defuncti loco Baptismum susciperet. Verùm etsi hi aliquid ad rem faciens, vt paulò post planum fiet, adferant: neutiquam tamen verisimile fit, Apostolorum tempore insanum hunc errorem in Corinthiorum Ecclesiam irrepisse: At multò verò incredibilius fit, Apostolum eundē non dissimulasse solùm, sed in futurę quoque resurrectionis argumentum assumpsisse. ait enim: Si mortui non resurgunt, quid etiam baptizantur pro illis?

Posthabitis igitur hisce sensibus, & interpretationibus, ceterisque similibus, quæ ex prima & secunda Baptismi notione quouis modo petuntur, perperamque in eadem fundantur, ad postremam vocis significationem, tametsi minùs propriam, (sapit enim metaphorā) quod Apostolus scribit, referendum est. Germanus enim loci huius sensus, veraque, & legitima eiusdem interpretatio eiusmodi est: Si mortui non resurgunt, non solùm secundùm carnem, verùm etiam secundùm Spiritum,

ritum, hoc est, ex peccatis, & peccatorum reliquijs, vt quid etiam pij homines, & præcipuè sanguine coniuncti, pro mortuis baptizantur, hoc est, precibus, ieiunijs, vigilijs, alijsque id genus crucibus, & pietatis officijs mortuorum causa sese affligunt? quasi dicat: Si mortui non resurgunt, vel istæ mortuis nihil profunt, incassum illorum gratia perficiuntur: at non suscipiuntur incassum.

Quauis autem hæc Baptismi acceptio non sit omnino propria, non est tamen noua, aut in Scripturis inusitata. Nam Christus Dominus semel atq; iterum ea vsus comperitur. notum est enim illud Luca: Ignem veni mittere in terram: & ^{Cap. 12.} quid volo, nisi vt accendatur? Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur? Clarum ^{Cap. 10.} est autem non de mersione aliqua, aut sacramentali ablutione; sed de cruciatibus & miserijs, quas salutis nostræ causa perpassurus erat, Christum loqui. Tale est & illud Marci quoque: Potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? hoc est, crucē & laborem, quem ego ^{Cap. 10.} perpassurus, & exantlaturus sum, perferre, & exantlare? De cruce enim hîc est sermo, non de mersione: hæc autem aptè, etsi metaphoricè, per Baptismum designatur. Nam aqua mer- ^{Cruz aptè designatur per Baptismum.} gi, etiã si non submergaris, hoc est, aquarum vi præfoceris, sed mersus denuo emergas, non caret sua molestia.

Per Baptismum itaque metaphoricòs significatur veteris hominis mortificatio, carnisque castigatio, & omne præterea illud, quod expiandi vi pollet; siue illud ieiunium sit, siue oratio, siue vigilia aut chameunia, siue aliud quodcunq; huiusmodi. Hinc quoq; Epiphanius, Damascenus, Nazianzenus, & alij itidem nonnulli poenitentiam laboriosi Baptismi nomine designant: alij lachrymarum lauacrū appellant. Hæc quoq; interpretatio in Machabæorum locum, quem paulò post in me- ^{Metaphorica Baptismi notione totū id designatur, quod expiandi vi pollet.} dium adferemus, quàm optimè quadrat, viresq; & robur non modicum ex illo mutuatur. Nam vt ibi scribitur, Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, vanum videretur, & super-

fluum orare pro mortuis, vt à peccatis soluantur: ita hîc legitur: Vt quid etiam baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? quasi dicat: Nullo fructu hæc illis impenduntur, si secundum vtrunque hominem resurgere non possunt. Conuenit & cum ijs quoque, quæ proximè hæc consequuntur. Subdit enim Apostolus: Vt quid & nos omni hora periclitamur? & paucis interiectis: Si ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? quod perinde est ac si dicat: Vt quid me affligo, quid, aut vestra, aut mei ipsius, aut mortuorum quoque causa me macero, (triplicem enim crucem ordine hîc exponit) si non est resurrectio mortuorum? aut si isthæc omnia, quæ patior, mortuis, vt à peccatis, eorum ve reliquijs resurgant, non profunt? Nam ad carnis resurrectionem isthæc non proderant, nec prodesse quoque poterant; vt quæ certò esset euentura. Quauis & de carnis quoque resurrectione hîc disputet. Conuenit tandem grauium quorundam Theologorum sententiã.

Sed quia aduersa pars secundam fortassis expositionem vregit, obnixè contendens, Corinthios non se pro mortuis afflixisse, sed mortuorum causa baptismata quædam vsurpasse: (Nam tale quippiam Epiphanius & Ambrosius innuere videntur) age & hæc quoque interpretatione illi largiamur. Sed nunquid ob id omnem loci huius vim ac neruum eneruabit? Minime gentium. Siquidem hoc ipso, quod Iudei Corinthij ad fidem conuersi, maiorum traditione secuti, in defunctorum gratiam quibusdam baptismatis, ac lustrationibus se expiabant, viuorum suffragia defunctis prodesse posse aperte declarabant. Nam nisi firmiter id persuasum habuissent, nunquam eam operam sumpsissent. At quibus prodesse posse persuasum habebant? Non vtique beatis: beati enim ijs presidij non egent: multò verò minus damnatis, quia illis prodesse nihil quicquam possunt: ergo illis, qui illorum iudicio mediū statū inter beatos & damnatos obtinebant, quales sanè sunt illi, qui detinentur in purgatorio.

Planius aliquantò hunc Iudæorum ritum edisseram, facit enim

enim ad rem presentem non parum. Scriptum extabat: Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus: aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israel: quia aquis expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum. Hæc ibi. Ne ij igitur, qui citius è viuis excefferat, quam eiusmodi legali expiatione potirentur, aliquod in altera vita salutis detrimentum ex talismodi iactura caperent, Iudei genere propinqui, vel alia necessitudine cõiuncti aspersiones, quas illi intempestiua morte preuenti suscipere nõ potuerat, in defunctorum gratiam per legales sacerdotes sibi adhiberi curabant. Hic autem expiandi, seu baptizandi pro mortuis ritus, vt alij quoque multi, Apostolorum etate etiamnum obtinebat: necdum enim per id tempus Synagoga sepulta erat. Quamobrem Apostolus illum nõ improbat, sed in resurrectionis testimonium allegat. Ita hunc Apostoli locum exponit Ephrem Syrus, ita Eustratius Presbyter Constantinopolitanus, ita Apollinaris, & alij ex Græcis nonnulli.

Ephrem Syrus: Si mortui non resurgunt, ait Apostolus, vt quid baptizantur pro mortuis? Etenim qui sub lege viuebant, propter resurrectionis spem in mysterio tenebantur conclusi in eam fidem, quæ reuelata erat, sicut legistis. Quandoquidem sacerdotes legis in oblationibus culturæ mundabant. Subdit deinde: Quod si hoc illi poterat, multò magis noui Testamenti Sacerdotes debitum mortuorum sanctis precibus & oblationibus dissoluere poterunt. Hactenus Ephrem, cuius auctoritas, teste Hieronymo, apud veteres tanta erat, vt eius scripta post Scripturarum lectionem publicè legerentur in Ecclesijs. Eodem modo, eisdemque penè verbis, interpretatur hunc locum Eustratius Constantinopolitanus.

Apollinaris interpretans illud Numerorum, Si mortuus fuerit

Ad cap. 19.
Nume.

rit sine hac emundatione, polluetur, & immunditia eius manebit super eum. Hęc, inquit, est validissima ratio cōtra Samaritanos. Etenim nisi esset post mortē ratio munditię & immunditię, nunquam legislator de mortuo dixisset: Si mortuus fuerit sine hac mundatione, immunditia manebit super eum. Hęc Apollinaris. Scripturam itaque negat, & cum Samaritanis facit, qui negat mortuos à leuiorum macularum sordibus non posse post mortem expiari, quō mundati resurgant, recepturi propria corporis prout gesserunt.

Epiphaniū & Ambrosiū missos hęc facio. Vterq; enim subindicat Corinthios nō legali, sed sacramentali Baptismo mortuorum causa fuisse vsos: quod iam antè improbatū, & quidem iure meritoq; improbatū est. Quare etiā Epiphanius sententiā suā retractat: subijcit enim Corinthios nō seipfos pro mortuis baptizasse; sed ex Christi, & Apostolorū traditione morti vicinos, ne videlicet secūda resurrectione frustrarentur, in peccatorū remissionē baptizare solitos fuisse. Sed sanè aliud est mori, vel animam agere, aliud mortuū iam esse. Corinthij autē, vt hęc legitur, nō baptizabant morientes, sed ipsi baptizabantur *ὡς περὶ νεκρῶν*, hoc est, pro mortuis. Ambrosius autē opinionem suam mitigat: ait nanq; Corinthiorū fidē Apostolo placuisse, factum autē displicuisse. Verūm, quod cum tanti Patris venia dixerim, Apostolus nihil hęc improbat, imò totū disertè approbat, & in resurrectionis argumentū allegat. Perstandū est ergo in ea sententia, quę asserit Corinthios non se aquis materialibus, vel elementaribus pro mortuis abluisse; sed aquis tribulationū, & mortificationū: & hoc studium Apostolū per omnia probasse, & in vtriusq; resurrectionis argumentū assumpsisse. Vel in ea certè, quę ponit non aqua Sacramentali, sed legali mortuorum causa se expiasse: neq; istuc ab Apostolo improbatum fuisse. Deniq; quicquid tandē mortuorum causa fecerint Corinthij, (in hoc enim non magnam vim faciendā existimo) certum est firmiter illis persuasum fuisse, hoc ipsum quod faciebant, mortuis prodesse. At ijs solis prodesse id poterat, qui detine-

detinebantur in Purgatorio. Credebant itaque Corinthij certò aliquem quoque post hanc vitam purgationi locum esse. & hanc fidem probat Apostolus, & in resurrectionis argumentum allegat.

Cognatum huic est illud Matthæi: Ego, inquit, Ioannes, baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Hęc beatus Hieronymus: Siue quia ignis est Spiritus sanctus, vt Acta Apostolorum docent: siue quia in præsentib; baptizamur Spiritu, & in futuro igni, Apostolo quoque huic sensui congruente. Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. At hunc Apostoli locum ad ignem purgatoriū pertinere, fusè ostensum est iam antè. Eodem modo ante Hieronymum exponit hunc Euangelistę locum & magnus Basilius quoque, & vtroque clariùs Glossa ordinaria. Ipse, inquit illa, Spiritu abluit in præsentib;, postea, si qua macula surrepserit, igne purgatorio ad purum exurit. Sed & Bedas quoque ad tertium caput Lucę commentans, huic interpretationi neutiquam obscure subscribit, ait enim: Sunt qui ita exponunt, In præsentib; Spiritu, in futuro baptizamur igne: Vt sicut nunc in remissionem omnium peccatorum & aqua & Spiritu renascimur; ita & tunc de leuius quibusdam peccatis, purgatorij ignis baptismate mundemur. Hęc Beda non tam ex sua, quam ex sua quoque, quàm ex veterum sententia.

Fauet eidem interpretationi & ipse contextus quoque. Agitur hęc enim de electis, qui à paleis segregantur, & repurgantur, repurgatiq; in cœlesti horreo reconduntur. Nam etsi palearum nomine reprobi designentur, hoc tamen non impedit, quò minùs peccata illa, quę Apostolus per lignū, fœnum, & stipulam insinuat, paleas quoque appellare liceat. Segregat has enim ignis à tritico, vt scoriam ab auro. Nec obstat rur-

Lib. de Spiritu. c. 15.

Palarum nomine designantur reprobi, & leuia quoque errata.

sum ignem, in quem eiusmodi paleæ conijciuntur, inextinguibilem hîc appellari. Nam & ipse quoque purgatorius ignis secundùm se inextinguibilis est, vt qui secundùm speciem idem cum infernali existat. Dicitur tamen hic extinguiibilis, quia iustos non semper punit. Appellatur hic ignis inextinguibilis, inquit Remigius, ad differentiam purgatorij, qui ad tempus accenditur, & tandem extinguitur, quia nimirum non semper habet, quos purget & exerceat. Tandem licet per paleas simpliciter accipiamus homines charitate vacuos, vt vîtatius accipi solet, adhuc quæ de purgatorij ratione hîc allata sunt, non infirmantur: Patres enim, qui locum hunc ad purgatorium referunt, non faciunt vim: in permundatione tritici, aut palarum exustione, sed in Baptismo ignis.

Cap. 2. » Huc facit & illud Actorum quoque: Hunc definito consilio, ait Petrus, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis: quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Et si hæc Scriptura suas quoque difficultates secum adferat, certum est tamen de inferni propriè dicti, hoc est, de damnatorum doloribus, & cruciatibus, verè exponi non posse: Si quidem damnatorum cruciatus secundùm ordinariam Dei legem nunquam soluantur. Aequè certum est, de doloribus, quos anima Christi secundùm seipsam apud inferos pertulit, id accipi non posse. Quandoquidem omnes Christi dolores consummati fuerunt in cruce. Vnica enim ille oblatione consummauit omnia. Sed neque locus hic ad patrum limbum commodè quoque referri potest: Nam etsi illi apud inferos degerent, gloriæque expertes essent, ab omni tamen sensibili poena immunes erant.

Cùm igitur, quod Apostolus dicit, ad sceleratorum infernum referri non queat, nec rursùm ad puerorum limbum, (nam horum quoque dolores nunquam soluantur) nec denique ad patrum limbum: necessarium est vt ad eos dolores refe-

Damnatorum dolores ordinaria lege nunquam soluantur.

referatur, quos Christus in suis membris patiebatur in purgatorio. Hos enim ille aduentu suo, vel in totum, vel certe in partem soluit. Atque ita hunc locum non semel exponit Augustinus: Nondum, ait, inuenisse me confiteor, inferos appellatos, vbi iustorum animæ requiescunt. Et Christi quidem animam venisse ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, vt eos solueret à tormentis, quos esse soluendos occulta nobis sua iustitia iudicabat, non immeritò creditur. Quo modo enim aliter accipiendum sit, quod dictum est, Quem Deus suscitauit ex mortuis, solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis: non video, nisi vt quorundam dolores apud inferos eum soluisse accipiamus, ea potestate, qua Dominus est, cui omne genua flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Ab his non multum abluunt, quæ alibi eundem in locum commentatur. Si, inquit, causa quæritur, cur voluerit venire in infernum, vbi dolores illi essent, quibus teneri omnino non poterat: hoc quod scriptum est, Solutis doloribus inferni, non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos ista liberatione iudicabat: vt neque frustra illuc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus, qui ibi tenebantur inclusi: nec tamen sit consequens, vt, quod diuina quibusdam misericordia iustitiæque concessit, omnibus concessum esse fatendum sit. Hæc ibi, & alia in eandem sententiam multa. Cùm ergo isthæc ad patres qui limbum obtinebant, ipso iudice & teste, referri non debeant, neque ad damnatos referri queant: (Hi enim vt salutis sunt exortes, ita nullius quoque solutionis sunt capaces) oportet ad eos simpliciter referre, qui in purgatorio detinebantur: siue illos omnes inde liberârit, siue illos tantum, qui peculiari aliqua deuotione, cùm in viuis adhuc agerent, promeriti id fuerant. Quod autem ex instituto de talibus istic agat, & non de damnatis, id inde euidenter fit, quod in eadem illa Epistola seriò in dubiũ verset, omnes ne aduentu suo ex illo inferno liberâisset, an aliquos tantum. At qui

Lib. 12. c. 35.
super Genes.

Act. 2.

Phil. 2.

Epist. 99.

qui Augustinus nūquam ita delirauit, vt, totum 'ne damnatorum infernum suo descensu exhaustisset Christus, an partem illius tantum, in seriam quæstionem vocaret: Rursum, an totum patrum limbum euacuasset, an partem limbi solum. Certo enim nōrat hos omnes inde exemptos, illos contra omnes ibi relictos esse. Dubium autem apud ipsum erat, purgatorium 'ne totum, an tantum partem illius spoliasset.

Lib. 1. hæref. vlt.

Augustino, præter Epiphanium, astipulatur & Gregorius quoque, tametsi Gregorius huc magis propendeat, vt omnes inde exemptos existimet. Epiphaniij oratio sic habet: Christus venit, vt his quidem, qui olim ipsum cognouerunt, & ab ipsius deitate non aberrauerunt; verum propter errores, hoc est, peccata quædam non ex malitia, sed ex inscitia orta, in inferno detenti erant, indulgentiam largiretur. His quidem, qui adhuc in mundo sunt, per poenitentiam; qui verò in inferno, per misericordiam & salutem. Hæc Epiphanius. At apud omnes catholicè sentientes indubitatum estimo, Christum descensu suo ad inferos neminem ex damnatorum inferno eripuisse. Constat enim nullam hîc esse redemptionem, nullam salutem, nullam misericordiam liberantem. Gregorius verò exponens illud Ioannis, Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, hunc in modum concionatur: Omnia traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. At nemo ambigit eos, qui in purgatorijs locis detinentur, electorum numero, & loco haberi. Secundum Gregorium itaque nullus Christo resurgente in purgatorio relictus est.

Act. 2.
Psal. 15.

Dices: Græcos nō inferni, sed mortis doloribus solutis, hîc legunt. Non inciamur recentiora quædam exemplaria Græcalo loco *αδδ, θανδδδδ* hîc legere. At omnia interim antiqua communi lectioni fauent. Fautent eidem & ea quoque, quæ locum hunc proximè consequuntur. Subditur enim: Non derelinques in inferno animam meam, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. & paucis interiectis rursum: Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus, de

de fructu lumbi eius sedere super sedem eius: prouidens locus est de resurrectione, quia neque derelictus est in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Fauet tandem, præter veteres Theologos, & ipsa quoque Syriaca editio. Legit hæc enim in hunc modum: *אלהא דין אמיבויא רשנא חבליה בשיוול* Deus, ait, exuscitauit illum, inferniq; vincula dissoluit. Denique vulgata editio, non solum longo iam vsu recepta est, sed Synodi quoque Tridentinæ calculo, veluti germana, & propria, & ad argumentandum idonea nouissimè approbata. Mitto hîc inferorum mala mortis nomine non infrequenter designari: tum recenti hac lectione locum euidentem, quo Christi ad inferos descensum confirmamus, citra vllam causam nobis adimi. Non est ergo temere à communi, receptaque recedendum.

Spectat huc rursum & illud Lucæ quoque: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Constat enim Christum Dominum ad eleemosynas, cæteraq; charitatis officia proximo egenti impendenda, ex instituto hîc exhortari: eorundemq; operum vim & fructum, quem post hanc quoque vitam sortiri interdum solent, exponere. ait ergo: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cum defeceritis, videlicet per mortem, & subsidia ad tantum iter expeditè conficiendum necessaria vobis defuerint, illi ipsi amici, siue in viuis adhuc existant, siue cum Christo iam in coelis triumphant; quos de iniquitatis mammona, dum per tempus licebat, vobis comparastis, recipiant vos in æterna tabernacula, hoc est, vt suis vos precibus & suffragijs abeuntes prosequantur; quò nimirum tempestiuus, & expeditus ad æterna illa tabernacula admit- tamini: Valent enim eleemosynæ non solum ad impetrandum bonum animi motum per eorum intercessionem, qui illarum commodis potiuntur, sed ad relaxandas quoque poenas debitas, cum in hoc seculo, tum etiã in futuro. Et in hunc scopum hîc tenditur. Siquidem omni ex parte perfecti his amicorum

Cap. 10.

Eleemosyna ad vtrunque valent: cum ad impetrandum bonum animi motum, tum etiam ad poenarum debitarum mitigationem.

pp

opibus,

opibus, & adminiculis, vt in æterna tabernacula recipiantur, non indigent: damnati autem subleuari his non valent: restat proinde vt illi hisce subleuentur, & ad salutis portum promoveantur, quibus aliqua adhuc perfectæ puritatis portio deest; cuiusmodi sunt, qui in purgatorio poenas luunt. Ad hunc sensum nequaquam obscure alludit Hieronymus in epitaphio Fabiolæ. Quodam, scribit ibi, futurorum præfagio ad multos Fabiola scripserat monachos, vt venirent, & se graui onere laborantem absoluerent, faceretq; sibi de iniquo mammona amicos, qui eam reciperent in æterna tabernacula. Venerunt, amici facti sunt: dormiuit illa, quomodo voluit, & deposita tandem sarcina leuior volauit ad cœlum.

1. Cap. 5. » Et illud tandem Apostoli Ioannis: Qui scit fratrem suum
 » peccare peccatum non ad mortē, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo
 » dico vt roget quis. Est sanè hic locus non parum difficilis, qui proinde non paucos exercuit, & etiamnum exercet nonnullos: attamen ex perpetuo Ecclesiæ vsu, perpetuāq; eiusdem praxi, & ex alijs quàm plurimis Scripturæ locis, certum est hîc de ijs peccatis non agi, in quibus quispiam in hac mortali vita etiamnū volutatur. Exploratū est enim nullum peccatum esse tantū, quod per verā poenitentiam in hac vita aboleri nō queat, & de quo rursus per Christi gratiā dolor, & poenitētia obtineri non valeat. Et oppositū dicere, est manifestis Scripturarum oraculis sese opponere, & ingentē Dei misericordiā, profusamq; Christi Redēptoris gratiā apertè blasphemare. Quia ergo omne omnino peccatū in hac vita remitti potest, licet non omnia remittātur, & ea, quæ in Spiritū sanctū committuntur, difficulter remittūtur: fit vt pro cuiusuis sceleris relaxatione Deū Opt. Max. interpellare liceat; sicut & pro cuiusuis quoq; scelerati conuersione, dū in viujs adhuc agit. Ast hîc clarè docetur, pro peccatis, quæ sunt ad mortem, orandum non esse.

Est itaque hîc sermo de ijs peccatis, in quibus quispiam vita defungitur. Vult enim Apostolus nos commonefacere du-

re duplex esse peccantium hominum genus. Quidam nanque capitaliter labuntur, & manifestò: & in eiusmodi capitalibus manifestisque sceleribus citra vllam veræ resipiscentiæ significationem intermoriuntur: & pro eiusmodi peccatis, vel peccatoribus non est orandum; vt pote certæ damnationi, quantum quidem ex humana coniectura constare potest, perpetuò iam obstrictis. Alij verò venialiter tantum offendunt; vel si lethaliter, ante mortem tamen certa poenitētiæ signa edunt: & pro illis non solum viujs, verum etiam defunctis, orandum est. Nam etsi mortaliter peccarant, non tamen ad mortem, hoc est, vsque ad mortem inclusiue. Apparuerunt enim certa quædam resipiscentiæ in illis indicia ante mortem; aut certè non apparuerunt opposita. Cùm ergo pro defunctis, vt à peccatis soluantur, orare liceat, & Ecclesia pro eiusmodi orare, & sacrificare soleat; & non pro ijs, quos impoenitentes, vel originis peccato contaminatos hinc excessisse existimat: nec pro ijs rursus, quos rectà hinc ad cœlos euolasse persuasum habet, exempli causa, pro Martyribus, aut infantibus post susceptum Baptismum statim extinctis: consequens fit vt pro eorum salute & liberatione orandum sit, qui hinc cum venialibus, aut mortalium reliquijs excesserunt: Cuiusmodi sunt omnes illi, qui detinentur in purgatorio. Atque ita ex hoc quoque loco, locum inter cœlum & infernum medium existere, liquet.

At cuius, inquis, est hæc interpretatio? Est ipsius Scripturæ. Hæc enim impijs, & peccatoribus, quacunque tandem hora peccatorum admissorum causa ingemuerint, peccatorum remissionem certò promittit. Dominus quoque iniuriam fratrem (modò tamen iniurius esse deserit, veniamque petierit) non semel tantum, aut iterum in gratiam vult recipi, sed septuagies septies. Est Augustini, & aliorum veterum. Neque enim hialiter interpretantur peccatum ad mortem, vel peccare ad mortem, quàm fidem, quæ per dilectionem operatur, ad mortem vsque deserere, hoc est, in infidelitate, aut alio

Duplex est hominū peccantiū genus: alterum poenitentiæ signa præ se ferens, alterum obduratum.

Ecclesia non orat pro certò damnatis, aut beatis.

De corrup. & grat. c. 12. & de fal. poenit. cap. 4.

quocumque vitio charitati contrario, ad mortem vsque perfistere. Qui ergo fidem & charitatem ad mortem vsque retinent, esto cum leuibus quibusdam erratis, aut cum nonnullis quoque poenarum debitis hinc emigrent, illi communibus viuentium precibus, & suffragijs iuuari possunt: atque ideo orandum est, vt ab eiusmodi vinculo absoluantur; vt qui ad mortem non peccarint. Siquidem peccatum ad mortem, vtranque mortem includit, spiritalem videlicet & corporalem. Nec quisquam peccat ad mortem, vt Ioannes de peccato ad mortem hinc loquitur, in hac vita; sed tum demum, cum viuendi finem fecit.

Nemo peccat peccatum ad mortem in hac vita.

Mittimus cetera, quod suum quoque veteribus Scripturis locum hic concedamus. Neque enim Catholica & Apostolica Ecclesia tantum purgatorium agnoscit, & credit, creditque, & agnouit semper, sed ipsa quoque Synagoga. Nec sola rursus Euangelica & Apostolica scripta orthodoxe huic veritati luculenter attestantur, sed veteris quoque Testamenti volumina: & inter haec, non ea tantum, quae res gestas illius populi complectuntur, sed ea etiam, quae Prophetarum praedicationes, & oracula comprehendunt.

Quaedam peccata post excursum vitae huius stadium in altero saeculo puniri, & expiari, ostenditur ex veteri Testamento.

CAPVT SEPTIMUM.

Inter omnia veteris Scripturae testimonia testatissimum, & luculentissimum est illud, quod in altero commentariolo in ipsa statim disceptationis acie, & quasi frontispicio constitueramus. habet autem illud hunc in modum: Sequenti die venit cum suis Iudas, vt corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, quae apud Iamnam

2 Mach. 12.

22

23

24

Iamnam fuerunt, a quibus lex prohibet Iudaeos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conuersi, rogauerunt vt id, quod factum fuerat delictum, obliuioni traderetur. At vero fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quae facta fuerant pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Et facta collatione duodecim milia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium: bene & religiosè de resurrectione cogitans, (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur. Haec haecenus ex posteriori Machabaeorum libro.

Complura obseruatione non in digna ex hoc Machabaeorum loco colliguntur. Primum namque palam hinc fit, parentandi ritum, quo Ecclesia Catholica & Apostolica vtitur, rem esse nequaquam nouam, quaestus causa nuper a monachis confictam; verum longè antiquissimam. Neque enim probabile fit, Iudam Machabaeum primum apud Iudaeos precum funebriumque sacrificiorum per Spiritum sanctum authorem extitisse; sed vtraque haec a Maioribus accepta patrio ritu & more usurpasse. Mox, non pro omnibus promiscue orandum, aut sacrificandum esse; sed religiosissimi principis huius exemplo, proijs duntaxat, quos morali coniectura cum pietate dormitionem accepisse, vel peccatum non ad mortem peccasse constat. Hinc mortem etiam vi allatam, nedum ex febre, aut paralyfi, vel alia quacunque miseria, aut egritudine consecutam, non quaeris statim peccatorum vestigia inducere: Quandoquidem hoc loco eorum quoque saluti precatione & sacrificeatione consultum est, qui pro patriae religione strenue pugnando vitam fecerant. Quarto, panem iustorum tumultis inferre, pre-

Ritus orandi pro mortuis vetustissimus.

Non pro omnibus defunctis orandum.

1. Ioan. 5.

Mors non tollit omnem semper peccatum.

Tob. 4.

Piū opus est orare pro defunctis, vt à peccatis absoluantur.
 cibusque & eleemosynis eorundem spiritibus supplicias ire, opus esse nequaquam superstitiosum; sed pium, Christianæque religioni quàm maximè consentaneum. Etenim missis mille à Iuda in funebre sacrificium drachmis, subditur: benè illum & religiosè de resurrectione cogitasse.

Triplex Suffragiorū genus apud veteres vsitatum.
 Quintò, ἐπινοία illam, qua & animo concipimus, & opere, si qua occasio obtulerit, testatum facimus, eiusmodi viuorū suffragia iustorum spiritibus ad gloriam nondum admissis prodesse, salubrem esse, & sanctam, ait enim: Sancta & salubris est cogitatio orare pro defunctis, vt à peccatis soluantur. Sancta, quia rationi, & charitatis legi oppidò consentanea. Dilectio enim, si ardens est, ad omnes, de quibus benè mereri potest, sese diffundit. Salubris verò, quia non ijs tantum profunt eiusmodi pietatis officia, quorum causa prestantur; sed ijs etiam, qui prestant, imò his magis, quàm illis; & ceteris præterea omnibus, qui per isthæc ad similia prestanta excitantur. Sextò & postremò, inter omnia suffragiorum genera principem locum obtinere preces, eleemosynas, & sacrificia. Quare primò
 » omniū precibus hîc insistitur. scribitur enim: Omnes ad preces conuersi, rogauerunt vt id, quod factum fuerat delictum, obliuioni traderetur, hoc est, simpliciter condonaretur: neque diuturniore animaduersione plecteretur. Mox stipe viritum
 » corrasa, ingens eleemosyna conflat. subditur nanque: Et facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. Postremò ipsum sacrificium offertur. Nam etsi istuc hoc loco non exprimaturn factum tamen esse dubium nullum est. Et vt maximè oblatum non sit, nobis tamen sat est, vt fieret, per Iudam & ceteros seriò iussum esse; & vt piè, ac honorificè fieret, copiosam quoque eleemosynam ab iisdem subministratam fuisse.

Quòd si legalia sacrificia, quæ Apostolus e gena elementa alicubi vocat, non ad viuos tantum, sed ad ipsos quoque mortuos vires suas extendebant, vt ex hoc loco meridiano Sole fit

fit clarius: quid de incruento illo altaris sacrificio, quod ipsum vitæ authorem verè, realiter, substantialiterque in se continet, nos cogitare par est? Rectè proinde veteres illi Theologi, dum de suffragiorum ratione, & viribus disputant, tribus hoc loco disertè traditis primas deferunt, & inter tria hæc prima, primas altaris sacrificio. Orationibus sanctæ Ecclesiæ, inquit Augustinus, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorū peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro ijs, qui in corporis & sanguinis communionem defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Præterea alios, siquidem hoc loco de suffragiorum vi ex instituto non disputamus, sed loci huius grauiissimi occasione obiter tantum in eorū mentionem incidimus. Voluimus enim ostendere, quæ de triplici suffragiorum genere in Ecclesia traduntur, & tradita vsurpantur, ea in hoc loco, & ex hoc loco solidum fundamentum habere. quauis non ex hoc loco solum. Est igitur hic locus euidentissimus, & ad constituendum purgatorium longè efficacissimus.

Nec quispiam Iudaizans, aut Samaritanum agens, libri huius auctoritatem hîc mihi nunc vellicet, aut vim eius in controuersiam vocet. Nam etsi Machabæorum libri, & alij præterea nonnulli, cæteris quibusdam aliquantò seriùs inter Canonicos locum obtinuerint; omnes tamè eodem è fonte profecturi erunt, eisdemque calculis approbati, Christianæ reipub. traditi sunt. Nec enim ab alio scripta Evangelica & Apostolica accepimus, ab alio rursus Machabæorum libros, & reliquos, de quorum fide & auctoritate olim aliquandiu dubitatum est; sed ab eodem omnes, nempe à Spiritu sancto per Ecclesiam. Vnde Synodus Africana tertia, cui inter ceteros D. Augustinus quoque interfuit: Placuit vt præter Scripturas

Canonicas nihil in Ecclesia legatur, sub nomine diuinarum Scri-

De verb. A-
post. Scr. 34.

Omnes Can-
onici libri
ex eodè fon-
te profuxerunt,
eis dèq; calculis ap-
probati sunt.

Can. 47.

Machabæorū
libri multis
modis & vi-
cibus ab Ec-
clesia appro-
bati.

In disput. de
Scip. auth.

Scripturarum. Sunt autem Canonice Scripturæ, Genesis &c. Tobias, Iudith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo, &c. Eisdem recipit & Synodus Apostolica quoq; & vniuersalis sexta, & Gelasiana Theodoretī & Zenonis principum temporibus Romæ celebrata, & Florentina, & Tridentina, & Innocentius eius nominis primus, & Zozimus, & Adrianus, & Isidorus, & Augustinus, & alij præterea complures, quorū alibi prolixè meminimus.

Sed esto, inquis, Machabæorum libri sint verè Sacri, summoque totius Ecclesiæ consensu iam olim inter Canonicos recepti, nihil id tamen ad constituendum purgatorium: quippe qui huius nusquā meminerint. Accedit huc, eiusmodi collectionem: Iudas pro cæsis peccatoribus sacrificium obtulit, erāt illi ergo in purgatorio. aut: Nos igitur illud: Iudæ factum, quasi certam legem, imitari debemus, nullius roboris esse penitus. Imò si rectè ratiocinandū est, oppositum potius illatum oportuit. Erat enim princeps ille Iudæus: Iudæorum autem ritus nihil ad hominem Christianum. Sed & superstitiosior quoque extitisse videri queat, quàm religiosior. Superstitiosum est enim preces pro ijs fundere, aut eleemosynas erogare, aut sacrificium offerre, quos in peccato extinctos esse constat. Denique aliud est, librum quempiam tanquam Catholicum, vel etiam veluti canonicum ab Ecclesia receptum esse, aliud dogmaticum, siue ad firmanda fidei dogmata idoneum esse. Ecclesia enim non eos solum libros recipit, qui ad firmandam fidem faciunt, sed eos etiam, qui ad morum disciplinam conducunt: quales ij omnes haberi possunt, quos Iudæi è suo Canone excludunt.

Hæc illi, qui cum Luthero faciunt, sed malignè & imperitè. Nam etsi purgatorij vocabulum disertè hîc non exprimitur: id tamen, quod purgatorij nomine accipiunt Catholici, disertissimè exprimitur. Nemo enim nescit sanctissimum hunc virum, fortissimumque heroa ex instituto pro ijs non orasse aut sacrificasse, quos certæ damnationi obstrictos nô-

rat:

rat: nam si id fecisset, & sciens volensque operam iussisset, & graui præterea errore contaminatum se esse apertè declarasset. At multò verò nimis pro ijs orabat, aut eleemosynas corradebat, aut sacrificium imperabat, quos tuto iam in Abrahamæ sinu collocatos credebat: his enim sua illa pietate, & deuotione nihil contulisset, neque conferre potuisset. Cùm ergo præter purgatorium aliud aduultorum receptaculū, quod illa ætate pateret, nullum omnino occurrat, cōsequens fit vt pro eorum salute preces fuderit, sacrificiumq; offerri curarit, quos probabili coniectura ductus purgatorij cruciatibus adhuc implicatos existimabat.

Vtitur autē resurrectionis vocabulo, non ea solum de causa, quò eorū errori obuiam eat, quibus impiè persuasum erat eundem esse corporum & animarum interitum: verum ob id etiam, quò planum nobis faciat, præter carnis resurrectionem, mortalibus omnibus communem, quandam esse aliam mysticam, qua anima exuscitatur à peccatis, vel eorum reliquijs, solis iustis propriam. Etenim vt duplex est mors, altera corporis, altera animæ: ita duplex quoque est resurrectio. Altera animæ ex peccato peccatiue reliquijs, de qua præcipuè hîc est sermo: vnde sub finem epilogi modo hæc subiunguntur: Sancta ergo & salubris est cogitatio orare pro defunctis, vt à peccatis absoluantur. Altera corporum ex puluere, de qua secundariò tantum hîc agitur. Nam cùm hæc sit certa, bonisq; cum malis communis, nõ est opus ob certum illius euentum, aut preces fundere, aut sacrificium offerre. Vt enim deliberatio non de ijs rebus suscipi solet, quæ aliter, ac fiunt, fieri non possunt; aut de ijs etiã, quæ nullo modo fieri possunt, aut non possunt non fieri: ita nec oratio quoque eiusmodi rerū causa solita est institui.

Rursum licet necessariò non colligat, qui hunc in modum colligit: Iudas, & qui cum eo erāt, pro cæsis peccatoribus orarunt, stipemq; in sacrificiū corraferunt, erant illi ergo in purgatorio, (poterāt enim præcipites acti esse in infernum) neces-

qq

sario

Duplex ho-
minis resur-
rectio, vt &
duplex quoq;
eiusdē mors.

faciò tamen colligit, qui ita colligit: Precatù, vel sacrificatù est pro eiusmodi peccatoribus, qui precatium iudicio & estimatione à peccatorum reatu absolui poterant, illi ergo vel erant in purgatorio, vel ab illis in illo esse credebantur. Peccarant sanè cæsi illi spolijs, quibus non licuit, clanculùm se onerantes: attamē respuisse, aut venialiter tantùm ea in re offendisse, nō solùm sacrificacione, ac precacione sua ostendit Machabæus, sed ipse quoq; literæ contextus apertè hoc conuincit: Nam alia nulla eris in sacrificium impensi ratio redditur, » quàm pietas dormientium. Scribitur enim: Et quia considerabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, opti- » mam haberent repositam gratiam.

Sed ponatur eorù peccatum veniali maius extitisse: (quod tamen nō fit verisimile. Nam quicquid rapuerant, militù more in prædam rapuerant, non in idolorum reuerentiam: Sed nec omnia quoq; legis præcepta ad mortem obligant.) ponatur nihilofecius impoenitētes mortē oppetisse, (quod ipsum quoque salua Scripturæ huius veritate poni non potest: expressè enim, cum pietate, vel piè dormiuisse, traduntur; siue quòd eorum auaritia venialis tātùm extitisset; siue q̄ Dominù, cum occiderentur, quæsiuissent) atq; ideo sempiterni ignis flāmis perpetuò mancipatos fuisse: adhuc tamē Iudas Machabæus, & qui illius exemplum, vel eiusdem quoq; præceptum secuti fuerāt, nihil superstitiosum designāssent. Nam cum citra certā reuelationē de moriētū statu certo homini cōstare nō queat, pietas & charitas suadēt, vt de proximo semper meliora, salutiq; viciniore animo cōcipiamus, nisi fortè certò, aut quasi certò de opposito cōstet. Vt si quis desperationis spiritu agitatus mortē sibi cōsciscat, aut ad finē vsq; absq; vllò omnino pœnitentiæ signo in hèresi, aut alio quocūq; lethali peccato persistat. Cum illi ergo p̄ patrijs legibus, & cęremonijs strenuè pugnantes occubuissent, nec vllā omnino impoenitentiæ significacionē edidissent: licuit, imò modis omnibus decuit, vt illa illorù causa fierent, quę recepto apud Iudęos more & ritu pro-

mor-

mortuis apud eosdē Iudęos fieri solita erāt. Deprehensa fuerūt sanè apud illos certa præuaricatę legis indicia: verùm isthęc piùm illud studiù nō dissuadebāt, sed acuebant. Si enim iustus septies interdiu cadere potest, & per Dei gratiā septies denuo resurgere, cur per eandē gratiam nō semel id poterit peccator? Quòd si pro illis tātùm orandū esset, quos certò ad purgatoriù ablegatos constaret, pro nullo vnquā, aut certè pro paucissimis orandū foret: cum vix de vllò vnquam certò cōstare possit, in cœlo ne sit, an inferno, an verò in purgatorio: & per cōsequens vniuersalis Ecclesia, & tot Sanctorum millia, quot pro defunctis orāsse leguntur, impia superstitione laborāssent.

Denique licet eiusmodi ratiocinatio, Hoc vel illud à Iuda Machabæo, vel altero quopiam designatū est, illius ergo vestigijs, quasi certę legi nobis insistendū est, meritò inualida infirmaq; habeatur: rectè tamē ratiocinatur, qui hunc in modum ratiocinatur: Iudas Machabæus pro extinctis fratribus orans, & sacrificium imperans, piùm & Catholicæ fidei cōsentaneum opus edidit, illud ergo pios & Orthodoxos omnes piè & studiosè æmulari conuenit. Quauis Catholica Ecclesia hoc solo Iudę exemplo, aut Scripturæ loco non nitatur, sed multis alijs præclaris, planeque inuictis autoritatibus, & argumentis, inter quę non minimum est perpetua illa piorum omniū iam inde ab initio consuetudo. Neque enim heri, aut nudiustertius coeptū est pro defunctis orare, aut sacrificare: sed multos annos ante Iudam Machabæū, imò verò ante Moysen & Abraham natum, id obseruatum fuit.

Neq; statim Iudaizamus, si purgatoriù credimus, aut sacrificium, vt ipsi, pro defunctis obtulerimus. Nam etsi legalia & cęremonialia Iudęorum iam olim deserint, non ea tamen desiere, aut euacuata sunt, quę sunt fidei. Hęc enim eadem manent ante legem, in lege, & post legem: Credere autē purgatorium esse, id pertinet ad fidem, non ad aliquā cęremoniā. Rursum licet pro mortuis litemus & offeramus, non ea tamen, quę Iudæi: non enim offerimus vitulos, aut taurorum hecatombas,

In vtroque Testamento eadem est fides; sed non eadem sacramēta, neque eadem que cęremonia.

qq 2

aut

aut aliquid aliud eiusmodi : Sed incrementum illud altaris sacrificium, cui & preces quoque, & elemosynas, & alia eiusmodi charitatis officia adiugimus. id quod cum primis pium, Christianæque charitati quàm maximè est consentaneum. Sumus nanque vnus corporis membra, vnus parentis proles, vnus reipub. ciues. Ast corporis eiusdem membra mutuas sibi inuicem operas prestare solent; & id quidem eò fidelius, & diligentius, quò membrū aliquod laborat grauius, aut indiget magis. In purgatorio autem, vt suo postea loco explicabitur, afflictio est longè maxima. Atque istuc breuiter responsum sit ad priora Antagonistarum argumenta.

Ad postremū respondetur, Cōcilia, Pontifices maximos, cæterosque Ecclesiæ proceres, qui librum hunc inter cæteros Canonicos censent, nihil inter huius & aliorum auctoritatem, aut veritatem, aut firmitatem discernere: sed de omnibus vnā eandemque sententiā depromere: nempe Scripturam esse diuinā, à Spiritu sancto dictatā. Quod autē eiusmodi est, hoc modis omnibus certissimum est; siue de moribus disputet, siue de fide; siue rem gestā tantū exponat. Vnde veteres, qui hos Machabæorum libros citant, (citant autem quàm plurimi) nullum inter hos & reliquos discrimen innuunt: Sed nec vllū quoque, quod quidem ad veritatem, eorundem certitudinem attinet, innuere possunt. Nam vel hi libri sunt Scriptura diuinitus inspirata, vel non sunt. Si nō sunt, inter Canonicos nullo modo admitti potuerunt, aut debuerunt; vt qui certa infallibilique veritate, ac firmitate non nitantur. Si autem sunt, mentiri nullo modo possunt. Si autem mentiri omnino nō possunt, ergo nō solū qui mores informant idonei erunt, sed etiam qui fidem cōfirmant. Deniq; asserere Canonicos esse quo ad morum informationem, non etiam quo ad fidei confirmationem, est dicere, Canonicos non esse: & per consequens, Ecclesiam turpiter errasse, non ob id solū, quòd illos inter reliquos Canonicos citra vllā exceptionem, aut limitationem censuerit; verū ob id etiam, quòd in diuinarum

Quod Canonicū est, mentiri non potest: quod autem mentiri non potest, hoc æquè fidem ac mores firmare potest.

uinorum officiorum, & mysteriorum celebratione perinde ac verè solideque Canonicos ac diuinos multos iam annos adhibuerit. Sunt igitur hi libri absolutè Canonici, simpliciterque diuini.

Sed quia Sectarum duces hunc librum cauillātur, a gedum pauca quædam ex ijs quoque in medium adferamus, quos æquè illi ac nos citra vllam omnino exceptionem, aut cauillationem admittunt. Primo itaque Regum libro inter cætera, quæ ad rem faciunt, hæc quoque legimus: Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & subleuat: suscitatur de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Quòd Dominus quosdam gradu suo moueat, planeque deiciat; alios contrā è sordibus & squalore, in quibus iacebant, in sublime tollat: rursus quòd eosdem ad numerum modò subleuet, opibusque ac honoribus augeat; modò in diuersum nixus solio deturbet, ac in extremum miseriarum barathrum deuenire sinat: id quotidiana probant experimenta, & confirmant multa illustria Scripturarum exempla. At verò, quòd modò mortificando ad inferos deducat, modò viuificando inde iterum reducat: id difficile est explicatu, si nullum post hanc vitam extat purgatorium. Certum est enim damnatos ad infernum non deduci, & inde rursus non reduci: nam semel in profundum illud chaos deiectioni, nunquam amplius inde emergunt, aut ad lucem redeunt. Exhibunt sanè sub mundi finem omnes, sed id ea ratione, & lege, vt noua corporis pœna aucti denuo eò redeant. At verò qui ab inferis reducuntur, non illò rursus remittuntur, sed inde ad coelestem beatitudinem transferuntur. Vnde Tarchum Ionathæ hunc locum ita exponit: יהוה דהוא שליט בעלמא בומיית ואמר לאתא מרת לשאול ואף עתיד לאתא hoc est, Dominus, qui regnat in æternum, occidit, & verbo viuificat; deducit ad inferos, educiturus inde rursus

i. Reg. 2.

Deducere ad inferos & inde rursus ad superos educere, arguit esse purgatorium.

ad vitam eternam. Quare, quod hinc scribitur, id ad damnatos commodo sensu referri nullo modo potest.

Sed neque ad patres quoque, qui olim detinebantur in limbo, propriè satis istuc transferri valet. Siquidem non exponitur hoc loco, quod semel duntaxat factum est; sed id, quod secundum diuinę prouidentię, sapientięque ordinem fit subinde. Insinuatur enim communis, & ordinaria quędam lex & prouidentia, qua alij & alij ad inferos deducuntur, & inde rursus educuntur. Patres autem semel & simul inde per Christi aduentum educi sunt. Cum ergo apud inferos non sint alia loca, quàm purgatorium, (nam de puerorum limbo, quantum ad educationem attinet, idem est iudicium, quod de inferno) planissimè statuendum est de purgatorio sermonem hinc institui.

Noui quosdam vim hinc facere in voce Hebręa *הַשְׁמַד* quę vtrunque significat, sepulchrum nimirum & infernum. Sed hoc sanè absque vlla vrgente vi, & ratione: Nam etsi vtrunque significet, (Sunt enim pleręque voces Hebręę polysemę) alterum tamen, nempe infernum, significat vilitatius. Quare non solum interpres Latinus nomine inferni vocabulum *הַשְׁמַד* expressit, sed metaphrastes quoque, Gręcus. legit is enim: *κύριος θανάτοι, & ξωνονεί: κατάρχει εἰς ἄδου, & ἀνάγει.* Quod si vocẽ hanc per sepulchrum exponas, vt sit sensus: Dominus deducit ad sepulchrum, & inde iterum educit: quod hunc locum præcedit, erit omnino superuacaneum. Planum est enim aliud nihil esse ad sepulchrum deducere, & inde rursus educere vel euocare, quàm mortificare & viuificare, siue morti contradere & exuscitare: at non sit verisimile Spiritum sanctum per organum suum voluisse *περισσολογείν*, aut aliquid omnino depromere, quod ad rem non faceret maximè.

Cap. 9.

” Affine est huic illud Zacharię: Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Hic enim locus cum de sceleratis, aut perpetuę damnationis vinculo quouis modo obstrictis exponi non queat, necessarium est,

est, vt exponatur de his, qui ante Christi ad inferos descensum detinebantur in purgatorio; aut de his, qui eiusdem aduentum operiebantur in sanctorum patrum limbo; aut certè de vtrisque simul. Quod etsi admitti possit, multò tamen rectiùs ad eos transfertur, qui poenis exercebantur in purgatorio. Nam licet patres illi vincti detinerentur in lacu, specuque subterranea, non tamen in lacu mysticè *ἀνύδρῳ*. Non enim destituebantur consolationis aqua, vt illi, qui cruciabantur in igne illo emendatorio. Hi enim & grauiùs tenebantur vincti, & grauiùs quoque afflictabantur, vt pote vtrique, poenę obnoxij. Imò verò patriarcharum limbus propter consolationum copiam Abrahę sinus appellabatur rectiùs, quàm infernus, aut *ἀνύδρος* lacus. Fili, inquebat Abraham ad diuitem illum epulonem, Luc. 16. aquę guttam, hoc est, minimam consolatiunculam, auidè Patres in limbo non carce- expetentem, Lazarique obsequium & opem enixè implorantem, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus si- bant magna militer mala: nunc verò hic consolatur, tu verò cruciaris. cōsolatione. Non ergo deerat consolationis latex in patrum limbo, & per consequens non hærebant in lacu prorsus *ἀνύδρῳ*.

Ad hunc Zacharię locum alludit Ecclesia, dum defunctorum causa litans, inter cætera, ita precatur: Domine Iesu Christe, Rex glorię, libera animas omnium fidelium defunctorum de manu inferni, & de profundo lacu. rursus: Libera me Domine de vijs inferni, qui portas æreas confregisti, & visitasti infernum: dedisti eis lumen, vt viderent te, qui erant in poenis tenebrarum clamantes & dicentes, Aduenisti Redemptor noster. His enim dixit iuxta Esaię vaticinium: Exite, qui in vincu- Cap. 49. lis, & qui in tenebris reuelamini. Atque hæc fuit illa prædicationis, cuius Apostolorum Coryphęus in sua Canonica meminit. In quo, ait, & ijs, qui in carcere erant spiritibus veniens 1. cap. 3. prædicauit, qui increduli fuerant aliquando. Nam isthec ad damnatos, aut ad illos quoque, qui in patriarcharum limbo asseruabantur, commodè transferri non posse, id ea clarè ostendunt, quę locum hunc antegrediuntur, & proximè cōsequuntur.

Facit

» Facit ad idem institutum & illud Tobie quoque: Panem, inquit ille, & vinum tuum super sepulturam iusti cōstitue. Certum est enim Tobiam patrem iustorum spirituum causam ferriò hoc loco Tobie filio commendare. Istuc autem religiosus pater nunquam fecisset, nec pius filius quoque promptè, quod pater mandarat, se facturum recepisset, nisi certò vtrique persuasum fuisset eos, qui cum pietate dormitionem acceperant, viuentium precibus, & eleemosynis iuuari posse. Perrari enim sunt iusti, qui non aliquid ligni, aut fœni, aut stipulæ, hoc est, leuium erratorum secum hinc deferant: atque ad eò qui purgatorias pœnas non subeant. Quòd autem isthæc ad fame tabescencia viuorum corpora trahi non queant, vt quidam, loci huius vim eneruare cupientes, huc trahunt, id ex ijs manifestum est, quæ locum hunc antecedunt: præmittit enim, Panem tuum cum esurientibus & egenis comedere, & paulò antè: Noli auertere faciem tuam ab vllò paupere. Insinuat autem triplex pauperum genus, & singulis benignè vult fieri. Vnum publicum, publice ve escam vel stipem corradentium. Alterum priuatum, & quasi *διχοπνευχρόν*: Comperiuntur enim, qui verecundia fracti domi fame malunt tabescere, quàm cum famæ iactura ostiatim mendicare. Tertium est eorum, qui propter contracta debita graui captiuitate premuntur; in quorum numero quorundam quoque defunctorum spiritus continentur: hos enim, quod multum debeant, & nullum amplius quæstum facere valeant, & seuerissimum exactorem sustineant, quidam in supremo paupertatis gradu collocant. Ad primum pertinet illud: Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllò paupere. Ad secundum illud: Panem tuum cum esurientibus & egenis comedere, & de vestimentis tuis nudos tege. Ad tertium illud: Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.

Ceterum quod de pane & vino hinc traditur, hoc ita accipi non debet, quasi defuncti materiali cibo, aut potu indigeant:

Non

Non enim eiusmodi elementis opus habent mortui: indigent autem precibus, sacrificijs, alijsque id genus suffragijs, quæ per panem, & vinum, cæteraque similia comparari solent. Iubet itaque sanctus vir panem & vinum super sepulturam iusti constitui: vt, qui ex eo edunt, vel bibunt, pro demortuo orent. Vnde statim subiungit: Et noli eum comedere cum peccatoribus, admonens vt ijs distribuatur panis pro mortuo oblati, qui Deum timeant, eundemque sua pietate flectere faciliè queant. Obtinet hæc pietas per multas Ecclesias in hodiernum vsque diem: Imò verò non solum panis & vinum in vsum sacerdotum, quò nimirum pro defuncto orent & sacrificent, super demortuorum busta & cenotaphia ex Maiorum traditione passim constituuntur, sed quibusdam quoque in locis eadem de causa publica epula exhibentur. Quisane in memoriam defuncti epulandi ritus ad eò non est recens, vt in Apostolicis Constitutionibus quoque eiusdem fiat mentio. Præcipitur hinc enim Presbyteris & Diaconis, vt in eiusmodi mortuarijs conuiujs sobriè comedant, & bibant, quò cæteros, si qui forsàn sobrietatis limites transiliant, liberius admonere valeant. Ad hunc quoque Tobie locum spectasse videtur Apostolus, dum inter cætera sic scribit: Orationi instantes, necessitatibus, vel, vt veteres plerique legunt, memorijs Sanctorum communicantes. Idem namque sonat, Sanctorum, hoc est defunctorum, memorijs communicare, quod precibus, & eleemosynis eorundem necessitatem subleuare. Hinc etiam Clemens ex Apostolorum persona præcipit, vt mortuorum exequiæ hymnis, precibus, & sacris lectionibus celebrentur: tum vt ex defunctorum bonis in eorundem memoriam eleemosynæ pauperibus distribuantur.

Huc facit & illud Ecclesiastici quoque: Gratia datus in conspectu omnis viuentis, & à morte ne prohibeas gratiam, videlicet dati. Hortatur hinc ad beneficentiam, non viuentibus tantum, nec pauperibus solum, sed ipsis quoque mortuis

rr im-

Perrari sunt, qui non venialium aut etiam mortaliū reliquias, hinc secū deferant.

Triplex pauperū genus.

Primitiua Ecclesia non solum panem & vinum pro defunctis offererebat, sed epulas quoque eiusdem rei causa exhibebat.

Rom. 12.

Cap. 7.

Omnibus uiuentibus benignè faciendum.

impendingam. Nam & hoc quoque loco tres hominum ordines, in quos benignos esse licet, assignantur: nimirum pauperes, cuiusuis generis uiuentes, & uitæ exortes. Ad pauperes spectat: Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua. Ad omnes uiuentes promiscuè, quod proximè consequitur. Ad mortuos, quod hîc citauimus. Quid autem mortuis, præter suffragia, quod illis prodest, impertiri possit non video. Nam sola sepultura, ceteris omnibus seclusis, parum illis præstat. Præterea si illorum cadauera vel corpora religiosè curanda sunt, ut reuera sunt: multò magis curandi, Deoque commendandi erunt immortales illorum spiritus. Quare idem hic author infra utriusque partis curam sigillatim indicit, ait enim: Fili super mortuū produc lachrymas, & quasi dira passus luge, & secundum iudicium, hoc est, patriæ ritum, contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. Ad corpus pertinent, quæ hîc de sepultura commemorat: ad animam uerò vel spiritum, quæ de luctu, & lachrymis præmittit. Siquidem per luctum, & lachrymas omnes illas afflictiones corporis quæ castigationes complectimur, quæ mortuorum causa de more exhiberi solent. Inter quæ non solum preces, & eleemosynæ, & piaculares hostiæ continebantur, ut supra ex secundo Machabeorum volumine ostensum est; sed proluxa quoque ieiunia, diurnæque inedia, ut ex Regum libris cognoscere licet. Scribitur hîc enim hunc in modum:

1. Reg. 3. Quod cum audiissent habitatores Iabes Galaad, quæcunq; fecerant Philisthijm Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Betfan. Veneruntque viri Iabes Galaad, & combusserunt ea igni: & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

2. Reg. 1. & capite proximè sequenti: Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt usque ad uesperam, super Saul,

Saul, & super Ionathan, & super populum Domini, & super domum Israël, eo quod corruissent gladio. Eodem modo luctum ac ieiunatum est à Dauide & suis super morte Abner filij Ner. Iam etsi isthæc ieiunia in luctus significationem suscepta uideri queant: Longè tamè uerisimilius fit tam diuturnam inediam, corporisque afflictionem non tam luctus, quam pietatis, patriæque consuetudinis ergo usurpatam fuisse: ea nimirum de causa, quod apud Iudæos legitimum esset pro mortuorum salute & redemptione ad tēpus sese afflictare. Quam consuetudinem iam inde, & multò quoque antè usq; ad Apostolorum tempora obtinuisse, demonstratum est iam antè.

Sed & Patriarchæ quoque, & alij quidam illustres sanctitatis uiri, nulla alia de causa ad eam anxie, ne inter infideles sepelirentur, curasse, existimandi sunt, quam ne procul è suorum oculis positi, solitis suffragijs destituerentur. Siquidem suffragijs, quæ defunctorum causa à pijs hominibus fieri solita sunt, exclusis, parum admodum referre uidetur in Aegypto ne sepeliare, an in Palestina; Romæ ne, an Augustæ. Nam ut obiter modò indicatum est, fusiusque postrema disputationis huius parte explicandum est, sepultura secundum se ad animæ salutem parum, aut nihil quoque facit; sed tantum ratione adiunctorum, ut sunt preces, sacrificia, eleemosynæ, & alia id genus nonnulla.

Augustinus illud psalmi trigesimiseptimi, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me: ad purgatorij ignis analogiam neuiquam obscure exponit, ait enim: Domine ne in indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me. Futurum est enim, ut quidam in ira tua emendentur, & in indignatione tua arguantur. Et fortè non omnes, qui arguuntur, emendantur: sed tamen futuri sunt quidam in emendatione salui. & infra rursum: Non sim inter illos Domine, quibus dicturus es: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Neque in ira emendes me. At in hac uita purges me, & talem me reddas, cui iam

2. Reg. 8.
Iudæi mortuorum causa se affligebat.

Patriarchæ propter suorum suffragia in Palestina uoluerunt terræ committi.

Non omnes, qui à Deo corripuntur, in ira & furore ab illo corripuntur.

Matth. 25.

1. Cor. 3.

emendatorio igne non sit opus, propter illos, qui salui fiunt, sic tamen quasi per ignem. Quare, nisi quia hinc edificant supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam? Si ædificarent autem aurum, argentum, lapides preciosos; & de vtroque igne securi essent: non solum de illo, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui fiunt. Dicitur enim, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quod autem Augustinus hinc non agat de tribulationis igne huius vitæ, sed de emendatorio igne alterius vitæ, id ex illis, quæ eodem illo loco statim subdit, diurna luce clarius existit. Et quia, ait, dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quauis salui per ignem: grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid potest homo pati in hac vita. Hactenus Augustinus, cuius interpretationem sequitur Haymo quoque, & Dionysius Carthusianus, & Alexander Aletensis, & alij quidam Theologi non omnino vulgares.

Ad psal. 118.
Hom. 25. in
Num.

Ambrosius, & ante ipsum Origenes, & alij præterea ex recentioribus nonnulli, illud psalmi sexagesimi quinti, Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, secundum allegoriam ad eos ardores, & expiationes, transferunt, quæ per ignem, vel aquam, vel aliam quamcunque procellam, post hanc vitam quibusdam spiritibus adhibentur. Neque id nulla omnino de causa. Nam etsi isthæc ad Martyrum victorias, & cruces, vitæq; huius miseras, & tempestates præcipuè pertineant: alterius tamen vitæ procellas & cruciatus non excludunt, sed obliquè includunt. Nec enim in omnes, qui salui fiunt, & poena digna committunt, sæuit tyrannus, aut persecutio, aut alia quæcunque tribulatio: nec omnes, in quos eiusmodi procellæ irruunt, statim quoque sancti, aut mundi euadunt; multi nanque oblatam purgationis occasionem repellunt; alij impatientius, quàm par est, ferunt; & per consequens infecti hinc excedunt: Quibus proinde, si iusti aliqui erant, vnicum salutis remedium relinquitur, alterius vitæ procella.

Memi-

Meminit autem non solius ignis, nec solius rursus aquæ, sed vtriusque elementi simul: quia in veteri Testamēto, quicquid expiationis capax erat, id, aut per ignem expiatur, aut per aquam. Scriptum extabat hinc enim: Hoc est præceptum legis quod mandauit Dominus Moyse, Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammam, igne purgabitur. Quicquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur. Hinc Origenes: Vides quomodo purgatione indiget omnis, qui exierit de prælio huius vitæ. & infra: Omnes ergo purgatione indigemus, imò purificationibus. & addit: Sed mystica hæc sunt, & ineffabilia. Sed & Iob quoque dum de infero-
rum tormentis agit, vtrunque elemētum coniungit. Licebit ergo non illis tantum, qui per mundi huius tribulationes excocti, expiatique ad cœlestis patriæ refrigerium peruenerunt, cum Psalmista dicere, Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium: sed illis ipsis quoque, qui per purgatorium ignem alterius vitæ ab adhærētibus maculis repurgati expiatique salui facti sunt.

Sunt, qui ad firmandam purgatorij fidem inter cetera illud Michææ quoque allegent: Ne leteris inimica mea super me, quia cecidi: confurgam cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniã peccaui ei: donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiã eius. Hæc illi ex sacro vate ad rem præsentem nõ prorsus absurdè. Certum est enim isthæc ad damnatos verè transferri non posse. Nam etsi illi in tenebris desideant, & iram Domini portent: nunquam tamen cõsurgunt, aut in lucem redeunt. Sed neq; ad patres quoque, qui olim detinebantur in limbo, commodè satis hæc referuntur. Quauis enim illi in tenebris desiderant, & olim è tenebris in lucem emerfuri essent: iram tamen Domini nõ portabant, vt qui ab omni sensibili poena immunes, magnis spiritualibus consolationibus affluerent. Restat ergo vt per tropum ad eos transferatur, qui

In veteri Testamento omnia expiantur per ignem vel aquam.

Num. 31.

"

"

"

"

"

"

"

Cap. 24.

"

"

"

"

Psal. 65.

"

"

"

"

Cap. 7.

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

"

rr 3

detine-

detinebantur, vel etiamnum detinentur in purgatorio. Hic enim tria hæc simul cōcurrunt, nimirum tenebræ, ira, & con-
 surrectio, siue è tenebris in lucem emersio. Atque huc post di-
 uum Hieronymum transfert illud Glossa ordinaria, exponit
 enim: Iram Domini portabo, vel hîc, vel in purgatorio.

Hier. ad cap.
 vii. Esa.

Cap. 4. » Fauet purgatorio & illud Esaïæ quoque: Si ablucit Do-
 » minus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit
 » de medio eius, in Spiritu iudicij, & Spiritu ardoris, vel incen-
 » dij. & illud rursùm prophetę Malachiæ: Ecce venit Dominus
 » exercituum, & quis poterit cognoscere diem aduentus eius?
 » & quis stabit ad audiendum eum? Ipse enim quasi ignis con-
 » flans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emun-
 » dans argentũ: & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi au-
 » rum, & quasi argentum. & illud tandē Esaïæ: Et cùm dixerint
 » ad vos, Quærite à pythonibus, & à diuinis, qui stridēt in incan-
 » tationibus suis: Nunquid non populus à Deo suo requiret vi-
 » sionem pro viuis, & pro mortuis? Hæc illi. Sed quia nihil hac-

tenus ex Scripturis attulimus, quod euidenti ratione, aut gra-
 ui certè aliqua autoritate, aut utroque simul non muniueri-
 mus, lubet & hîc quoque maioris roboris causa quippiam
 eiusmodi externi præsidij adiungere.

Nihil ex Scri-
 pturis allatũ
 pro purgato-
 rio, quod non
 ratione, aut
 autoritate
 sit fultum.

Lib. 20. c. 25.
 de ciuit.

Augustinus itaque ad locum Malachiæ allegatum ita scri-
 bit: Ex his quæ dicta sunt (nempe circa Scripturæ huius expli-
 cationem) videtur euidentius apparere in illo iudicio quasdam
 quorundam purgatorias pœnas futuras. Vbi enim dicitur:
 » Quis sustinebit diem introitus eius, aut quis ferre poterit vt
 » aspiciat eũ, quia ipse ingreditur quasi ignis cōflatorij, & quasi
 » herba lauantium, & sedebit cōflans & emundans sicut aurum,
 » & sicut argentum: & emundabit filios Leui, & fundet eos sicut
 » aurum, & sicut argentum: quid aliud intelligendum est? & in-
 » terpretationem suam loco Esaïæ hîc citato confirmans, sub-
 » dit: Dicit tale aliquid & Esaïas: Lauabit Dominus sordes fili-
 » orum & filiarum Sion, & sanguinem emundabit de medio eo-
 » rum spiritu iudicij & spiritu cōbustionis. & paucis interiectis

iterum

iterum subiungit: Verùm ista quæstio de purgatorijs pœnis vt
 diligentius pertractetur, in tempus aliud differēda est. Ex di-
 uo Augustino itaque habemus, vtrunque locum ad purgato-
 rium pertinere.

Sed neque Hieronymus quoq; hunc Malachiæ locum ex-
 ponens, procùl admodum ab hac Augustiniana interpretati-
 one recedit. ait enim: Dominus ignis dicitur, & ignis consu-
 mens. Et nō solùm ignis, sed & herba fullonum. Ipse enim ijs,
 qui peccant grauiter, ignis cōflans est, atque consumens: qui
 autem leuia peccata committunt, ijs herba fullonum est, vt
 lotis munditiam restituat, iuxta illud, quod scriptum est in
 Esaïa: Lauabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, &
 sanguinem emundabit de medio eorum, Spiritu iudicij, &
 Spiritu combustionis. Qui sordes habent, Spiritu iudicij indi-
 gent, vt lauentur: qui sanguine pleni sunt, Spiritu combusti-
 onis, vt sanguis, qui in eis extrinsecus litus est, auferatur. Et se-
 debit conflans, & emundans sicut argentum: vt secundùm
 Ezechiel, quicquid in auro nostro, & argento, id est, sensu, &
 eloquio, ære, stanno, ferro, plumboque commixtum est, in
 camino Domini percoquatur, vt purum aurum remaneat, &
 argentum. Quòd autem vterque de alterius vitę purgationi-
 bus ex instituto agat, id ex loco, quem exponunt, & disputati-
 onis filo euidentis est.

Alterum Esaïæ locum Petrus Cluniacensis Abbas, qui an-
 te quadringentos annos vixit & scripsit, contra Petrobrusian-
 os, qui & ipsi quoque purgatorio oppidò erant infesti, alle-
 gat & vrget. Scribit is autem hîc in modum: Adiungatur huic
 Machabæorum exemplo propheta Esaïas: loquens quippe
 Iudaico populo, eosque corripiens, & instruens: Cùm dix-
 erint, inquit, ad vos, Quærite à pythonibus, & diuinis, qui stri-
 dent in incantationibus suis: Nunquid non populus à Deo
 suo requirit pro viuis ac mortuis? velut si diceret: Cùm dix-
 erint ad vos deceptores, vt ea, quę tantùm à Deo requirenda
 sunt, quærantur contra Deum à pythonibus, & à diuinis, qui

more

Cap. 4.

Cap. 8.

Epist. ad Are.
 Episcop.

more taliū in cantando strident, & sibilant: respondete: Nunquid non populus, hoc est, nunquid non hic mos est omnium populorum, vt à Deo suo, quem colit, requirat ea, quæ quærenda sunt, siue pro viuis, siue pro mortuis? Ea propter non vt vos dicitis, quæremus ea à pythonibus, & à diuinis; sed more omnium populorum, qui à Deo suo requirunt, tam pro viuis, q̄ pro mortuis, quæ requirenda sunt, & nos similiter faciemus à Deo nostro requirendo, si qua quærenda sunt pro mortuis. Nonne vides, quicumque hæc legis, prophetam Esaiam appetitissimè prædicare Deum à populo suo requirendum, hoc est, consulendum esse, tam pro viuis, quàm pro mortuis? Quid si consulendus, si orādus est Deus, tam pro viuis, quàm pro mortuis? quid respondent, qui dicunt non esse orandum pro mortuis? Docetur ille populus, vt respondeat seductoriibus, inquirendum, vel deprecandum Deum pro viuis ac pro mortuis: & non docebitur populus Christianus, conculcandos esse hereticos, qui negant Deum orandum pro mortuis?

Ad Episcop.
Arel.

Idem Petrus in eadem illa epistola in assertæ veritatis confirmationem exemplum Elisei, mortuo caduere mortuū exuscitantis, in medium quoque adducit. Veniat, ait, ad hoc astruēdum magnorum & mirandorum operum patrator magnus ille Eliseus propheta. Huius certè Elisei non viuentis, sed mortui, & sepulti ossa, mox vt mortuum alium contigerunt,

4. Reg. 13.

Mortuos mortuis prodesse posse, ostendunt ossa Elisei.

vt r̄um bona mortuorum mortuis prodesse valeant, ostendunt. & infra: Quid mirabilius, quid clarius ad rem, de qua agitur, affirmandum, præscia cunctorum diuinitas ostendere potuit? Vnde lucidiūs mortuorum bona mortuis prodesse posse cuncta prouidens æterna sapientia monstrare valuit? Quis vnquam nobile hoc miraculū considerans, quod mortuorum bona mortuis prodesse valeant, non dico contradicere, sed vel in modico dubitare poterit? Hoc autē corporale beneficium, à mortuo Propheta mortuo homini collatum, docet Deū nō solūm corporalibus mortuorum hominum beneficijs, quæ ipse contulit, mortuis alijs succurrere, sed & spiritalibus bonis

nis eorundem mortuorum mortuis alijs, sicut adiuncta iustitiæ misericordia postulat, spiritualiter subuenire. Deinde longam texens narrationem per Scripturas & exempla probat, & viuos mortuis, & mortuos vicissim viuis opem ferre posse. Ex quibus omnibus vnum ille hoc certò cōclusum vult, quod multis nos huc vsque Scripturis vrgemus, & exemplis confirmamus: nempe post hanc vitam certum purgationis locum existere, illosque, qui in illo expiantur, & exeruciantur, viuentium pietate subleuari posse: huc enim omnia tendunt, quæcunque Petrus hîc contra Petrobrusianos disputat prolixè.

Missum hîc facimus illud Regij prophetæ: Tabescere fecisti sicut araneam animam eius. & illud Ezechielis: Interfecti vestri, quos posuisti in medio eius, hi sunt carnes, & hæc est lebes. Et educam vos de medio eius. & illud tandem Hieremiæ: Quid tu vides Hieremia? Virgam vigilantem ego video. Rursum, Quid tu vides Hieremia? Et dixi, Ollam succensam ego video, & facies eius à facie Aquilonis. Quæ omnia, vt alia præterea non pauca, vetus scriptor Origenes Adamantius, & alij quidam post ipsum ad purgatorium transferunt. Quod inquit ille, crassescat, & vt ita dicam, carnea efficiatur anima peccatoris, indicatur ex eo, quod scriptum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Carnem sine dubio nominat animas crassiores & peccatrices. Si ergo increpationibus, inquit, pro iniquitate erudiueris hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animā eius. Est ergo opus Dei, vt tabescere faciat, & consumat omne, quicquid est crassioris materiæ, quo circundatur anima, vt extenuet, & elimet prudētiam carnis: & ita tandem animam ad sublimitatem rerum coelestium, & inuisibilium reuocet intellectum. Talia quædam inuenimus sub sacramento nō minime apud Ezechielem prophetam designari, cum in lebetem carnes immitti dicuntur, & decoqui. Et propiūs ad rem accedens subdit:

Psal. 38.

Cap. 11.

Cap. 1.

Orig. Adam.
Hom. 2. in
psal. 38.

Anima per
peccatū caro
efficitur.

ff Scripta

Scripta sunt hæc hisce sermonibus pro eo, quòd lebetes, vel cacabinos suscipient flammis succensi, in quos iniiciemur nos, qui animas nostras incarnauimus, vel incrassauimus; si nõ priùs, dum in hoc mundo sumus, præuenerimus per pœnitentiam, vt tabescant carnes nostræ, & crassitudo animæ nostræ ad subtilitatem deducatur araneæ. Si hinc adhuc carnei fuerimus egressi, mittemur in illos cacabos, qui succenduntur lignis, vel fœno, vel stipula, id est, operibus nostris, quæ superposuerimus fundamento Christi. Tale est illud opus, quod Hieremias dicit: Vidi, inquit, lebetẽ, vel cacabum ardentem, & facies eius à facie Aquilonis, vel iterum cum virgam vidit nucem. Requiramus ergo de ista sententia, quòd propterea simul virgam ostendit, & cacabum igne succensum: vt si quidẽ disciplinas accipias, & per virgam emenderis, cacabo non indigeas succenso. Si verò permanes indisciplinatus, & virga nos emenderis, mitteris in cacabum, & cacabus succendetur. Propterea ergo Hieremias vidit vtrũque, & virgam, & cacabum succensum: vt metuentes vtrunque, alterũ videamus ex altero. Hæc Origenes, quibus cum multis alijs subscribo, & parti huic, quæ Scripturarum autoritate præcipuè nititur, finem impono. Nunc illam pro purgatorio stantem, & loquentem audiamus, quæ ipsis quoque Scripturis certa quadam ratione autoritatem conciliat. Nam etsi Ecclesia nullas Scripturas sua definitione ex falsis veras efficiat, nec falsas rursus ex veris, aut sacras ex profanis, aut profanas ex sacris: ipse est tamen inter has, & illas discernere, hoc est, certò determinare, ac pronuntiare, ecquænam ex omnibus habendæ sint pro veris ac diuinis, quæ item pro oppositis: In quo quidem iudicio, Spiritu sancto illi assistente, non fallitur.

Ecclesiæ autem appellatione non accipimus hîc locum, in quem sacrorum causa conuenire solent fideles: multò verò minùs Sectam aliquam, quæ Ecclesiæ nomen falsò sibi arrogat; hoc enim modo non vna esset Ecclesia, vt Scripturæ prædicant, & Symbola confirmant, sed tot, quot sunt Sectæ inter

Qui hinc excedunt carni & crassi, deijciuntur in ollas, & decoquuntur.

Ecclesiæ est iudicare, quæ Scripturæ sint germanæ, quæ item nothæ.

se diffectæ: sed eiusmodi fidelium cœtum, qui fidei suæ originem perpetua quadam serie, ac successione ad Apostolos, & inde ad Christum reducit. Vel certè primaria, ac nobiliora sacri huius cœtus, mysticive corporis membra, vt sunt pastores, doctores, cæteri que Ecclesiæ proceres. Constat enim id rectè, verè, ac propriè Ecclesiam tenere, vel docere, vel credere dici, quod Apostoli, vel legitimi eorum successores tenuerunt, vel docuerunt, vel crediderunt, vel etiamnum credunt, vel docent, vel tenent. Legitimi porrò Apostolorum successores sunt Episcopi, & inter hos præcipuè Romanæ Ecclesiæ Antistes. hic solus enim inter omnes hoc habet, vt in fidei, & morum quaestione errare non queat. Cæteri omnes errare possunt, siue singuli seorsum definiant, siue omnes simul. Cum ergo ex primo, potissimoque argumentorum Theologicorum loco, hoc est, ex sacris diuinisque literis, purgationi & satisfactioni post hanc vitam locum esse, euidenter hætenus ostensum sit: proximum est, vt per eos, qui primas in Catholica Ecclesia sustinent, totumque ecclesiasticũ corpus suo modo representant, idem quoque demonstramus, & confirmemus.

Quæ de purgatorio in Ecclesia Dei traduntur, & creduntur, ea orthodoxa esse, docetur rursus, & confirmatur, ex summorum Pontificum oraculis, Conciliorumque cum vniuersalium, rum particularium quoque decretis.

CAPVT OCTAVVM.



Sanctus Petrus primus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, Clemente teste grauissimo referente: Infirmos oportet visitare, sitientes potare, nudos vestire, mortuos sepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro quibus, obsecro, mortuis orandũ, aut elemosynarum sacrificium offerendũ est? Non utiq; pro beatis;

Epist. 1. ad Iacob. frat. Do.

Sanctus Petrus oratione & elemosynas pro defunctis indicit.

nam illi eiusmodi praesidijs non indigent: multò verò minùs p-
certò damnatis; siquidem illis eiusmodi pietatis officia pro-
desse nihil valēt. Restat igitur vt pro ijs preces, & eleemosynas
indixerit Apostolorum Antesignanus, qui medium inter illos
statum obtinent: Cuiusmodi sunt, qui propter leuia quaedam
peccata, aut grauium peccatorum reliquias, detinentur, & ex-
pianur in purgatorio.

Lib 6. c. 30.
Const. Apost.

Clemens eius nominis primus: Rogemus, fratres, vt beni-
gnus Deus, qui ipsius animam suscepit, dimittat ei omne deli-
ctum voluntarium & inuoluntariū. Et propitius ei factus col-
locet illum in regione piorū & beatorū. In sinu Abraham, Isaac,
& Iacob, cum omnibus, qui à seculo placuerunt ei, & fecerunt
voluntatem eius, vnde abest dolor, tristitia & suspirium. His
clarius de debito post mortē reliquo nihil dici potest. Nam si
omne delictum voluntariū & inuoluntariū, hoc est, non plena
volūtatis deliberatione perfectū, in hac vita cōdonatur: quor-
sum hīc oratur, vt vita defūcto in altera vita cōdonetur? Quòd
si verò omne illi delictū ignotum nō est, ergo spiritus illius in
cœlo nō est: Ergo vel in purgatorio est, vel in illo esse putatur;
cū nō oretur, nec orari quoq; debeat pro certò dānatis: Er-
go iustis, nō plenè purgatis, post hāc vitā restat purgandi locus.

16. q. 1. c. In
Canonibus.

Symmachus: Valde iniquum, & ingens sacrilegiū est, quā-
cunque, vel pro remedio peccatorū, vel pro salute animarum
suarum, aut requie vnusquisque venerabili Ecclesie contule-
rit, aut certè reliquerit, ab his à quibus maximè seruari cōue-
nit Christianis, & Deū timentibus hominibus, & super omnia
à principibus, & primis regionum in aliud transferri vel con-
uertī. Damnantur hīc sacrilegi, & iure optimo damnantur,
qui ea retinent, quæ quispiam pro salute, ac requie animæ suæ
legauit Ecclesie. At omnia pia legata huc tendunt, vt oretur,
& sacrificetur pro ijs defunctis, qui legant.

4. Dial. c. 15.

Gregorius Magnus: Si culpe post mortem insolubiles non
sunt, multū solet animas etiam post mortem sacra obla-
tio salutaris hostiæ adiuuare. At quomodo iuuant, si omnes
sunt,

sunt, vel in inferno, vel in cœlesti paradiso, & nullè omnino
in purgatorio? Et alio rursus loco idem: Cū grauia pec-
cata non deprimunt, tunc prodest mortuis, si in ecclesia sepeli-
antur: quia eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca ve-
niunt, suorumque sepulturam aspiciunt, recordantur, & pro
eis Domino preces fundunt.

Prodest in lo-
co sacro se-
peli.
13. q. 2. c. Cū
grauiā.

Innocentius eius appellationis tertius: Fratritatem tu-
am credimus non ignorare, mortuorum sepulchra, & cœme-
teria, apud illas ecclesias & monasteria ex antiquo esse dispo-
sita, in quibus religiosorum fratrum conuentus sunt consti-
tuti, & orationes atque Missarum solennia tam pro viuīs quàm
pro defunctis frequentius celebrantur. En condita iam in-
de ab initio cœmeteria precum & sacrificiorum causa sacris
locis proxima. Similia apud eundem reperias titulo de Missa-
rum celebratione: vbi inter cetera quoque pronunciat sus-
fragia, quæ pro non valde bonis exhibentur, propitiationes &
expiationes censendas esse.

De sepultur.
c. Fratritate
tem

Cœmeteria
in ijs locis
constituēda,
vbi frequens
offertur Missæ
sacrificiū.

c. Cū Mar-
thæ.

Honorius tertius: Cū creatura non habeat, quod pro
meritis respondeat Creatori, & infra. Mandamus quatenus
nullum in vos torporem negligentie obrepere permittatis,
quò minùs, & pro anniuersarijs defunctorum, & pro festo
vel feria secundum temporum congruentiam Missarum so-
lennia conuentualiter celebretis. At si nullum post hanc vi-
tam est purgatorium, nulla peccatorum expiatio, propitiatio
nulla: quorsum opus anniuersarijs? aut trigesimis, aut qua-
dragesimis, aut septimis, quorum alibi fit mentio?

De celebrat.
Missar. cap.
Cū creatu-
ra.

Gregorius eius nominis secundus: Pro obeuntibus con-
suluisse dignosceris, si liceat pro eis oblationes offerri. Sancta
sic tenet Ecclesia, vt quisque pro suis mortuis verè Christianis
offerat oblationes, vt Presbyter illorum memoriam faciat. Et
quanuis peccatis omnes subiaceamus, conuenit tamen vt sa-
cerdos pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & interce-
dat: non tamen pro impijs, licet Christiani fuerint, tale quid
agere licebit. Et hīc quoque disertè cauetur, vt pro mortuis

Epist. ad Bo-
nifacium.
13. q. 2. c. Pro
obeuntibus.

Pro verè Chri-
stianis mor-
tuis orandū,
non pro im-
pijs.

verè Christianis sacerdotes intercedant, eorundemquè memoriam faciant; idque ex vniuersalis Ecclesię consuetudine, quę vtiq; maximam vim habet.

c. Licet. De sepult. lib. 6.

*Filius famili-
as ex peculio
potest pro a-
nima sua. Ec-
clesiã legare.*

Bonifacius octauus: Quauis filius familiã absque patris assensu sibi possit liberè eligere sepulturam, pro anima tamen sua, præter ipsius assensum (nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat) aliquid iudicare, hoc est, in vltima sua voluntate relinquere, non potest. Et hinc quoque frustra decerneretur, quid filius familiã pro anima sua legare possit, vel non possit, si pia legata animæ defuncti nihil prodesse. Nihil autem prodesse, si nullus post hanc vitam expiandi locus restaret.

*De conf. d. 1.
c. Sufficit.*

*Felix qui vnã
interdiu Missam
dignè celebra-
re potest.*

Alexander tertius: Sufficit Sacerdoti vnã Missam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est, vnã Missam facere: & valde felix est, qui vnã dignè celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis vnã faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui verò pro pecunijs, aut adulationibus secularium, vna die plures præsumunt facere Missas: non æstimo euadere damnationem. Hoc Canone vnum damnatur, alterum commendatur, tertium toleratur. Commendantur, qui vnã interdiu Missam dignè celebrant: damnantur, qui plures citra necessitatem, aut propter secularium adulationem: tolerantur, qui vnã celebrant peculiariter pro defunctis, alteram verò de festo vel feria. At nullam hinc Pontifex potuit commendare, nisi simul defunctorum suffragia approbaret: quippe cum in omni omnino Missæ sacrificio pro eorum salute & liberatione oreretur, & apud Deum intercedatur, qui piè in Christo obdormiuerunt.

*In Decret.
vniõn.*

Eugenius quartus: Definimus, si verè poenitentes in Dei charitate decesserunt, antequam dignis poenitię fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas poenis purgatorij purgari: & vt poenis eiusmodi releuentur, prodesse his viuorum suffragia, Missarum videlicet sacrificia, oratio-

nes,

nes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesię instituta. Cui decreto Ioseph Patriarcha Constantinopolitanus morti iam vicinus hac verborum forma subscribit:

Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcirco pro meo munere dilectis filijs benignitatem Dei his literis palàm faciam. Nam quę Domini nostri Iesu Christi Catholica & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentit ac celebrat, ea omnia quoque me sentire credereque profiteor, ac ipsis plurimum acquiesco. Beatissimum autem patrum patrem veteris Romæ Papam Domini nostri Iesu Christi vicarium esse credo, ac animarum purgatorium esse non inficio. Præclara profectò morituri Patriarchæ & Græci hominis confessio. Neque enim solum purgatorium se certò credere profiteatur, sed cætera quoque omnia, quæ sentit ac credit sancta Romana Ecclesia, & inter hæc nominatim Romanum Pontificem esse patrum, hoc est, omnium Episcoporum, pastorum, ac prælatorum patrem, & legitimum Iesu Christi in terris vicarium: quæ omnia ætatis huius Sectarij absolutè negant, hostiliterque impugnant; sed gratis, vt ait Scriptura. Quid Apostolus Petrus, eiusdemque in cathedra Romana successores de alterius vitæ expiationibus sentiant, accepimus: nunc quid Episcoporum Synodi, qui cæteros Apostolos excipere traduntur, ea ipsa de re statuunt, ac doceant, paucis quoque audiamus.

*Ioseph in suo
testam.*

*Romanus Põ-
tifex pater pa-
trum, & ca-
put vniuersa-
lis Ecclesiæ.*

Concilium Carthaginense tertium: Placuit vt Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, siue Episcoporum, siue cæterorum commemoratio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, iam pransi inueniantur. Hæc de pomeridianis defunctorum suffragijs Synodus Carthaginensis tertia, quam calculo suo approbavit Synodus sexta.

Can. 79.

Missæ à ieiunio tantum celebranda.

Con-

Can. 79.
26. q. 7. c. Sa-
cerdos.

Concilium Carthaginense quartum, cui, si Gratiano fides est, & Zozimus quoque Pontifex per suos legatos interfuit: Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur. Et hîc vltra memoriam, quam Sectis additi non negant, preces quoque, & oblationes præfinitur. At hæc inaniter præfinitur, & funderentur, si omnis iustorum pœna, vnâ cum hac vita absolueretur. In eodem hoc Concilio anathemate feriuntur, qui defunctorum oblationes Ecclesijs negant, aut cum difficultate exhibent.

Can. 2.
13. q. 2. Qui
oblationes.

Eandem pœnam irrogat & Concilium Vasense quoque. **Qui**, definit illud, oblationes defunctorum retinent, & Ecclesijs tradere demorantur, vt infideles ab Ecclesia sunt abijciendi: quia vsq; ad exinanitionem fidei peruenire certum est hanc pietatis diuinæ exacerbationem. Quia & fideles de corpore exeuntes votorum plenitudine, & pauperes consolatu alimonie, & necessaria sustentatione fraudantur. Hi ergo tales quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei habendi sunt. Grauis est hæc sententia, quodcumq; tandem iudicij nomine accipias.

Can. 6.

Eadem illa Vasensis Synodus seuerè cauet, ne in funerali, aut quadragesimali sacrificio trifagion omittatur. Cautio illius sic habet: In omnibus Missis, siue matutinis, siue quadragesimalibus, siue in alijs, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine, quo ad Missas publicas dici debeat. Quia tam dulcis, ac desiderabilis vox, etiam si diu noctuque possit dici, fastidium non potest generare.

In omnibus
Liturgijs ha-
betur memo-
ria defunctorum.

Cæterum cuiusmodinam sint defunctorum memoria, vel commemorationes, quarum hîc, & alibi passim fit mentio, id ex Liturgijs, quibus cum Græci, tum Latini quoque, dum sacris operantur, familiariter vtuntur, cognoscere licet. Occidentales inter celebrandum hunc in modum pro defunctis orant: Memento Domine famulorum famularumque

tua-

tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, ac pacis, vt indulgeas deprecamur, per Christum Dominum nostrum. Orientales verò hac ferè verborum forma defunctos Deo commendare solent: Respice me Deus, & memeto omnium qui dormierunt in spe resurrectionis, & vitæ eternæ, & requiescere eos facito, vbi videtur lumen vultus tui & c.

Concilium Aurelianense secundum: Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerunt interempti, recipi debere censemus: si tamen non ipsi mortem probentur proprijs manibus intulisse. Præter id, quod ad institutum nostrum facit, ex hoc Canone discimus, publicè pro ijs orandum, aut sacrificandum non esse, qui scientes volentesq; mortem sibi consciverunt. Sunt enim hi eorum loco, & numero habendi, qui peccauerunt peccatum ad mortem, pro quibus, vt supra ex diui Ioannis sententia audiuius, non est orandum: atq; hoc disertè confirmat Concilium Bracharense primum. decernit enim: **Qui** si bijsis quolibet modo culpabili inferunt mortem, nulla pro ijs si facta adijcitur culpa. Nam qui citra culpam mortem sibi inferunt, & qui in phrenesi, aut mania constituti, violentas manus sibi adferunt, aut casu aliquo mortis sibi authores existunt, illi eiusmodi pietatis præsidij orbari non debent. Idem Concilium alio quodam Canone monet, quæ pro defunctorum redemptione, vel commemoratione à fidelibus offeruntur, ea statis anni temporibus ex æquo inter altaris ministros dispertienda esse.

Concilium Bracharense secundum: Cognouimus quosdam Presbyteros in huius præsumptionis audacia retineri, vt Missas mortuorum etiam post acceptum merum ausi sint consecrare. Ideoq; hac præfixæ euidentis sententiæ admonitione seruetur, vt si quis Presbyter post hoc edictum nostrum amplius quocumq; cibo præsumpto oblationem consecrauerit in altari, continuo officio priuatus à proprio Episcopo deponatur. Et hinc discet Missas defunctorum causa ante nongentos annos fuisse

t t

cele-

Publicè pro
ijs non est o-
randum, qui
mortem vltro
sibi conscie-
uerunt.

1. Ioan. 5.

Can. 34.

Non omnes,
qui mortem
sibi conscie-
scunt,noxæ
obnoxij sunt.

Can. 19.

Can. 10.

Pœna exau-
thoratiõis fe-
riuntur, qui
secus quam
ieiuni Missas
celebrant.

celebratas, & à ieiunis celebratas: & grauissimam in eos poenam constitutam, qui secùs quàm ieiuni tremenda mysteria siue pro viuis, siue pro defunctis offerrent.

De cõf. d. r. c.
Non oportet.

Eodẽ tendunt & hæc Gratianæ quoque, ex Martini eiusdem Bracharensis Ecclesiæ Episcopi Canonibus petita: Non oportet Clericos ignaros & præsumptuos super monumenta in campũ mysteria, vel altaria portare, aut distribuere Sacramenta: sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, vbi Martyrum reliquiæ sunt depositæ, vbi pro defunctis oblationes offerri solent. Offerendum est ergo pro defunctis, sed nõ passim: verũ in locis maiorum autoritate ad hoc institutis, & consecratis: Cuiusmodi sunt Basilicę ac templa Sanctorum reliquijs ornata.

Non vbi libet
promiscuè fa-
cris operan-
dum, sed in
locis sacris.

Commendant eundem pro defunctis offerendi ritum, & pietatem, & Synodus Cabilonensis, & Epanensis, & VVormatiensis quoque. Cabilonensis: Visum præterea nobis est, vt in omnibus Missarum solennibus pro spiritibus defunctorum loco cõpetenti in Ecclesia ad Dominũ deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus & pro quibuslibet necessitatibus Dominum deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solennibus fundantur.

De conf. diff.
r. c. Visum est.

Quotidie pro
defunctis o-
randum &
offerendum.

26. q. 6. c. Si
quis.

Concilium Epanense: Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui iam sit confessus, & testimonium habeat bonum, & non poterit venire ad sacerdotem: si præoccupauerit eum mors in domo, aut in via, faciant pro eo oblationem ad altare parentes eius, & dent redemptionem pro captiuis. At nusquam captiui detinentur, qui redimi queant, nisi in solo purgatorio. In inferno enim nulla est redemptio, in cœlo autem nulla premit captiuitas. Huic cognatum est illud Synodi Triburiensis: Interdictum sit omnibus Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare. Nisi fortè proximi, aut defuncti amici propter nomen Dei, & redemptionem animæ viri gratis donare velint.

In solo pur-
gatorio deti-
nentur capti-
ui, qui redimi
possunt.

Can. 16.

Nulli mortuo
vendenda ter-
ra.

Can. 10.

Concilium VVormatiense: His qui in patibulis suspēduntur

ne denegetur sepultura: & oblationes pro ijs fiāt, & Missæ celebrētur. Hæc Synodus VVormatiensis de ijs, qui ppter maleficiũ suspenduntur: de ijs aut, qui in ipso scelere perimuntur, Synodus Triburiensis oppositum decernit. Si quis, habet illa, inuentus fuerit furtũ, aut rapinã exercere, & in ipso diabolico actu mortẽ mereretur incurrere: nullus p eo præsumat orare, aut eleemosynã dare. Et eleemosyna pro eo data in memoriã, nec clericorũ, nec pauperũ veniat, sed execrabilis sordescat. Hæc tamẽ sanctio de illis accipiẽda est, qui tanta celeritate in ipso maleficio extinguntur, vt nullũ veræ poenitentiæ signum edere valeant. Nam si vel ad exiguum temporis spatium superstitēs, aliquod veræ resipiscentiæ argumentum præberent, liceret nõ solũ priuatim, quod semper licet, saltem sub conditione, verũ etiam publicè pro talibus orare. Et idem de illis quoque statui potest, qui vltro mortem sibi asciscunt. Nam & illi quoque, antequam spiritum exhalent, interdum ad se redeunt. Sed quia rarò id contingit, lex habet, quàm vsus quoq; confirmat, vt pro eiusmodi non oretur, nec sacrificetur.

Pro ijs, qui in
patibulis sus-
penduntur,
orandum &
celebran-
dum.
Can. 31.

Non orandũ
pro ijs, qui in
ipso scelere
perimuntur.

Pro omnibus
orare licet,
qui impoeni-
tentes non
obiũrunt.

Can. 17.

Quicumque, pronunciat Antisiodorensis Synodus, se propria voluntate in aquam iactauerit, aut collo ligatus suspenderit, aut de arbore præcipitauerit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione voluntariæ se morti tradiderit, istorũ oblationes non recipiantur. Simile quid paulò antè allatum fuit ex Synodo Bracharensi, & vtriusque Canonis idem est scopus, eademq; ratio: nempe in peccato ad mortẽ extinctum esse.

Concilium Triburiense: Vbicunque facultas rerum, aut temporum opportunitas suppetit, sepulturã morientiũ apud Ecclesiam, vbi sedes est Episcopi, ordinamus celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adiacentem aliquius inopportunitatis difficultatẽ, impossibile videatur, expectet eũ terra sepulturę suę, quo Canonicorũ, aut Monachorum, siue Sanctimonialiũ cõgregatio sancta cõmuniter degit, vt eorum orationibus iudici suo cõmendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum in-

Can. 15.
Communis
sepulturæ se-
des in Eccle-
sia cathedra-
li constituenda.

tercessionibus percipiat. Quantum iustorum oratio defunctorum causa fusa apud Deum possit, ex hoc Canone cognoscere licet: siue id, quod de peccatorum remissione hic dicitur, ad poenas peccatis debitas referas, siue ad leues quasdam noxias.

Concilium Florentinum, ad quod vniuersus penè Oriens & Occidens in primarijs suis membris conuenit: Definimus illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, qui post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exuta corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi, & clarè intueri ipsum Dominum trinum & unum. & in decreto vnionis rursum: Definimus poenitentes, qui in Dei charitate decesserunt antequam dignis poenitentiae fructibus, de commissis satisfecerint, eorum animas poenis purgatorij purgari.

Anima purgata statim admittuntur ad claram Deivisionem.

Sess. 6. c. 30.

Concilium Tridentinum: Si quis post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, & reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exoluendae, vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna caelorum aditus patere possit, anathema sit. Haec eadem ex instituto confirmantur capite septimo Sessionis vltimae.

Recentiorum Synodorum loco, quas Antagonistae auersantur, accipe vnum aut alterum locum ex Gratiani Rhapsodia. legitur hic ergo: Non estimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quod pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificijs solenniter supplicamus. Quauis non pro quibus fiunt omnibus profunt, sed his tantum, pro quibus, dum viuunt, cooperantur ut profint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regenerationis omnibus facere, ut nullus eorum praetermittatur, ad quos haec beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista his, quibus nec obsunt, nec profunt, quam eis deerunt, quibus profunt. Ergo aliquibus profunt: ergo non omnes, qui humanis excedunt, statim deportantur ad coelum,

aut

13. q. 2. c. Non estimemus.

Triplex sacrificij genus mortuis prodest.

Suffragia non omnibus profunt.

aut infernum: ergo post hanc vitam extat purgatorium.

Legitur hic rursum: Tempus, quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut quaeque digna est, vel requie, vel aërumna, pro eo quod sortita est in carne dum viueret. Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium subleuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynae fiunt in Ecclesia. Sed haec eis profunt, qui cum viuerent, haec sibi ut postea possent prodesse, meruerunt.

13. q. 2. c. Tempus.

Anima continentur sedibus, pro merito ratione se dignis.

Legitur hic tandem: Animae defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Alludit hic Canon in partem ad illud Chrysostomi: Est, si uoluerimus illi leue facere supplicium. Itaque si preces pro illo faciamus continuas, si eleemosynas demus, & si ille indignus sit, nobis Deus placatior erit. Si propter Paulum alios seruauit, & propter alios alij parcit: quomodo non & propter nos istuc ipsum faciet?

13. q. 2. c. Animae. Quatuor modis iuantur defuncti.

Homi 1. 21. in Act.

Purgatorij fides ex sanctorum Patrum traditione, communique Scriptorum Ecclesiasticorum sensu atque consensu de nouo constituitur, & confirmatur.

CAPVT NONVM.



Vid sacrae literae, summi que Ecclesiae Hierarchy, tum venerandae quoque Synodi de Purgatorio statuant, id expositum est hactenus non parum perspicue: nunc quid Patrum traditio hic habeat, operae precium est cognoscere. Nam licet vnus, aut alter Ecclesiasticus scriptor, si Scripturae, aut Ecclesiae definitiones sileant, fidei articulum non constituent: at tamen quod omnes vnanimi consensione tradunt, tradideruntque semper, hoc veritatis fundamento destitui nequit. Sanè si

Quod omnes Patres statuant, hoc veritatis fundamento destitui nequit.

vni, aut alteri fido historico fidem habemus; neque, quæ à maioribus accipimus, in dubium vocamus: non potest profecto non improbissimus censeretur, qui omnibus, qui ante nos vixerunt, & scripserunt, fidem abrogare nititur. Maximè verò, cum nulla assignari queat causa, nulla probabilis ratio, cur hinc mentiri, aut improprie loqui voluerint; multè verò, cur verissimè, ac propriissimè ea de re scribere ac loqui debuerint. Nec enim parua res est, aut falsum cultum inducere, aut falsum aliquod dogma sua auctoritate statuere. Sed iam ipsos de purgatorio, modisque, quibus illi, qui in illo detinentur, iuari debeant, mixtim differentes audiamus. Et primò quidem Græcos, Græcisque cognatos, eosque vetustiores, mox primæ classis Latinos. Siquidem ex recentioribus nullum in medium adferre lubet. Non quòd ipsi quoque non æquè religiosè scribant, ac multi veteres: sed quòd Sectis addictis, vel aliàs malè affectis, ex odio veriùs, quàm ex fidei zelo, scripsisse videri queant.

D. Iacobus Hierosolymitarum Episcopus: Pro omni anima Christiana afflicta, & vexata, misericordia & auxilio Dei indigente, & vt reuertantur, & redeant ad pietatem, vt infirmi conualescant, captiui liberentur, patresque ac fratres nostri, qui antè obièrunt, in pace requiescant, Dominum oremus. Hanc autem Liturgiam à diuo Iacobo editam esse, præter Proclum, Nicolaum Methones Episcopum, Marcum Ephesinum, Bessarionem Cardinalem, Gratianum, & alios quàm plurimos recentiores disertis verbis testatum facit Synodus sexta.

Dionysius Areopagita: Accedens deinde diuinus Antistes, sacram precationem super defunctum peragit. Peracta autem solenni prece, cum ipse summus sacerdos, tum cæteri quoque, qui vnà adsunt, ipsum consalutant. Precantur autem diuinam clementiam, vt defuncto vniuersa peccata, quæ per humanam infirmitatem cõtraxerat, condonet, eumque in luce & viuentium regione constituat. Hæc sanè apertiora sunt, quàm quæ quacunque detorsione eludi, aut obscurari queant. Disertè enim testatur Apostolorum ætate preces defunctorum causa

Res grauissima est, falsum cultum inducere, aut falsum dogma statuere.

Can. 32.

Ecc. Hier. 6. 7. P. 3.

causa fufas fuisse. nec enim aliud sonant verba illa: Precatur diuinam clemenciam, vt vniuersa peccata defuncto condonet, quæ per humanam infirmitatem admiserat, eumque in luce ac regione viuorum constituat. Subiungite eodem capite, iustorum preces post mortem non omnibus prodesse, sed ijs tantum, qui digni sunt: Tum quod de mortuorum suffragijs traditur, & in Ecclesia obseruatur, id ab Apostolis acceptum esse.

Abdias Babylonius: Sequenti die, qui erat tertius à morte Drusianæ, cum sanctus Ioannes, & vir mulieris Andronicus matutinis horis ad tumultum conuenissent, vt sacra peragerent: ecce clauis sepulcri non inueniebantur. Et hinc obseruatum Apostolum Ioannem funebri sacro Drusianæ parentasse. Neque enim aliud sacrorum nomine accipere hinc possumus, quàm incruenti illius sacrificij oblationem: quippe cum apud Christianum populum nullum aliud sacrorum genus sit vfitatum. Sacra nanque & sacrificia Iudaica iam tum dudum antè exoluerant.

Origenes: Verum hæc ipsa purgatio, quæ per poenam ignis adhibetur, quantis temporibus de peccatoribus exigit cruciatus, solus scire potest ille, cui pater omne iudicium tradidit. & alio rursum loco: Veniendum omnibus ad conflatorium. Si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt etiam parum aliquid sit auri, purgatum tamen residueat. Quod si alius illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo, quod scriptum est: Demergetur in profundum, tanquam plumbum in aqua validissima. Plura, quæ ad rem faciunt, hoc loco tangit. Primò constituit poenam purgatoriam post hanc vitam. Mox addit modica mala, quæ multis bonis interdum coherent, tanquam plumbum auro admixtum, per ignem resolui, penitusque aboleri. Tandem, ne quis cauillari posset Origeni omnes poenas purgatorias esse, cõcludit, qui toti plumbei, hoc est, Christi gratia prorsus destituti, & multis præterea magnisque sceleribus prægrauati illuc accesserint, illos tanquam plumbum in infer-

Lib. 5. Hist. Apost.

Lib. 8. c. 10. in Epist. ad Rom. Incertum quod diu cruciet poena purgatorii. Hom. 6. in Exod.

infernum demersum iri, nunquam inde amplius emerfuros, alludit enim ad exercitum Pharaonis, qui rubri maris fluctibus instar plumbi obrutus, nunquam inde ad vitam enatauit.

Vide Damasc.
ser. de dorm.

Athanasius: Si quis diem obierit, licet in aërem deponatur, ne omiseris oleum & ceram, inuocato Christo Deo, ad sepulchrum accendere. Accepta sunt enim Deo, plurimamque se cum deferunt remunerationem. Oleum enim & cera holo-caustum est; incruentæ autem hostiæ oblatio, propitiatio, Quod verò in pauperes collocatur beneficium, omnis bonæ retributionis augmentum est. Et hîc non solum eleemosynæ in pauperes defunctorum causa erogatæ, incruentumque altaris sacrificium eorundem gratia oblatum commendatur; verum etiam cerei, & lampades, ad demortui tumulum accensæ.

Homil. in
Domi.

Eusebius Alexandrinus: Memêto in oblatione parentum, ac fratrum, qui iam de vita decesserunt. Quod si feceris, magnâ illis requiem præbes. Comple preces tuas. Insinuat hic author eas preces non esse plenas, quæ viuorum tantum gratia funduntur. Quò ergo oratio sit plena, pro vtrisque orandum est.

In Liturg.

Basilii: Qui in ipso perfectissimo, & salutari festo, supplices expiationes pro his, qui in inferis detinentur, suscipere dignatus es, exaudi nos, te rogamus. & infrà: Memento Deus omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ. Refrigerera eos, vbi visitat lux vultus tui. Hæc Basiliana expositione nulla indigêt. Nihil enim clarius dici potest, quàm clementem Deum supplices expiationes, quæ pro his, qui apud inferos detinentur, funduntur, non aspernari. Soli autem illi, qui in purgatorio poenis exercentur, eiusmodi sacrificijs, & precibus subleuari possunt.

Hom. 3. Epi.
ad Philip.

Chrysostomus: Desleamus istos, iuuemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxiliij, modici quidem, attamē iuuemus eos. Quo modo? qua ratione? Precantes exhortemur & alios, vt pro ipsis orent: pauperibus indefinenter pro illis eleemosynas

mosynas demus. Et infrà rursum: Nō temere ab Apostolis sanctum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorū memoria fiat eorum, qui hinc decesserunt. Nouerunt enim illis multum hinc emolumentum fieri, multum vtilitatis. Et hîc disertis verbis confirmatur, quod ex Dionysio paulò antè allatum fuit: nempe Apostolicam traditionem esse, vt in tremendis mysterijs, hoc est, in Missæ sacrificio, defunctorum ratio & commemoratio habeatur.

Traditio Apostolica est, orare & sacrificare pro defunctis.

Damascenus: Serpens ille, cuius studium est, bonâ, Deoque accepta opera vitare, iugulare, hostiles dolos struere, qui & charitate fraterna percellitur, fide distrumpitur, compassione rotatur, vt est præuaricator legum, nonnullis inspirat figmentum adulterinum, sacrisque constitutionibus aduersum, videlicet bona grataque Deo opera defunctis nihil prodesse. Er

Orat pro defunct.

Sectarij antiqui serpentis ministri.

Theophylactus: Oblationes & distributiones, quæ fiunt pro defunctis, non parum conducunt eis, qui etiam in grauibus peccatis mortui sunt. Nō omnino igitur, posteaquam occidit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mittendi. Ne igitur cesses per eleemosynam, & intercessionem propitium reddere Dominum, qui potestatem habet mittendi, non semper autem potestate hac vtentem. Quæ de grauibus peccatis hoc loco dicuntur, ea sano sensu accipere oportet. Neque enim per peccata grauia designantur hîc capitalia necdum condonata, sed tantum condonatorum poenæ. Vel certè venialia: Nam quauis isthæc leuia sint, si cum mortalibus comparentur, sunt tamen grauia, si inter se committantur. Quandoquidem vt plumbum magis resistit igni, quàm lignum, & hoc rursum magis, quàm foenum; & hoc tandem magis, quàm stipula: ita peccatum veniale, per plumbū metaphoricòs designatum,

Ad cap. 12.
Luc.

tum, grauius est altero, quod significatur per lignum; & hoc illo rursum, quod adumbratur per scœnũ; & hoc illo denique, quod insinuat per stipulam.

Lib. 3. hæz. 78.

Epiphanius: Profunt autem & preces, quæ pro vita defunctis fiunt, etiam si totam culpam non abscondant. & paucis interiectis rursum: Ecclesia necessariò hoc perficit, traditione à Patribus accepta. Quis autem poterit statutum matris dissoluere, aut legem patris? & alio item loco: In his, qui vita defuncti sunt, ex nomine memorias faciunt, orationes ad Deum perficientes, ac cultus diuinos, & mysteriorum dispensationes. Tria hinc obseruatione non prorsus indigna exponuntur: Primò preces, quæ defunctorum gratia promuntur, eorum Spiritibus prodesse, etiam si non totam semper eorum culpam absument. Mox, pro defunctis orare, vt à peccatis absoluantur, cæremoniam esse à Patribus, hoc est, ab Apostolis, eorundemque successoribus, acceptam. Turpe autem esse, aut matris statutum, aut patris legem conuellere. Postremò, Ecclesiam necessariò hoc pietatis officium defunctis impendere, vtpote maiorum traditione, & consuetudine compulsum.

Hom. 3. in Epiph.

Eusebius Emisenus: Illic periuria, malitiæ, cupiditates, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exudabunt. Illic stannum & plumbum diuersarum passionum, quæ aurum diuinæ imaginis adulterauerant, consumentur. Quæ omnia hinc ab anima per eleemosynas & lachrymas compendij transactione separari poterant. tandem concludens infert: Ecce sic exigere habet ab homine rationem, qui seipsum pro homine dedit, & confixus clauis, legem mortis fixit. Et hæc quoque, aut de solis venialibus, aut de mortalium tantum reliquijs exponenda sunt. Planum est enim lethalia periuria, aut capitales malitias, aut mortiferas cupiditates, per ignem in altero seculo non exudari, aut consumi; neque à puro auro eiusdem ignis actione separari, imò verò cum puro charitatis auro consistere nullo modo possunt: sed temporarias

rarias tantum earundem poenas, quæ etiam per eleemosynas in hac vita poterant redimi.

Gregorius Nyssenus: Si quò perturbationum impetus duxerit, bestiarumque pellem ad vitia ministram habuerit adiutricem, aliud deinde ineundum erit consilium, vt ad bonum perueniat, cum è corpore egressus, cognita, quæ inter virtutem & vitia differentia, non poterit diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animæ immixtas purgatorius ignis abstulerit. Et hinc disertè pronuntiatur, qui quacunque ratione maculati hinc egrediuntur, illos non prius ad claram Dei visionem admitti, quam purgatorius ignis maculas animo concretas aboleuerit.

Orat. de his qui in fide migra.

Eusebius: Post transitum meum, fratres mei, assiduò in vestris orationibus mei memoriam faciatis. Accedentes nunc claudite mihi oculos, super eos manus imponentes: reminiscamini autem mei abiecti in vestris pijs & sanctis orationibus. Etenim in vanitate, & iniquitate vitam peregi meam. Quòd autem hæc pietatis officia post decursum vitæ huius stadium sibi voluerit impendi, id ex orationis forma patet clarè. Neque enim petit vt ante transitum hæc fiant, sed post transitum. Et confirmatur ex illis, quæ de trigésimo celebrando, suffragiorumque fructu ibidem subiungit.

In suo test.

Cyrillus Hierosolymitanus: Ad eundem modum, & nos pro defunctis deprecationes adhibentes, quanuis sint peccatores: non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus. Quod de peccatoribus hinc dicitur, (nam reliqua sunt clara: nihil enim planius dici potest, quam quod hinc scribitur, puta, Nos pro defunctis deprecationes adhibemus, & Christum pro peccatis nostris mactatum, vt illis, & nobis profit, offerimus.) hoc de poenitentibus accipiendum est: quandoquidem pro peccatoribus citra vllam poenitentiae significationem ex-

Catech. 5.

tinctis Ecclesia non orat.

In Philoth.

Theodoretus Cyri Episcopus: Pauperes quidam sociorum vnum quasi mortuum efferentes accedunt, rogantque dari sibi aliquid, quo illum possint sepelire. Ille primum postulantis obsecutus, statim pro mortuo Deum rogat, ut dimissis illi peccatis, quæ, dum viueret, admisisset, in piorum numerum asciscere dignaretur. Atqui frustra sanctus hic vir Deum pro mortuo rogasset, cum ut peccata illi dimitteret, tum ut in piorum numerum reciperet, nisi certò persuasum habuisset, eiusmodi adminiculis ad vtriusque consecutionem iuari posse.

In rer. eccl.
Theoria.

Germanus Episcopus Constantinopolitanus: Fit autem memoria & apud Deum pro defunctorum spiritibus, & pro omni carne, ut qui mortuorum & viuentium potestatem habeat, & dominetur supercoelestibus, terrenis, & subterraneis. At quorsum pro demortuorum spiritibus perinde oratur, ac pro omni carne viuente, si vita defuncti æquè ijs iuari non possunt, atque cæteri, qui etiamnum supersunt?

Damas. in
hist. Barla.

Sanctus Iosaphat: Domine Deus ne memineris iniquitatum illius antiquarum, sed secundum magnam misericordiam tuam dele chirographum peccatorum suorum, & charitam criminum illius scinde. Preces, quæ pro Auenir principe promuntur, non promuntur pro viuo, sed pro mortuo: nec rursus pro deplorato, sed pro eo qui sperabatur iuari his posse.

In vita Ioan.
Eleemosyn.

Leontius Episcopus Neapoleos: Sæpe affidebat eis, Ioannes Eleemosynarius, qui morituri vexationem in animæ exitu patiebantur, & ipse eorum oculos proprijs manibus claudabat: memoriam æternam ex hoc habere volens, & curam propriij exitus. Iniungebat autem collectas pro defunctis, easque certò volebat perfici. Siue *συλλογῶν* nomine accipias preces, siue eleemosynas, siue aliud quodcumque eiusmodi, constat ex hoc loco sanctum illum virum aliquod charitatis officium defunctorum causa imperasse.

Nico-

Nicolaus Cabasilas: Duobus modis sanctificare cernitur diuinum hoc mysterium: vno quidem modo intercessione: altero modo participatione, qua fit nobis verus cibus, & potus, ut dicit Dominus. Horum modorum primus quidem communis est viuis & defunctis: Etenim pro vtrisque offertur sacrificium. Secundus autem solis viuentibus permittitur: Mortui enim non possunt amplius comedere aut bibere. Quid igitur? propterea non sanctificantur hac sanctificatione, quæ prouenit ex participatione, & deteriori sunt in hac parte conditione mortui, quàm viuentes? Minimè.

In expof. Li-
turg.

Haftenus Græcorum Patrum autoritate purgatorij fidem constituimus, quos numero ob id ampliori in rem præsentem adduximus, quò impudentem quorundam Sectariorum vanitatem patefaceremus. Nam cum tot sint, qui purgatorium prædicent, mentiri tamen audent, vniuersam Græciam, omnesque eiusdem Scriptores, solo Chrysoftomo excepto, purgatorium ignorare. Non inficiamur in Concilio Florentino inter Latinos & Græcos certamen aliquod de purgatorio extitisse: at hoc non de purgatorij veritate, sed de ignis purgatorij qualitate, & ratione. Negabant hi enim ignem illum materiale esse, quod illi, hoc est, Latini, affirmabant. Verùm in argumentorum solutione iterum hac de re recurret sermo. Prodeant iam tandem in medium Latini Scriptores.

Clemens Romanus Petri discipulus, & in cathedra successor: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, non mortuorū, sed viuorum Deus respice super hunc seruum tuū, quē recepisti in alteram vitam, & condona ei, si quid volens, vel inuitus deliquit, & Angelos placidos constitue ei, & colloca eū in sinum Patriarcharum, ac Prophetarū, & Apostolorū, & omnium qui tibi à seculo placuerūt. Illustria & præclara sunt hæc, & ut supra ostensum est, ex ipsa Apostolorum schola profecta. Nam ut venerandus hic Antistes, & insignis Christi Martyr, prima sua decretali testatum facit, D. Petrus non solum reli-

Lib. 6. Conf.
Apostol.

cij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego fleui. Et hinc rursus corroboratur, quod proximè dicebamus. Nam etsi beata Monica pijsimè vixisset, sanctissimeque obijisset, (vnde etiam nunc non secùs atq; Paula Romana inter Diuorum numerum relata est) nihilominus D. Augustinus perinde pro ea preces, & altaris sacrificium offert, atque pro alijs consuetum id erat fieri. Atque hoc ipsum religiosissima illa vidua, dum in viuis adhuc erat, vt fieret, obnixè rogauerat. Ponite, inquit, corpus hoc vbicumque, nihil vos eius cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei vbicumque fueritis.

Lib. 9. c. 11.

In vita D. August.

Possidonius: Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, & vt scriptum est, nobis astantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace cum patribus suis, enutritus in bona senectute: & nobis coràm positus pro eius commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est. Testamentum nullum fecit, quia vnde faceret pauper Christi non habuit. Et hinc idem denuò factum perspicimus. Nihil dubitabat Possidonius, & qui cum eo aderant, de pia Augustini obdormitione, deque inculcata eiusdem, in vitæ huius peregrinatione, conuersatione: & tamen in corporis eius depositione nõ pro ipso corpore, sed pro ipsius corporis hospite, hoc est, pro animo illius oratum, & sacrificium Deo oblatum est.

Lib. 2. c. 23.

Gregorius: Eas se communionem priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent, & infra: Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est, qui manu sua protinus oblationem dedit, dicens: Ite & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vltiùs excommunicatè non erunt, Quæ dum pro eis oblatio fuisset oblata, & à Diacono iuxta morem clamatum esset, vt non communicantes ab Ecclesia exirent, illè vltiùs exire visè non sunt. Ex hoc Gregorij loco præter alia apertè colligimus, iustam Ecclesiæ censuram etiam post

post mortem vim suam retinere. Ex hoc autem rectè infertur, gratias & venias Pontificias, cæteraque eiusmodi, ad ipsum quoque purgatorium sese extendere. Nam si Deus Opt. Max. ratam eam habet excommunicationem, quæ decernitur in demortuos; rursus, si iustè in viuos lata demortuos ligatos, constrictosque adhuc tenet: cur Ecclesiæ condonationes, viuentium preces, Sacerdotum oblationes, amicorum ieiunationes, & cætera omnia, quæ mortuorum causa in Ecclesia & ab Ecclesia fieri solent, respuat?

Paulinus Nolæ Episcopus: Petimus vt paterna affectione compatiens huic nostro dolori, meminisse digneris illū quondam spiritualement tibi filium gratia Dei fuisse progenitum, & ideo tuæ specialiter curæ hanc esse causam, ne pietatem tuam, quæ de nobis filijs gloriabatur, dilapidata hereditariæ portionis substantia, cōfundamus: sed potiùs vt orationibus tuis condonetur tibi, vt illius animam, vel de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respargat. Et hinc, quantum piorum preces defunctorum causa depromptæ apud Deum valeant, clarè exponitur, simulque tartarum & purgatorium ignem eiusdem rationis esse insinuat. Alludit enim Paulinus ad illud Lucæ: Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Epist. ad Delph.

Luc. 16.

Isidorus: Nisi Catholica Ecclesia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. & Augustini autoritate id confirmans, subdit: In quodam loco ab Augustino dictum est: Defunctorum animæ sine dubio pietate suorum viuentium releuantur, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur. Et hinc sanctus ac eruditus Episcopus in vniuersalis Ecclesiæ consuetudine vim facit, & id optimo iure: Impossibile est, vniuersalem Ecclesiam in vniuersali cultu vniuersaliter errare.

Lib. 1. cap. 18. Offic.

Petrus Rauennæ Episcopus: Terret fratres, terret nimis vocis huius auditus, quæ ostendit post mortem, & semel apud inferos

Ser. de Laza.

x x

pœna-

poenali custodia deputatos, ad Sanctorum quietem non posse transferri, nisi Christi gratia iam redempti, hoc est, in Christi gratia extincti, ab hac desperatione sanctae Ecclesiae intercessione saluantur: vt quod sententia negat, Ecclesia mercatur, gratia praestet. Et hic vtriusque ignis identitas adumbratur. Neque enim totum, quod hoc loco exponitur, ad solos damnatos referri potest, vt qui neq; ab inferis ad superos aliquando transferri, neque Christi sanguine efficaciter sint redempti. Est ergo sermo de iustis, vel poenitentibus, qui propter nefaria scelera, quae in viuis admiserunt, pro merito poenas apud inferos dependunt.

Histo. Laufr.
c. 41.

Palladius: Cum autem venisset Presbyter, reliquae virgines ei rem renunciarunt. Iussit igitur pro nulla harum oblationem fieri. Eas autem, quae non pacem agebant, quae consciae erant illius, quae fuerat calumniata, & quae dicta sunt crediderant, septennium segregauit, eas excommunicans. Quod religiosus Pater pro neutra illarum, quae mortem sibi consciuerant, sacrificium voluerit offerri, aliud omnino nihil in causa fuit, quam quod Ecclesiae iudicio impoenitentes vitam finiuerant. Nam, quantum ex mortis genere conijcere licuit, peccauerunt peccatum ad mortem. Quod si poenitentes, aut non aperte impoenitentes obijissent, utiq; id illis suffragiorum impensum fuisset, quod alijs de more impendi solitum erat, & illis ipsis nihilominus a virginibus illis impensum fuisset, nisi Presbyter ille fieri id inhibuisset.

Lib. 2. perfec.
VVand.

Victor Vticae Episcopus: Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquae perennis? Qui nobis poenitentiae munus collaturi sunt? Qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus? Et hic veteres Africanos solenni prece & sacrificio mortuis parentasse conceptis verbis docetur.

Lib. de offic.
Mis. c. 3.

Amalarius Episcopus Treuerensis: Sicut Sanctorum anniuersaria dies in illorum honorem ad memoriam nobis reducitur
super

super vtilitate nostra: ita defunctorum ad vtilitatem illorum, & nostram deuotionem adimplendam, credendo eos aliquando venturos ad consortium Sanctorum. Alioqui omni tempore bonum est orare pro defunctis, etsi nesciatur dies defuncti per obliuionem, vel per ignorantiam, vel praetermittatur propter occupationem aliquam terrenam. Hinc discimus, anniuersaria defunctorum commemorationem, non esse rem nouam: Tum bonum ac salutare esse, si crebro, vel etiam continuo pro defunctis oretur, & non semel, aut iterum tantum, vt quidam solo nomine Christiani iudicant.

Beda: Nonnulli propter bona quidem opera ad electorum sortem praedeterminati, sed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exierunt, post mortem seuerè castigandi excipiuntur flammis purgatorij ignis, & vel vsq; ad diem iudicij longa huius examinatione a vitiorum sorde mundantur: vel certè prius amicorum precibus, eleemosynis & fletibus, & hostiae salutaris oblationibus, soluti poenis, & ipsi ad beatorum perueniunt requiem. Quae de purgatorij acerbitate, eiusdemque diurnitate hic exponuntur, ea reuelationibus, quae religiosi quibusdam hominibus diuinitus obtigerunt, non dissonant. At nobis interim ea magis probantur, quae supra ea de re ex Origene notauimus: nempe de poenae huius diurnitate nihil, quod satis certum sit, pronuciari posse. Sat sit, Bedam vtrunque affirmare: nempe poenam unicuique pro meritorum ratione decerni, decretamque viuientium precibus & eleemosynis posse mitigari.

Ad illud Ioz.
Testimo. per.
hib.

VValfredus Abbas: Non modicus error videtur, quod quidam se non posse aliter plenam eorum commemorationem facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant: vel pro viuis & defunctis non simul aestimant immolandum: cum verè sciamus vnum pro omnibus mortuum, & vnum panem esse & sanguinem, quem vniuersalis Ecclesia offert. Hic simul vna oratione & veritas confirmatur, & error refutatur: Orthodoxae veritati consentaneum est dicere, pro viuis & defunctis altaris sacrificium offerendum esse: Errori autem affine

est, existimare non posse illud simul pro vtrisque immolari:

Ad cap. 12.
Machab.

Rabanus Moguntinus Episcopus: Qualiter pro defunctorū salute agendum sit, ostendūt sancti Patres in scriptis suis. Vnde placuit vnum de opusculis diui Augustini huic operi inferere, Lectori mandātes his similia aliorū Patrum dicta requirenda esse. Subijcit deinde locum ex Enchiridio Augustini, quem nos suprā allegauimus. & libro secundo, quem de Clericorum institutione edidit, docet Apostolicam traditionē esse, orare & sacrificare pro defunctis.

Cap. 47.

Ser. 2. de S.
And.

Petrus Damianus: Non tibi blādiaris, si grauiter peccāti leuior poenitētia, à māsueto, vel à dissimulāte dicitur: cū in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quicquid hīc minus feceris, quia dignos poenitentiae fructus quærit altissimus. Quòd id totum in purgatorio dependendū hīc asseritur, quod iusto minus in hoc seculo fuerat per solutū, hoc non omnino præcisè accipiendū est. Nā vt in iusto politico assignātur gradus, summus videlicet, medius, & infimus: ita in foro quoq; Ecclesiastico. Quare si iudicis Ecclesiastici sententia dum poenā taxat, non in ipsum prorsus scopum collimet, sed infra aliquantum consistat, vel pusillum quoque excedat, summus ille iudex, cui nihil occultum est, totum ratum & gratum habet.

In suis Chro-
nic.

Sigebertus Gemblacensis: Hoc Abbas Odilo cōperto constituit per monasteria sibi subiecta, vt sicut primo die Nouembris sollempnitas omniū Sanctorum agitur: ita sequenti die memoria omniū in Christo quiescentiū celebraretur. Qui ritus ad multas Ecclesias transiens, fideiū defunctorū memoriā sollempnare fecit. Non tunc demum ritus orandi vel sacrificandi pro defūctis coepit: absit. Sed tūc demū, vt hic author innuit, coeptū est sollempnē omniū commemorationē vno die pagere.

In Vita Mala.

Bernardus: Quadam nocte audiuit per somniū vocē sibi dicētis, sororē eius stare foras in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil gustasse. Qui euigilās citò intellexit cuius escę inedia marceret, & diligēter discussō numero dierū, quem audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de caelo viuum non obtu-

obtulisset. Subdit postea precum & oblationum eiusdem Malachiae vim: Nōne, inquit, tibi videtur Malachiae oratio vicem quodammodo effractoris exhibuisse caelestibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur?

Malachias Hiberniae Episcopus: Non parum spei repositū est mihi in die illa, qua mortuis tanta à viuis beneficia impenduntur. Agit de eo die, cuius ex Sigeberto paulò antè meminimus. Hoc enim die maiores nostri singulari deuotionis studio in defunctorum redemptionem incumbebant, & etiamnum diligenter in id incumbunt eo die omnes, quicunq; verè solideque Catholici sunt.

In eiusdem
Vita.

Guilhelmus Abbas sancti Theodorici: Cū Malachias, is nimirum cuius semel atque iterum nunc meminimus, caelo animam reddidisset, offerens pro eius trāsitu venerabilis Abbas Bernardus hostiam salutarem, gloriam eius Domino reuelante cognouit, & eodem inspirante, sacrificio iam expleto formam mutauit orationis, & collectam intulit, quæ ad sanctorum pontificum celebritates, non ad commendationes defunctorum pertinet. Hoc exemplo denuo confirmatur, quod iam aliquoties antè dictum est, nempe Ecclesiā nequaquam pro ijs orare, aut sacrificiū offerre, quos certò nouit beatos: sicut nec pro illis quoque, quos certò nouit damnatos. Solūm autē pro illis offert, & orat, & elemosynas erogat, quos propter leuia peccata, aut grauiorum peccatorū reliquias, caeli aditu prohibitos existimat.

In vita Ber-
nardi.

Innocentius eius appellationis tertius: Orat pia mater Ecclesia non solūm pro viuis, sed etiā pro defunctis, vt eos sacre intercessione oblationis commendet. Certissimè credens, quod sanguis ille preciosus, qui pro multis effusus est in remissionē peccatorum, non solūm ad salutem uiuentium, verūm etiam ad absolutionem valeat defunctorum. Hæc Innocentius. Similia comperias apud Thomam, Bonauenturam, Albertum, Thomā Valdensem, & alios præterea multos, qui multos an-

De officio
Missæ, par. 5.
cap. 6.

nos ante illos scripserunt: imò verò apud nonnullos quoque qui ab Ecclesiæ vaione, & fide per schisma in hæresim desciverunt.

In resol. In-
dul. Conc. 15.

Certissimè apud me cõstat, inquit pridè Lutherus, purgatorium esse: neq; adeò me mouet quicquid hæretici blaterant: cùm iam ante mille centum annos D. Augustinus in lib. suarum Confessionum pro parentibus suis oret, curet etiã pro ipsidem orari: ipsaq; adeò mater eius iam iam moriens, (ita enim scribit) voluerit sui memoriam fieri ad altare Domini. Et vt maximè temporibus Apostolorum purgatorium nõ fuisset, veluti molestus superbit Picardus, ideòne credendum statim hæretico quinquaginta vixdum annorũ? aut ideo pertinaciter contendendum fidem hanc, quæ tot perduravit annos, falsam esse & irritam. Præclara sanè Lutheri de purgatorio, & maiorum traditione confessio, si in ea perseverasset, in qua vsque ad disputationem Lipsicam, & aliquot etiam annos postea constanter perseuerauit. ait enim in ea disputatione: Ego, qui credo fortiter, imò, ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor in Scripturis de eo mentionem fieri. & infra: Nolo mihi suspicionem fieri, quòd faueam hæreticis, aut Boemis. Ego nihil de purgatorio noui, nisi animas ibi pati, nostris operibus & orationibus iuuandas. & infra rursum: Ego cum beatissimis Patribus purgatorium esse confiteor: nec tamen est necesse dicere, quia via nouerim purgatorium. Hactenus Lutherus, quem si sui discipuli hac in parte & confessione sequerentur, licuisset maiorem in partè ab hoc labore supersedere.

Sed & sequi quoq; videri queant. Nam si nõ sequantur, quòd hæc oratio, *Gott geb ihm ein fröliche vrsünd*/pertineat equidè non satis intelligo. Quandoquidem cùm eiusmodi læta fausta que resurrectio beatis certò necessarioq; obueniat, damnatæ autem obuenire non queat: restat vt vilitata illa & familiaris precatio frustranea sit, vel certè vt eò tendat, quòd tendit hæc Ecclesiæ: Absolue Domine animam famuli tui ab omni vinculo

Lutherani in-
scilicet orant pro
defunctis.

vinculo delictorum, vt in resurrectionis gloria inter sanctos & electos tuos resuscitatus respirer, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum &c. hoc est, ad eos, qui detinentur in purgatorio.

Purgatorium, eiusdemque assertionem cum rationis lumine non pugnare, sed oppido illi consentaneam esse.

CAPVT DECIMVM.

Doterant hæc sanè fat esse: attamen quòd veritatem hanc contra Antagonistas validissimè munitam cupiam, quæ hucusque per internã & Theologo propria argumenta probauimus, & quasi ad oculum demonstrauimus, ea nunc externis quibusdã præsidijs, ac firmamentis, (qualia vtique sunt, quæ ex Schola & humana ratione petuntur) denuo confirmare & illustrare visum est. Neque enim frustra Deus Opt. Max. rationis acie nos instruxit. Imò verò licet Scripturis, dum suppetunt, cum ijs agere conueniat, qui Scripturas in totum, aut saltem in partem recipiunt: cum infidelibus tamen, qui Scripturas respuunt, solis rationibus agendum est.

Cum infidelibus sola ratione agendum.

Sed nunquid cum solis infidelibus hoc argumentorum genere certandum est? Nequaquam. Nam vt per rationis præsidium exoticis & à fide alienis ostendendum est ea, quæ creduntur, non esse contra rationem, licet per humanam rationem euidenter probari non queant: ita hæreticis suaue Ecclesiæ iugum proteruè obstinateque excutientibus, demonstrare oportet, quæ Ecclesia prædicat, vel obseruat, Scripturæ non esse contraria, licet ex Scripturis, vel per Scripturas clarè demonstrari non semper valeant. Contra rationem itaque Sectarum duces agunt, dum cõtra Scholæ rationes eiusmodi rationem instituunt: Humana ratio est cæca, ergo in quæstione fidei nõ est adhibenda. Alij adhuc ineptius ita nugantur: Quia, inquit, boni illi viri Scripturarum præsidio destituuntur, ad putidas

Hæretici ineptè nugantur contra rationes humanas.

putidas rationes, Poetarumque fabulas, vel ad ipsum quoque Alcoranum confugiunt. Non enim huc confugiunt tanquam ad fidei asylum, sed tanquam ad aliquod externum asserere veritatis decus & ornamentum. Nam etsi in Theologica disputatione Scholę argumenta, humaneque rationis opes non negligantur: non tamen adhibentur ut argumenta propria & necessaria, nisi forsitan ex loco necessario & euidenti necessaria consecutione deducantur, sed tantum ut probabilia & externa. Quę tamen, ut hoc obiter quoque dicam, adeo non sunt cōtemnenda, ut nulla res publica, nulla humana societas, imò verò nulla disciplina integrè sine illis constare valeat. Perrarò enim Mathematicę apodixes extra Mathematicen occurrunt. Sed iam ad ipsas rationes. Neque enim hoc loco inuestigandum est, quę argumenta in vnaquaque disciplina sint propria, quę item externa, & tantum probabilia: vnum, quod nos hęc ostensum cupimus, est, quę de purgatorio ex Scripturis & Patribus hætenus allata sunt, ea adeo cum ratione non pugnare, ut eidem quoque admodum sint consentanea.

Quòd ergo non omnis iustorum pœna & expiatio vitę huius limitibus cōtineatur, & per cōsequens quod locus quispiam purgatorius post hanc vitam reliquus fiat, id certò ex eo conijcere licet, quòd ex tot orthodoxis Patribus, qui iam inde ab initio in Ecclesia vixerunt, & scripserunt, nullus extiterit vquam, qui, aut Purgatorium negarit, aut illius assertores tanquam hæreticos, aut superstitiosos impugnarit: aut qui cōmunem funerandi Catholicorū ritum minimo verbo reprehēderit: Et tamen credi potest, suadenteque pietate credi omnino debet, si id, quod de Purgatorio in Ecclesia publicè docetur, & creditur, & vsu teritur, hæresis, aut error in fide esset, nunquam illud dissimulatuos fuisse. Tantus enim inerat illis fidei zelus, tantus charitatis feruor, tantus retinendę & propagandę verę synceręque religionis ardor, ut ne minimam quidem hæreseos suspicionem quieti paterentur, nedum errorem tantum, ac tam publicum. Videre id est in omnibus hære-

Nullus vnq̄
Catholicorū
docuit non
esse purgato-
rium.

hæresibus, quę iam inde ab Apostolorum ætate Ecclesiã vexarunt. Nulla enim extitit ad hodiernum vsque diem, quam vel plures, vel pauciores Ecclesię doctores non impugnarent, ac pro virili non refutarint. Ast Purgatorium adeo nullus ex illis omnibus impugnauit vnquam, ut ad vnum penè omnes disertè, vel obscure eos hæreseos notarint, ac condemnarent, qui illud negarent.

Aëriani, inquit Augustinus in eo opere, quod de hæresibus, quę ætatem suam antecesserant, vel eandem etiam attigerant, contexit, ab Aërio quodam sunt nominati, qui cum esset Presbyter, doluisse fertur quòd Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens, orare vel offerre pro mortuis non oportere, nec statuta solenniter celebranda esse ieiunia. Hęc si Aërius de damnatis, vel beatis spiritibus asseruisset, nullo iusto titulo erroris insimulari potuisset. Verum quia de ijs id assererat, qui in purgatorio detinentur, vel de omnibus promiscuè, meritò hæreseos condemnatus est.

Eundem errorem & ipse quoque Epiphanius eidem impingit. Aërius, inquit, quidam exortus est, magnum mundo malum, furiosus mente, elatus opinione. Dicebat autem: ^{75.} Quæ ratione post mortem nominatis nomina mortuorum? Orat viuens, aut dispensationem facit, quid profuerit mortuo? Si verò omnino preces eorū, qui hęc sunt, profunt illis, qui istic sunt, igitur nemo sit pius, neque boni quicquam faciat. Hęc Aërius, & multa alia in eandem sententiam, quę deinde ut hæretica, & à sensu Ecclesię prorsus aliena Epiphanius prolixè refellit. Cum nullus ergo ex orthodoxis Patribus purgatorium impugnet, aut eos, qui illud credunt, reprehendat: sed ad vnum omnes, qui hoc argumentum tractant, aut tractarunt vnquam, vnanimi consensione illud credendum & recipiendum esse prædicent: & multi ex illis Apostolicam traditionem esse affirmant, eosque, qui illud pernegant, hæreseos condemnent: necessariò conficitur, non eos, qui Catholi-

Hæreticus,
qui negat
Purgatoriū,
nō qui credit

cæ, & Apostolicæ Ecclesiæ fidei adhærentes illud credant, & prædicant, hæreticos esse, sed eos potiùs, qui huius Ecclesiæ castra deserentes hostiliter illud impugnant, perfideque, propria reclamante conscientia, illud ipsum negant.

Sed quid Romanæ Ecclesiæ Antistites, quorum proprium munus est fidei quæstiones determinare: Tum quàm diligentissimè, ne quis error in fidem, aut superstitio in religionem irrepat, aduigilare? Quid item Synodi illorum auctoritate celebratæ, nunquid purgatorium impugnant? aut negant? aut, qui illud asserunt, hærescos notant? aut notant aliquando? Nequaquam. Imò verò tantum abest, ut Romani Pontifices, aut Concilia illorum auctoritate indicta & celebrata, hunc de purgatorio articulum tanquam errorem aliquando condemnârint, aut impugnârint, aut indubium vocârint, ut ijs etiam omnibus, qui impugnant, aut indubium vocant, aut olim impugnârunt, tanquam manifestis hæreticis non semel aqua & igne interdixerint. Quod dicimus, ex ijs, quæ longa serie suprâ allegata sunt, notissimum existit. Quanti autem roboris utrorumque sit sententia, id apud verè syncereque Catholicos quæstionem nullam deponit.

Concilia &
Pontifices
purgatorium
negâtes ana-
thematis cõ-
demnant.

Ecclesiæ pra-
xis purgato-
rium validè
confirmat.

At nunquid Ecclesiæ praxis cum purgatorio pugnat? Sanè adeò cum hoc fidei dogmate non pugnat, ut multis quoque modis illud confirmet. Notum est enim illam non solum instituisse peculiare pro defunctis preces, peculiare Vigilias, peculiare Missas, peculiare eorundem commemorationes; sed hæc omnia quoque frequenter usurpare, & iam inde ab Apostolorum temporibus creberrimè usurpâsse. Iam si in ore duorum aut trium testium fide dignorum, siue affirmant, siue negent, siue probent, siue cõdemnent, stat omnem verbum: quid nos cogitare æquum est de tot testibus, quot ad præsentis causæ cognitionem dudum antè in medium adduximus? Ex quibus ne vnus quidem compertus est, qui vel obliquè cum Antagonistarum errore faceret: imò verò, qui apertè

apertè illorum sententiam non condemnaret. Quòd si quispiam talis extat, cum illi proferant in medium.

Nec debet illorum testimonium suspectum haberi, quasi vel partes fouerint, aut eruditionis & sanctitatis expertes fuerint. Constat enim ad vnum omnes aliquot secula Lutheri ortum antecessisse, tantaque eruditione & sanctimonia præstitisse, quantam ab excellenti Theologo, & incorrupto in fidei quæstione iudice requirere par est. Maior enim illorum pars in Diuorum numerum, ac illustrium Scriptorum elencum redacta est. Demum qualescunque extiterint, tantum ætatis huius hæreticos, & solida eruditione, & vera quoque pietate præstiterunt, quantum aurum præstat plumbo, aut argentum ferro. Cùm igitur tot extiterint præcellētissimè sanctitatis & eruditionis viri, qui purgatorias pœnas post hanc vitam superesse disertè affirmârunt; Sectarij autem ne vnum quidem allegare possint, qui defunctorum suffragia, aut purgatorium impugnârunt, aut negârunt: cui dubium esse potest, quin apertè insaniant, qui illorum in hac controuersia, quàm Ecclesiæ auctoritatem, sequi malunt? Sed de hac ratione satis. Sit hæc altera.

Purgatorij
assertores
plurimi, do-
ctissimi, san-
ctissimi.

Communis animorum conceptus est, imò ex sacris & diuinis literis apertum est, coeleste regnum nullum omnino admittere, qui ligno, foeno, vel stipula onustus, aut alijs quibuscunque sordibus contaminatus eò accesserit. Sed neque obscurum quoque est, in tanta naturæ nostræ deprauatione ac infirmitate, tantâque ac tam frequenter obuia peccandi occasione, humanæ vitæ rationes ea moderatione rarissimè institui, ut in hanc vel illam partem à medio aliquantum interdum non declinet, idque vsque ad vltimum vitæ spiritum. In multis nanque offendimus omnes, non solum in iuuen-

Iacob. 1.

velis, illud adiungere & concedere debes: Tum nullum rursus peccatum, ne veniale quidem, nisi displiceat, remitti: Tum multos denique ea celeritate hinc abripi, vt de peccatis nullam cogitationem instituere valeant: alterutrum necessariò consequitur, nempe vt ij, qui ligno, fœno, stipula, aut his omnibus grauati, hoc est, leuibus quibusdam peccatis infecti, aut post lapsum non omnino in integrum restituti è viuis excedunt, æternum pereant: aut certe vt poluti, vel poenarum debito obstricti, coeleste regnum intrent. At neutrum horum admitti potest. Alterum enim pugnat cum Dei misericordia, & ratione ipsa: Nam si eiusmodi tartareis flammis addicerentur, nihil intercederet inter iustum & iniustum, inter amicum & inimicum. Alterum verò cum Dei iustitia & sapientia, & cum ipso quoque beatorum statu & gloria: Neque enim potest quispiam simul beatus peccatorumque reliquijs obstrictus esse. Necessarium est ergo, vt medium constituamus statum & locum, vbi nimirum eiusmodi neui cluantur, & debita dependantur. Hic autem est Purgatorium.

Coelum nihil pollutum admittere, non inuitè concedunt aduersarij. Sed neque negant quoque iustos non ita iustè semper agere, vt non interdum impingant. Imò verò multò plus sordium admetiuntur iusto, quam veræ iustitię ratio patitur. Credunt enim carnis concupiscentiam, quę ab homine, dum viuit, non auellitur, secundum se peccatum esse, & illud quidem eiusmodi, quod suo veneno omnia hominis opera capitaliter inficiat, deprauetque. Et cum vtrunque istuc admittant, Purgatorium tamen obstinatè negant. Cur negant? Quia certò persuasum habent, vel suis potius certò persuadere student, quicquid sordium, vel reliquiarum peccati animæ cohærebat, id totum per mortem & charitatem absumi. Verùm ea persuasio est mera vesania: Nam etsi mors propter fidem vel iustitiam illata omnem tollat poenam & cul-

Si non est purgatorij, aut multi iusti pereunt, aut multi immundi beantur.

culpam, mors tamen communiter accepta ea vi non pollet. Neque, vt id probemus, magno opus est molimine. Constat enim mortē esse quiddā naturale, corruptę naturę nostrę conditionem necessariò consequens: Naturalia autem secundum se, nec meritoria sunt, nec satisfactoria. Mitto hinc multos inuitè mori, alios impatientia penè frangi, nonnullos tanta celeritate, vt de morte nihil valeant cogitare. Denique aut per mortem accipiunt illi vitæ terminum, aut molestias & cruces, quę hunc terminum antegrediuntur. Atqui vitæ terminus omnis prorsus poenæ expers existit, atque ideo meritorius, aut satisfactorius esse nequit. Cruces autem & molestiæ, quę hunc terminum antecedunt, secundum se sunt ἀδιάφοροι. Quare si patienter feras, profunt; si impatienter, obsunt; si ἀδιάφορος, nec profunt, nec obsunt. Quod itaque de morte, vel mortis prodromis, ab aduersa parte adfertur, id nullius prorsus est momenti. Sed neque magni quoque alicuius ponderis est, quod de charitate, multitudinem peccatorum operiente, ab eadem illa allegabatur: quandoquidem neutrum repugnat charitati, neque poenæ, neque venialis noxæ reatus. Nam si alterutrum horum cum charitate pugnaret, nullus iustitiæ locus in hac mortali vita esset: quippe cum nullus sit ferè adultus, qui interdum non impingat. Quemadmodum ergo charitas cum peccatorum neuis, poenarumque debitis salua in hoc seculo consistere potest, ita etiam in altero. Verùm inflammata illa coelestis regni charitas vtrunque excludit. Charitas itaque peccatorum multitudinem operit, id ita tamen, vt à satisfactionis labore aliena nō sit. Quantis Apostolus Petrus vnam abnegati Christi noxam lachrymis toto vitæ tempore diluit? & tamen à negationis macula, vbi primùm Dominus illum respexit, absolutus fuit. Quantam rursus poenarum molem totos triginta annos Magdalena sustinuit? quę tamen, & multum diligebat, & plurima iam inde à conuersionis suę initio satisfactionis sacrificia obtulerat. Quantum denique propheta Dauid vnicum illud adulterij peccatum homicidio cumu-

Mors nō tollit omnē semper culpā & poenam.

Charitas poenæ debito nō repugnat.

Pfal. 6.

Pfal. 101.

Magdalena, David, Petrus plura praestiterunt, quam debent.

latum tota reliqua vita deploravit, & in se puniuit? Lauabat ille per singulas hostes lachrymis stratum suum, laborabat in gemitu suo. Cinerem tanquam panem manducabat, potum suum cum fletu miscebat: Et tamē iustus Deus tot illis vltro-
neis satisfactionis operibus nō cōtentus, alia adhuc plura adiungebat: puta omnia illa, quę per Prophetā illi comminatus fuerat. Probabile fit tamen tres hosce multò plura praestitisse, quàm ipsi priuatarum noxarum nomine debebant: at aliqua tamen ex ijs debuisse certum est.

Porro autem ex ijs, quæ Dauid post condonatum adulterij & homicidij peccatum pertulit, & alij, quorum Scripturæ mentionem faciūt, post instauratam offensi numinis gratiam sæpe pertulerunt; tum ex illis ipsis quoque, quæ subinde vsu veniunt, passimque in omnium oculis sunt, non id solum resolutum constitutumque habemus, quod paulò antè in quæstionem vertebatur: puta charitatem non omnem semper peccatorum memoriam abolere: sed aliud rursus spiculum contra incircuncisos illos Philistęos colligimus. Quod istuc est? Dicam paucis, & est tertia ad firmandam purgatorij fidem ratio.

Ex Scripturis manifestum est, nullam apud Deum *προσοπι-
λυσίαν* obtinere. Constat ex iisdem nihilosecius ipsum eundem omnia peccata tam infesto animo odisse, vt nullum omnino, ne minimum quidem, vt est verbum otiosum, aut risus, quàm par est, effusior, relinquat impunitum. Cùm quidam ergo post scelerum poenitentiam diu multumque, vel à Deo, vel à seipsis, vel ab vtrisque simul in hac vita afflicentur, & diuentur: Alij contrà æquam vel maiorem quoq; poenam promeriti, eiusmodi flagella & cruces omnino euadāt, siue quòd tempus non suppetat, (multi enim, qui antè sceleratè semper vixerant, sub vitæ finem ad Deum verè conuertuntur) siue quòd ipsi satisfactionis officia de die in diem transferentes, tandem morte preuenti, citra vllam satisfactionis molestiam decedant; siue aliud quodcunque fortuitum, aut voluntarium impe-

Deus ne minimum quidem peccati relinquit impune.

Multi scelerati in hac vita poenas euadunt, & salui tamen fiunt.

impediat: Certū est istiuscemodi poenas, quas iustè promeruerant, neque in hac tamen vita dependerant, in altera vita non euadere. Nam aliàs æqualiter peccantes, inæqualiter punirentur, quod à diuina iustitia, & æquitate, eiusdemque *ἀπροσοπιλυσία* alienum est profus. Reddit enim ille vnicuiq; iuxta opera sua; siue illa bona fuerint, siue mala, quemadmodum Scripturæ non vno in loco inculcant. Vel ipsi igitur iusti, & poenitentes, qui in hac vita tam grauius excipiuntur, & interdum propter leuia quędam errata, documento nobis sunt manifesto, in altera vita, præter infernum, alterum superesse poenarum locum, vbi illi iusti puniantur & expientur, qui in hac vita, quantum sat erat, & iustitiæ ratio postulabat, puniti & expiati non fuerant.

Quartò, & est affine huic, quod nunc exposuimus, Si post absolutum vitæ huius curriculum, præter infernum, nullum aliud superesset ergastulum, vbi, quod hīc expletum, vel præstitum, vel toleratum non fuerat, expleretur, & præstaretur, & toleraretur: nullum, quod quidem ad poenas spectat, discriminē inter eos intercederet, qui, vniuersa vitæ serie perditissimè transacta, sub vltimum vitæ hiatum resipiscunt; & eos, qui totius vitæ spatium summa cum integritate, & sanctimonia, & austeritate transegerunt: atq; ideo diuinum illud decretum, Pro mensura delicti erit & plagarum modus, ad summū summę illius maiestatis tribunal relatum, aliud nihil erit quàm inane puerorum crepitaculum. quod absit. Neque enim forum diuinum minùs est ordinatum, quàm humanum: humanum autem (si tamē eruditum & iustum est) sedulò in id incumbit, vt tantam infligat multam, quantam offensa iure promeretur. Multò ergo magis id obseruabitur in incorruptissimo illo Dei Opt. Max. iudicio: Quandoquidem vt hīc omnia magis sunt nota, magisque exacta; ita omnia quoque sunt magis ordinata. Forum externum actus internos, nec iudicat, nec punit: quia eos non cognoscit. Sed nec minima quoq; punire solet: nam cùm natura nostra sit infirma, si magistratus minima

Deut. 25.

Forum diuinum non est minùs ordinatum, quàm humanum.

Forū humanum non punit omnia peccata, nec potest.

nima quæq; punire institueret, nunquam puniendi & litigandi finis esset. In foro autem Dei minima quæq; examinantur, examinataque pensantur: siue ea interna & vulgo occulta, siue externa vulgoque manifesta fuerint.

Quintò, Sicut in hac vita inter absolutam iustitiam & summam nequitiam extat medius quidam status: (Comperiuntur hinc enim quidam, licet non admodum multi, qui toti in hoc sunt, vt Deo in omnibus, & per omnia, & semper placeat: Alij contra nequissimi, qui, nec Deum, nec hominem curant; sed vnum id conseruantur, & in bonis ducunt, quod suo adlubescit animo; siue id Venus sit, siue Bacchus, siue Plutus, siue hæc omnia simul: Alij tandem tepidi, grauiam quidem peccata, vt sunt capitalia omnia, vt cunque vitantes, leuia verò nihil, aut parum admodum facientes: labentes rursus in grauiam interdum, & iterum resurgentes.) ita in altero quoque seculo medius quidam status extabit, & per consequens medius quoque locus. Nam alias premium merito non esset satis proportionatum. Siquidem optimis purissimisque locus debetur optimus ac purissimus: pessimis verò & impurissimis, pessimus & impurissimus: medius autem locus & status, medio modo affectis, qualis vti que est purgatorius. Nam etsi hinc ignis affligat, non tamē affligit semper: nec beatitudinis spem adimit, sed tantum ad tempus. Vt ergo perfectis, & ab omni peccatorum inquinamento immunibus, dum hinc emigrant, statim aperitur cælum; improbos verò & sceleratos euestigio absorbet inferorum incendium: ita imperfectos, cuiusmodi sunt, qui vnà cum gratia, in qua vitam finiuerunt, aliquantam adhuc venialium, vel temporalium quoque, poenarum materiam secum detulerunt, statim excipit purgatorium. Atque huc spectat axioma illud tanta omnium consensione receptum, & ipsius Lutheri quoque calculo non semel approbatum: nempe non omnes, qui ex hac vita decedunt, bonos esse, nec omnes rursus malos: sed quosdam medio modo affectos; siue, vt isti loquuntur, non valde bonos, neque valde quoque malos; quibus proinde viuentium suffragia prodesse queant, cum cæteris non queant.

Sextò,

Sextò, Si nullus post hanc vitam poenitentibus poenarum reliquus est locus, falsa & commentitia erunt ea omnia, quæ de inferno, de purgatorio, deque vniuersa alterius vitæ politia pijs hominibus, partim à Deo sunt patefacta, partim quoque ab ijs, quos idem ille per se, vel per alios ex mortuis exuscitauerat, fidei narratione exposita sunt. At hoc salua pietate & reuerentia, quæ illustribus Dei amicis iure debetur, suspicari nullo modo licet. Neque enim falsitatis testis potest esse Deus: nec vlla causa assignari potest, cur illi, qui ex mortuis ad vitam redierunt, falsa expositione hominibus illudere voluerint. Imò verò cum viri essent integerrimi, eaque, quæ de inferis tanquam comperta narrabant, præclaro austerissimæ vitæ exemplo insigniter confirmarent, certissimum est illudere noluisse. atque ideo, quæ de inferni, deque purgatorij cruciatibus per quasdam corporalium rerum similitudines adumbrata, & quodam modo inuoluta orbi patefecerunt, verissima esse. Imò verò non desunt, qui ex ea ipsa mortuorum exuscitatione nouum huic veritati firmamentum adiungi posse existiment. Nam cum eiusmodi mortui, vt isti statuunt, non emerferint ex inferno; siquidem communi lege nulla in inferno est redemptio: nec rursus ex cœlesti paradiso; eo enim in loco nulla extat beatitudinis adumbratio, aut interruptio: consequens fit, omnes emerfisse ex purgatorio. Verum hæc argumentatio non est necessaria: sicut nec illa quoque, quæ ex Christi lachrymis in Lazari exuscitatione fusis à quibusdam petitur. Siquidem supra, cum de animarum receptaculis ageremus ex instituto, ostensum est, ex omnibus & singulis sedibus illis aliquos remeasse. Credibile fit tamen maiorem partem ex purgatorio prodijisse. & in hoc sensu argumentum admitti potest.

Septimò, Si à scopo aberrare, vel in alterum extremum dilabi noluerimus, oportet nos Dei iustitiam ita statuere, & predicare, vt illius misericordiam non penitus excludamus: & ita rursus de illius misericordia loqui, vt suum quoque iustitiæ

z z

locum

Pauci in hac vita perfecti, multi mali & imperfecti.

Purgatorium est locus medius.

Fide digna sunt, quæ ex mortuis exuscitati, de alterius vitæ statu retulerunt.

locum relinquamus. Nam etsi Deus Opt. Max. ad miserendum, & parcendum suapte natura pronus sit, Domini enim misericordia plena est terra: suntque illius miserationes super omnia opera eius: est nihilominus & iustus quoque scelerum vindex, & seuerus peccatorum ultor. Vnde etiam ultionum Dominus apud Psalmographum, & Dominus iustus, & alijs id genus nominibus appellatur. Atqui si Deus nullam omnino legis preuaricationem puniret, iustitię suę legi non satisfaceret: sed neque humane iustitię satis quoque idoneum exemplar, & forma existeret: nec communi hominum saluti satis quoque consuleret. Quandoquidem cum ea mortalium sit miseria, ut multo plures ducantur formidine poenę, quam virtutis amore: si nullum delictum in hoc, vel in altero seculo puniret, magnam ad peccandum fenestram aperiret. Ne ergo iustitię suę vim infirmeret, aut malum humanę iustitię exemplum proponat, aut peccandi occasionem infirmis subministraret, seuerissimę peccata punire solet: neque, ut id probemus, magno opus est studio. Notum est enim, quid diabolo acciderit in cœlo, quid primis parentibus in paradiso, quid originali mundo in cataclysmo, quid populo murmuranti in deserto, quid obstinatis Aegyptijs in mari Erythræo, quid alijs tandem in alijs locis & regionibus.

Sanè si peccata infestè non odisset, eademque secundum iustitię rationem seuerissimę punita non vellent, nunquam filium suum, quod per mortem & crucem suam pro peccatis nostris fieret satis, in mundum misisset. Poterat enim vel Angelum mittere, vel hominem, qui pro homine satisfaceret, cedere, vel ipsam quoque noxam gratis condonare. At ne non plenè iustitię suę satisfaceret, nihil horum voluit; sed unicum filium suum nostri causam durissimis cruciatibus obiecit. Nec his contentus, ab ipso quoque homine poenas adhuc exigit. Quotquot enim Deo placuerunt aliquando, aut regnum illius ingressi sunt, per multas ferè semper cruces & tribulationes ad illud peruenerunt. Imò verò tanto odio fertur Deus in peccatum, tantaque seue-

seueritate illud punit, ut interdum illius ira nunquam conquiescat, donec peccator è medio fiat. Quemadmodum facile videre est istuc Numerorum vigesimo quinto, Iosue septimo, Deuteronomij terdecimo, secundo Regum ultimo, & alibi sepe. Cum ergo comperiantur minimè pauci, qui post innumera nefaria flagitia designata, facinoræque grauissima perpetrata, ad Deum conuertantur; neque quicquam tamen aduersi in hoc seculo experiantur: cui dubium esse potest, quin istiusmodi durissimis poenis & cruciatibus post hanc vitam subijciantur in purgatorio?

Octauò, Si misericordiarum pater eos duntaxat ad salutis portum transferret, qui ab omnibus vitiorum nauis, peccatorum ve reliquijs vacui hinc excederent, ex tanta hominum adulatorum multitudine, quanta iam inde à mundi exordio usque ad præsens hoc tempus in lucem prodijt, & hinc usque ad seculi cõsummationem proditura adhuc expectatur, perpaucos saluaret: Constat enim paucissimos comperiri, qui vitam modis omnibus innocentem traducant. Atqui tam paucos ex tam multis saluare, cum omnes ipse saluos fieri cupiat, id à sua misericordia, & benignitate, qua ad omnes sese diffundere gestit, alienum est omnino. Quod autem pauci admodum vitam ab omni prorsus vitiorum labe immunem ducant, hoc ne ipsi quidem Antagonistæ negant. Et quanuis homo sepe labatur, & sepe rursum per Dei gratiam exurgat: rarò tamen ea integritate resurgit, ut non aliqua semper peccati cicatrix reliqua fiat. Experimur enim quædam iam olim transacta ad mentem recurrere, suoque recursum non parum interdum nos mouere ac conturbare. Cum itaque non solum præsentia contaminent, sed præterita quoque sua vestigia infixam relinquant; non est mirum, si multorum iustorum spiritus corpore excedentes, ita excedant, ut semper ferè aliquam impuritatis partem secum deferant. At cum à diuina pietate alienum sit istiusmodi condemnare: neminem enim illa condemnat, nisi quem iustitia existente condemnare compellitur: neque tamen ad regnum ad-

mittere,

Multis argumentis & modis constat, Deum infestissimè odisse peccatum.

Pauci innocenter viuunt, omnique peccati expertes

Rarò proflatus surgit statim integer.

Deus neminem dānat, nisi quem iustitia inhibente saluare non potest.

mittere, eadem illa iustitia prohibere, valeat: quid reliquū est, nisi vt ad expiatoriū ignem illos ableger, ibidemq; tātisper, detineat, donec omne, quod illis adherēbat, malum excoquat.

Nonò, Si peccata nō punirentur, vel in hac tantū vita punirentur, non omnino mali leuia peccata nihili facerent. Cogitarent enim, cū istiusmodi peccata gratiam nō tollāt, nec minuant, nec vllam poenā, aut molestiam post hanc vitam auctori suo adferant, quorsum attinet, vt id errorū genus tan-
topere euitē, aut vt nō deuitatum quouis modo in me puniā. Mali autē & improbi nullis nō sceleribus ac flagitijs liberrima fræna laxarent, ratiocinarentur enim cum insanis quibusdam hominibus in hūc modū: Deus omni hora & momento, etiā in vltimo vitę hiatu, paratus est peccatorē veniam implorantem exaudire, obuijsq; vlnis ad se redeuntem excipere: Idem Deus vsque ad eō clemens, benignus, & bonus est, vt nulla peccata quantumuis graua puniat, modò peccator sese ad illum conuertat: Cū ergo in vltima senectute constitutus ad Deū conu-
tertere me queam, & citra vllam poenam ex mundi huius delicijs ac diuitijs ad æternas illas delicias & diuitias rectā trāsire valeam æquē ac illi, qui austerissimam semper vitam duxerūt: nihil est, quod ante tempus me macerē, aut satisfactionis operibus affligam. Sufficit diei malitia sua.

Quæ hīc asserimus, ea nō dubia quotidianæ experientię fides ad oculum demonstrat. Videmus enim, vbi purgatorium deridetur, ibi bonorum operum meritum negatur & impugnatur: vbi alia his cognata subsannantur, vbi sola Dei misericordia & clementia prædicatur, ibi omnes veras virtutes, omnē verum & legitimum Dei cultum, cū ex hominum animis, tum ex tēplis quoq; & locis sacris exulare: Cōtrā verò omnia ibi vitia & flagitia grassari, omnem nequitia, iniustitiam, & impudicitia, quasi sublatis signis triumphare. Qui manibus, quod dicimus, palpare volet, conferat hoc nostrum decurrens seculum cum aliquot præcedentibus: Conferat mores, & vitam, & studia veterum Catholicorum, cum moribus, cum vita, cum studijs

Omnifaria peccati impunitas generi humano existiosissima foret.

Vbi bona opera & purgatorium deridetur, ibi triumphat Satan.

studijs Neochristianorum, istorum qui Euangelico titulo sibi blandiuntur: Conferant cultum Dei externum & internum, hoc est, deuotionem & pietatem horum, cum illorum, & videbit hos ab illis tantum distare, quantum obscura nox à clara luce. Vnde ipsemet Sectarū parens Martinus Lutherus, & qui secundum ferè post illū gradū obtinebat, Andreas Musculus, & alij præterea ex eo ordine nōnulli ab ipsa veritate cō-
uicti, ingenuè fatentur, nusquam maiores nequam & impo-
stores, nusquam plures adulteros, vsurarios, & omnis generis nebulones comperiri, quàm apud Lutheranos, ceterosq; qui se Euāgelicos appellant. Ne igitur tanta cum licētia peccaremus, aut leuia quoq; peccata flocci faceremus, benignus Deus voluit peccatum vtrobiq; punire, hoc est, non in hoc seculo tantū, sed etiā in futuro; si in hoc punitum non erat, aut quantum sat erat, punitum non erat. Atque ideo vt in capitulum vltionem igni inextinguibili inflammavit infernum; ita in leuium vindictam, grauiumque reliquias excitauit purgatorium.

Decimò, certum est Dominum priuatam offendentium vindictam integram sibi reseruatam velle. notum est enim illud Ecclesiastici: Qui vindictam vult, à Domino inueniet eam, & peccata illius seruās seruabit. Relinque proximo tuo nocenti, & ruc deprecāti tibi peccata soluentur. & illud rursum Moyfi: Mea est vltio, & ego retribuam illis. & illud tandem Apostoli: Scimus, qui dixit, Mihi vindictam, & ego retribuā illis. Aequè certum & in omnium oculis est, innumeros grauissimè proximōs suos lædere, occidere, spoliare, mutilare, fama & rebus omnibus necessarijs exuere, alijsque iniustissimis & iniquissimis rationibus opprimere: nec vllam tamen, aut calamitatem, aut aduersitatem, aut vindictam, toto vitę decursu experiri. Si ergo tanta illa iniuria, quam proximo, vel ipsi verius Deo intulerunt, non obstante, statim vbi resipiscunt, quod in vltimo vitæ halitu aliquando conringit, ad coelestem beatitudinem transferuntur, certè Deus sanctè non ser-

In prima Do-
min. Aduen.

Lib. de pro-
phe. Christi.

Luthero te-
ste, nusquam
plures nebu-
lones quàm
apud Luthera-
nos.

Cap. 25.

Deut. 32.

Heb. 10.

Rom. 12.

Non omnis
illata iniuria
vindictatur in
hac vita, nec
vlla tamē im-
punitis relin-
quitur.

uat, quod sanctè promiserat: vt qui atrocissimam iniuriã proximo illatam, neq; hîc vlciscatur, neq; in altero seculo. Nam sincere illos mori, & in puluerem redigi, id non est iniuriam illatam vlcisci. Mors enim non est pœna actualis peccati, sed originalis, bonis & malis omnibus communis. Certum est ergo vel ex hoc solo loco multos alioqui iustificatos post hanc vitam pœnas pendere. Nec video, quî hic locus possit eludi, aut in alium sensum, quàm verba ipsa planè offerût, torqueri.

Sanè si iustus Deus illos, qui post tot nefaria & contumeliosa in proximum, totque sacrilega & impia in Deû designata scelera, sub vitę finem pœnitentia ducuntur, in altera vita non puniret, cum hîc impunes sepe abeant: qui iustè, piè, ac sobriè in hoc seculo viuunt, nec vllum tamen diem citra crucem transigunt, meritò conqueri, & de sua sorte lamentari possent. Imò verò Sathan ipse non omnino citra causam Domino obijcere, cumque eodem hunc in modum expostulare posset: Ecce iste vel ille, tot ac tantis flagitijs se contaminavit, tot modis ac rationibus in proximum iniurijs & contumeliosus extitit, tot impijs ac sceleratis operibus vindictã tuam prouocauit, nec quicquam vnquam boni, aut laude dignum perfecit, nisi quòd tua gratia prauentus & tantùm non tractus in obitus sui articulo mentem mutauit, & eum sine vlla pœna, sine vlla cruce, vel in hac, vel in altera vita illata, ad gloriam rectà statim transmittis: me autem cum ceteris consilij mei participibus, ob vnicum elationis peccatum, sempiternis supplicijs mancipasti, nec vllam salutis spem reliquisti? Nullo itaque modo existimandum est, qui hîc nefaria, & in proximum iniuriosa committût, neque se in hac vita vltroneis pœnis affligunt, neque à Deo affliguntur, illos in altera vita iustam Dei iram atque vindictam euadere: esto sub vitę finem ad Deum sese conuertant, ac pœnitentiam agant.

Vndecimò, Quod omnibus gentibus ac nationibus certò persuasum, & ab ipsa quasi natura insitum est, id vtique non aliunde, quàm ab ipso nature authore ortum est. Atqui vt omnibus

Sathan cum Deo expostulare posset, si nullum omnino hominis peccatum castigaret.

Quod omnibus persuasum, id ab ipso nature authore est ortum.

bus gentibus & nationibus ratione vtentibus certò persuasum est, Deum esse, eundemque piũ, sanctum, ac iustum esse, atque ideo timendum & amandum, debitoque cultu & veneratione afficiendũ esse: licet in ipsa deitatis ratione, & in ipso quoque cultu, & veneratione sæpe errarent, & de vltima remuneratione, quæ diuinæ iustitiæ proles est, non solùm varia, sed multa quoque vana & erronea cõciperent: Ita omnibus quoque animæ immortalitatem credentibus semper persuasum fuit, promeritas pœnas ijs post hanc vitam paratas esse, qui in hac vita officio probè functi non essent: licet multi interim in eo vehementer errarent, quòd pleraque omnes pœnas purgatorias esse crederent. Quod dicimus, ex veterum Scriptorũ monumentis euidenter est. Quòd si qui extiterunt, qui de animarũ post hanc vitam statu & expiationibus secũs senserunt, illi quidẽ apud Ethnicos & infideles habitati sunt semper p barbaris, & belluinis hominibus; apud Catholicos verò & fidei mysterijs initiatos pro hereticis & Sectarijs, vt videre est apud Epiphanium, Augustinum, Damascenũ, ceterosque, qui hereseon vel hæreticorum elenchos ediderunt.

Duodecimò, Certum, & apud ipsos quoque Antagonistas indubitatum est, Deum peccata secũdum noxam remissa in hac mortali vita punire, & interdum quidẽ grauiter punire: Nam cum multa illustria Scripturarum testimonia apertè id ostendant, & quotidiana experimẽta validè confirment, insanire esset istuc inficiari. Hoc igitur vt verissimo posito, eiusmodi ratiocinationem instituo: Aut ea pœna, quæ propter peccatũ iam cõdonatum à Deo hîc irrogatur, est iusta, aut iniusta. Nõ est iniusta, in Deum enim nulla cadit iniustitia: est ergo iusta. Quòd si Deus iustè punit eiusmodi peccata, ergo peccatũ secundum se cõsideratum, licet iam quo ad noxam relaxatum, aut ipse potiùs peccator Deo iam per gratiam reconciliatus, talem pœnam iustè promerebatur. At fieri potest, vt pœnam eiusmodi iure debitam non totam expleuerit in hac vita: necessarium est ergo, vt eam depẽdat in altera vita, alioqui enim diuinæ

Sceleratos post hanc vitam puniri, omnibus populis persuasum.

In Deũ nulla cadit iniustitia.

diuinę iustitię non fieret satis. Neque enim nisi admodum ridiculę dici potest, iustos tantisper in hac vita detineri, donec totum, quod contraxerant, debitum in solidum exoluant: nam hinc sequeretur, multos communem vitę terminum multum debere excedere. Sed nec eos quoque posse iugulari, aut alio quouis modo morte affici, qui nondum fecissent satis, aut qui veniali alicui peccato hærerent obstricti: quę omnia sunt falsa, & inepta. Extat ergo locus & tempus post hanc vitam, vbi eiusmodi debita exoluantur.

Denique, vt, quę fusę & membratim exposuimus, breuiter in vnum fasciculũ redigamus: Quis dicere audeat omnia, quę D. Gregorius, sanctus Patricius Hibernię Episcopus, beata Brigitta, & alij nõ pauci præclarę sanctimonię viri & fœminę, & inter illos illi præcipuę, qui ex inferis ad hęc vitalem lucem per miraculum redierunt, de purgatorio, eiusdemque cruciatibus exposuerunt, falsa & commentitia esse? Si enim

Licet in quavis scientia argumentari ab experientia, & fida traditione.

in alijs scientijs ab experientia, & fida traditione argumentari licet, cur non etiam in Theologia? Quis vniuersalẽ vniuersalis Ecclesię consuetudinem vanam, omnisque fundamenti expertem pronunciare non horreat? An non illa est sponsa Christi? an non mater nostra? An non sacerdotalis ordinationis forma, quam ipsa per Apostolos ab ipso Christo accepit, (solijs enim Christi est, Sacramentorũ materias & formas instituere ac determinare) purgatorium esse disertę pronunciat? Quid enim aliud sonant verba illa? Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viujs ac defunctis. An non illa ipsa mater nostra Ecclesia, quę, & ordinis & ordinationis, cæteraque omnia Sacramenta administrat peculiare preces, peculiare Missas, peculiare Horas defunctorum causa instituit? An nõ intolerandę cuiusdam arrogantię ac temeritatis esset, politicos ritus & consuetudines iam olim receptos, diurnoque

Nulli priuato fas est politicas leges, aut ritus infringere.

vsu confirmatos, etiam si non magnam admodum vtilitatem reipublicę adferant, sua priuata authoritate, vel abrogare, vel infringere? Esset haud dubię. Quanto ergo maiorem reprehensionem

tionem merentur illi, qui rem sanctissimam, antiquissimam, nec non Christianę religioni saluberrimam, in Scripturis diuinis egregię fundatam, & ab vniuersali Ecclesia tot modis & rationibus approbatam, tanto furore impugnant, totque ac tantis cõuicijs & maledictis proscindere, ac insectari non dubitant? præsertim cùm nihil bonę frugis ex sua illa impugnatione consecutum esse clarę videant, sed ingentem verę pietatis ac religionis cladem?

Quę? Paucis exponam, vel antę expositã paucis repetam. Planum est illis in locis, vbi poenę purgatorię post hanc vitam negantur, & suffragia, quę mortuis à viujs impendi solent, deridentur, & veluti inutilia exhibantur; ibi sacrificia, preces, eleemosynas, ieiunationes, vigilię, & alia id genus quàm plurima, quę à pijs hominibus defunctorum causa suscipi, ac perfici cõsueuerat, omnino è medio sublata esse: Monasteria, templa, altaria, quę Maiores nostri ad Dei honorem, & animarũ suarũ salutẽ erexerant, liberaliterque fundauerant, vel omnino euersa, vel in alios profanos vsus cõuersa esse: Sacerdotes, qui iuge illud sacrificiũ pro cõmuni omnium salutẽ & prosperitate subinde offerre, viuifica Sacramenta administrare, populũ rudem de fide orthodoxa, & morũ integritate instituere & admonere soliti erant, partim sedibus suis pulsos, partim quoque impio ferro è medio sublatos esse. Cùm hi ergo fructus sint funestissimi, & perniciosissimi: facile diuinare est cuiusmodi sit arbor, vnde illi decerpti, & subinde decerpuntur. Necdũ enim malorũ finis est. Identidẽ enim noua bella veterib' tẽplis & piorũ hominũ asceterijs indicuntur. Subinde noua contra Christũ, eiusque Ecclesiã prælia suscitantur. & hęc oĩa sub verę reformationis schemate, & Euãgelicę puritatis colore. Nam etsi alij alia causentur, maior tamẽ eorũ pars, qui purgatoriũ negat, ideo illud se negare profitetur, quod Euãgelicę Scripturę nihil de eo prodant, quod tamẽ falsum est: & vt verũ esset, oppidõ tamen infirmũ esset. Si enim illud tãtũ recipiendũ esset, quod Euãgelii prodit, vel precipit, haberemus

Vnã cũ Purgatorio sublatus est vniuersus cultus apud Sectarios.

Ex fructibus cognoscitur arbor.

Matth. 25. hereditas Domini: & illud Euangelistæ: Venite benedicti patris mei, possidete regnum. item: Discedite à me maledicti in ignem æternum. & illud Apostoli: Scimus si terrestres domus nostra dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum nõ manufactam, sed æternam in cœlis. & illud Theophylacti: Animæ defunctorum non oberrant in mûdo, quia iustorum animæ in manu Dei sunt. Peccatorû autem animæ hinc abducuntur in infernum: vt anima diuitis, de quo dictum est, Et sepultus est in inferno. & illud deniq; beati Augustini: Primum locum, vbi requies est perennis, fides Catholicorû credit esse cœlum: secundum gehennam, vbi omnis apostata & à fide alienus æterna experietur supplicia: tertiu penitus ignoramus. Hęc Augustinus, qui alibi quoque admodum ambigüè de Purgatorio disceptat.

Astipulatur his autoritatibus, præter exempla, quæ magno numero suppeditant Euangelia, (Nam hîc triticum congregatur in horreum, paleę autem conijciuntur in inextinguibilis ignis rogam: hîc Lazarus rectâ mox deportatur ad Abrahæ sinum, diues contrâ statim hinc abripitur ad infernum: hîc virgines fatuę ab Agni nuptijs mœstę excluduntur, sapientes ad easdem nuptias lætę admittuntur: hîc latro poenitens non ad purgatorium, sed rectâ transmittitur ad paradysum) & ipsâ quoque ratio. Primò, nulla vrgens apparet causa, cur nunc plures animarum sedes constitui debeant, quàm sub mundi catastropham: Sed nulla tunc erit purgatoria: siquidem iusti, qui per id tempus in viuis comperientur, rapiuntur obuiam Christo in aërem. Adhęc charitas est equè potens, ac peccatum; & Deus æquè pronus ad miserendum & coronandum, atque ad puniendum, vel cõdemnandum: Sed peccatum mortale architectum suum statim detruddit ad inferos, ergo finalis charitas vel gratia statim illos, cui adsunt, transmittunt ad superos. Sic quoq; Deus sceleratos & impios sempiternis ignibus statim mancipat: ergo bonos virtutibusque ornatos statim felicitate donat. In hac autem vi-

ta

ta omnes sunt boni vel mali, iusti vel iniusti: in altera enim nullus ex bono fit malus, vel ex iusto iniustus; nec contrâ, ex malo vel iniusto, bonus vel iustus. Præterea corpus, quod altera est hominis portio, non degustat poenam purgatorij, sed ignem tantum inferni, vel delicias paradisi: ergo animæ quoque nihil commune erit cum purgatorio. Deniq; quotquot hinc decedunt, aut sunt fideles, & credunt; vel infideles, & non credunt; amici, vel inimici; filij regni, vel iræ filij: At qui infideles, iniusti, inimici, iræ filij statim damnantur; ergo fideles, amici, filij regni hinc emigrantes statim salute potiuntur. Hęc sunt præcipuè rationes & autoritates, quæ ad primæ propositionis phalangis præsidium adferri posse videntur: quæ tamen, vt ex singulorum discussione palàm fiet, nullius sunt momēti.

Etenim omnia & singula, quæ ad hoc caput constituendû vndecunque huc vsque allata sunt, & quæcunque ad illud confirmandum vndecunque adferri adhuc possunt, huc tendunt, vntumque hoc probant, quod nulli Catholicorum negant, nempe non tres, aut plures, cum Pelagio perennes mortaliû sedes statuendas esse, sed duas duntaxat. Siue eas proprijs nominibus appelles cœlum & infernum; siue metaphoricis Austrum & Aquilonem, dexteram & sinistram, Babylonem & ciuitatem sanctam Hierusalem; siue alijs quibuscunque: multis enim vtraque in Scripturis & Patrum monumentis designatur. At id interim non prohibet, quò minus plures temporarias mansiones constituere & prædicare liceat. Nam aliàs veteris Testamenti patres, qui vtiq; & fideles erant, & filij regni erant, & iusti & amici erant, & Austrum versus ceciderant, apud inferos adhuc hererent: quod assertu absurdum est, & à fide prorsus alienum. Purgatorium autem non est aliquod perenne domicilium, sed momentaneum ac transitorium: vel quædam potiùs spinosa & aspera via, per quam tenditur ad regnû. Neque enim, qui istuc detinentur, peruenerunt adhuc ad vltimum terminum, sed herent adhuc in medio, prout medium quoq; statum inter merè viatores, & absolutè comprehenso-

Due sunt tantum perennes sedes mortaliû.

Qui sunt in purgatorio, medium statum obtinet

a a a 3

res

inter viato-
res & com-
prehensores.

res obtinent. Nam cum his communem habent obtentę gratię firmitatem, absolutamque vltioris meriti impotentiam: cum illis autem, pœnas posse pati; nec non cum viatorum, tum comprehensorum quoque suffragijs posse potiri, & per consequens diuinę visionis bono adhuc destitui. Possunt namque non solum illi, qui in hoc seculo etiamnum peregrinatur, pro ijs, qui in purgatorio detinentur, orare & impetrare, verum illi quoque, qui cœlesti beatitudine iam donati sunt. Reliquis tamen suffragiorum generibus beati spiritus demortuis prodesse non possunt. Sed neque per orationes quoque; per modum satisfactionis, sed tantum per modum suffragij vel intercessionis.

Cæterum cum non tres, vel plures, sed duas solum perennes hominum sedes assignandas esse dicimus, puerorum non regenerantium limbum semper excipimus. Nam etsi illis propter originis peccatum, quod vtique mortale est, pugnat enim cum gratia, infernus damnatorum assignari possit: attamen quod communi Theologorum sententia à sensibili pœna immunes sint, non est necessarium, vt in eo ergastulo perpetuo contineantur, in quo perpetuas pœnas luent damnati. Quandoquidem vt statu ab illis differunt, (nullum enim actuale aut personale peccatum secum detulerunt) ita loco quoque, saltem post communem carnis resurrectionem, ab illis sequestrantur. De hoc tamen nihil statuo, nec definitio: solum, quod probabile sit, indico. Satis est, inter damnatos & iræ filios censeri, quod malum est satis magnus & teter infernus, etiam si post mundi huius sublunaris repurgationem & inuolutionem constituantur in ea vniuersalis regione, quam nos iam nunc occupamus, hoc est, in terræ inuolutæ superficie. Et hæc quidem ad ea omnia, quæ ad primę partis commendationem proposita fuerant, sat esse possent. Certum est enim omnia ad vnum hoc, quod iam exposuimus, eniti. Attamen ne videamur Sectariorum argumeta floccifacere, aut omnino etiam contemnere, tum etiam quod de solutionis iam assignatæ veritate & firmitate constat

Orig. peccatum pugnat cum gratia.

Non renati censentur inter danatos, etiam si eodem loco non continentur.

constet clarius: singula in medium protracta paucis seorsum expendemus, & diluemus.

Ad illud igitur, Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam. ad illud item eiusdem Euangelistę & notæ, Qui audit verbum meum, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudiciu non venit, sed transijt à morte ad vitam: respondetur, verissimum esse, quod dicitur, nec ob id tamen rectè id inde inferri posse, quod Antagonista inde inferre molitur, videlicet nullum post hanc vitam purgationis superesse locum. Nam & si illi, qui verbum Dei audiunt, & custodiunt illud, & nihilominus in eum credunt quem pater misit in hunc mundum, habeant vitam æternam in certa spe, si tamen ad finem vsque perseuerant: necdum tamen habent illam in re, vel in ruta possessione; atque ideo non sequitur omnem cum in hac, tum in altera quoque, vita crucem euasuros esse: Imò oppositum potius sequitur, quahdoquidem inter cetera verba, quę Christianum hominem audire, auditaque re ipsa exprimere oportet, est illud quoque: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est dignus. item: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Si quis ergo in cruce ferenda Christum Dominum in hac vita non est secutus, neque eidem per passionem, & tribulationis ignem conformatus, & tamen salute potitur: consequens fit vt alibi in vtroque eidem assimiletur, hoc est, in igne, & loco purgatorio. Vera enim fides crucem non excludit, sed includit: quemadmodum & poenitentiam quoque, & spem, & charitatem, & preceptorum obseruationem, & multa alia eiusmodi, quæ sine cruce non suscipiuntur, neque suscepta perficiuntur.

Sed addebatur: Qui credit, non venit in iudiciu: ergo multo minus veniet in purgatorium? Meminimus & illud quoque additum fuisse, sed eodem pondere, quo cetera. Non enim sequitur: Qui credit, non venit in iudicium, ergo non est purgatorium. Quandoquidem Scripturæ multiplex iudicium nobis produnt. Est enim iudicium discussionis, est remunerationis,

Fides crucem non excludit, sed includit.

Multiplex est
iudicium iu-
dicatorum que
ratio.

nis, est discretionis, est punitionis, est approbationis, est deni- que condemnationis, quod vnum inter omnia purgatorium excludit: qui enim condemnantur, ad purgatorium non per- tingunt. Cætera iudicia purgatorium non excludunt, quanuis necessariò quoq; illud non includant. Potest enim quispiam vel in hac, vel in altera quoque vita dijudicari, & tamen pur- gatorij pœnas non experiri. Infidelis autem iam iudicatus perhibetur, non quòd condemnationis sentētia re ipsa in eum iam sit lata: sed quòd in præscientia Dei, nisi tamen ante vitæ finem resipiscat, & fidem, quæ per dilectionem operatur, sus- cipiat, pro condemnato habeatur: Vel iam iudicatus, vel con- demnatus dicitur, quia manifestam condemnationis causam secum deportat: Vel quia iam actu in verè lucis tenēbris ver- satur.

Eodem tendit, eandemq; solutionem & interpretationem » recipit illud Marci: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus » erit. Nam etsi baptizati fideles salui fiant, modò tamen in per- cepta Baptismi gratia ad finem vsq; persistant: nò est tamē ne- cessarium, vt statim salui fiant, vel vt citra crucē salui fiāt. Imò citra crucem & molestiā salui fieri nequeunt. Baptismus enim & fides crucem nò tollunt, sed augēt: licèt propter vires, quas sufficiunt, onus illius leuius reddant. Vnde vt Dominus apud Marcum salutē promittit credentibus, & Baptismi Sacramen- to initiatis; ita apud Mattheum accuratam præceptorum ob- » seruationem ab iisdem exigit, ait enim: Euntes in mundum » vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine » Patris & Filij & Spiritus sancti, docētes eos seruare omnia que- » cunq; mandauit vobis. At multi passim comperiuntur, qui ist- hęc, vel nò obseruant, vel malè obseruant, qui tandem tamen per pœnitentiam salutem obtinent. Cùm ergo Dei præcepta impunè violet nemo; & multi prius vita hac defungantur, quàm propter transgressionis peccatum castigentur: facile est diuinare, eiusmodi promeritas transgressionis pœnas nò absq; foenore in altera vita depensuros esse.

Matth. vii.

Christus
præter fidē
& Bap-
tismum præ-
ceptorum
obseruati-
onem de-
poscit.

Cæte-

Cæterum, quæ hoc loco, ac duobus hunc præcedentibus, de fidei vi exponuntur, ea de fide formata, hoc est, spe & charitate perfecta, accipienda sunt. Per se enim, cæteris seclusis, nulla fi- des saluat. Ad eundem modū licèt nulla in illis, qui Iesu Chri- sto per fidem viuam incorporati sunt, existat verè damnatio- nis causa: sunt enim in gratia: potest tamē aliquis adhuc præ- teritæ damnationis effectus vel appendix in illis residere. Nam quicquid pœnarum, vel miseriarum in mortali hac vita ex- perimur, hoc totum aliud ferè nihil est, quàm quoddam vete- ris damnationis vestigium. Ideo enim morimur & affligimur, quia in peccato cōcipimur & nascimur. Sed temporariæ quo- que pœnæ reatus damnationis nomine, vel non venit, vel non propriè venit. Fieri enim potest, vt quispiam magna quadam sanctimonia vitæque perfectione polleat, qui tamē pœnarum vinculo obstrictus adhuc hæreat. Atque hoc negare nihil aliud est, quàm cum aperta experientia impudenter pugnare. Certū est enim iustos omnes Christo per fidem & charitatem insi- tos esse: & tamen maior illorum pars assiduis vrgetur & exer- cetur miserijs & crucibus, ijsque iustis. Deus enim nò percu- tit quenquā iniuste, absit. Nulla est ergo consecutio: Nihil dam- nationis est in ijs, qui sunt in Christo Iesu, ergo nullū est pur- gatorium. Et hæc breuiter ad illa dicta sint, quæ ad constitu- endum geminum vtrobique hominum statum, & ordinem ab Antagonistis adferebantur.

Ad cætera porrò pari facilitate responderi potest: Imò iam antè responsum est. Omnia enim id vnum vrget, quod Ca- tholici omnes vnanimi sentētia affirmant, puta duas tantum perpetuas post hanc vitam hominum sedes esse, infernum vi- delicet, & cœlum. Illud igitur, Ibunt hi in supplicium æternū, iusti autem in vitam æternam. & quod huic cognatum est, & in eodem illo capite expositum est, Venite benedicti, discedi- te à me maledicti. item, Statuet oues ad dexterā, hoedos verò ad sinistram: nullam deposcit explicationem, cùm de germa- no, proprioq; loci huius sensu nulla inter nos & Antagonistas

b b b inter-

Fides per se
non saluat.

In iustis da-
mnationis
causa esse nò
potest, dāna-
tionis effe-
ctus potest.

Quæcunque ad ultimam retributionem, vel sequestrationem pertinent, ea neque pro purgatorio, neque contra purgationem faciunt.

intercedat controuersia: Certum est enim isthæc ad ultimam illam & generalem sequestrationem pertinere. In hac enim iusti & fideles, ab iniquis & infidelibus segregati, vnâ cum corpore transmittentur ad cœlestia illa domicilia: impij contra & scelerati secundum vtrunque hominem detrudentur ad ima tartara. Neque vllus orthodoxorum Theologorum comperitus est hæcenus, qui post generalem omnium resurrectionem plures poneret hominū sedes, quàm duas illas aliquoties iam nominatas: nisi quòd de infantibus in originis peccato extinctis alij aliter sentiant. At hoc interim nihil prohibet, quò minus ante generalem mortalium omnium resurrectionem plura animarum receptacula statuere liceat. Nam illi ipsi quoque, qui Sectis addicti purgatorium negant, non diffitentur ante Christū passum tria, aut quatuor eiusmodi domicilia extitisse, nimirum infernum, Abrahæ sinum, puerorum limbum, & cœlum empyreum; quanuis istuc ad illud vsq; tempus omnibus hominibus oclusum fuerit. Nihil est ergo, quod istiusmodi loca ad infirmandam purgatorij fidem hinc inde corradat. Nihil enim omnia isthæc, aut ad purgatorium, aut contra purgatorium faciunt. Facerent autem maximè ad illud, si Catholici purgatorium aliquod perpetuum, aut post generalem resurrectionem aliquod quoque temporaneum constituerent.

Eccles. 11.

Alterū illud ex Ecclesiaste petitum similè interpretationem recipit. Nam dum Salomon ibi lignum perpetuò mansurum asserit, vbi ceciderat, nihil aliud significat, quàm vnumquemque mortalium post hanc vitam statū sortiri planè indemutabilem. Quicumque enim in charitate, quæ omnium interpretum sententia per Austrum designatur, hinc decesserunt, illi nunquam inde excident. Rursum quicumque capitali peccato obstricti vitæ finem fecerunt, ij nunquam via saltem ordinaria ab eo liberabuntur: Ac quotquot in purgatorio expiantur, ad vnum omnes Austrum versus ceciderunt: Sicut & illi quoque, qui ante Christū natum in patrum limbo detinebantur. Vnde vt hi in illo loco non manserunt perpetuò, sed tantum ad

Austrum nomine designatur charitas.

ad tempus, donec nimirum debitum, quod non solum singula humanæ naturæ indiuidua, sed ipsam quoque naturam quodammodo obstrictam tenebat, per Christi sanguinem dissolueretur: ita iusti post eundem Christum passum in purgatorio non hærent semper, sed eò vsque tantum, dum promeritis poenas dependerint, adhærentesque peccati sordes exuerint.

Ad illud Psalmistæ: Cùm dederit dilectis suis somnum: " *Psalm. 126.*
 ecce hæreditas Domini, filij, merces fructus ventris. respon-
 detur quiduis potius significari, quàm iustos, vbi primū hinc
 excesserint, statim cœlestis regni hereditatem capeffere; atq;
 ideo nullum ex omnibus ad purgatorium amandari. Nam vt à
 literali, qui longè aliò tēdit, ad mysticum sensum hunc locum
 transferri paululū sinamus, adhuc aliud nihil hinc euince-
 retur, quàm dilectos Domini, hoc est, iustos & præcipuè mun-
 dos, (hi enim dilectorum vocabulo designari solent) cœlesti
 hæreditate certò potituros, quod nemo negat: non tamen est
 necessarium, vt ea statim potiantur. Neque aduerbium Ecce *Aduerbium
 Ecce nō sent.
 per demon-
 strat rem præ-
 sentem.*
 istud denotat. Quanuis enim demonstrat, non semper tamen
 rem presentē demonstrat, sed interdum adhuc procul positam.
 Etenim cū Propheta ait, Adhuc modicum & ecce ego cœ- *Agg. 2.*
 lum & terram mouebo. & alius item: Dabit Dominus ipse *Esai. 7.*
 vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium &c. non
 significatur statim quasi temporis momento isthæc futura
 esse, sed tantum certò futura esse. Ad literam autem signi-
 ficatur frustra eos niti, quicumque secluso Domino nitun-
 tur; vt qui tota illa sua sedulitate, animique anxietate ni-
 hil effecturi sint, quod alicuius sit momenti, cū interim
 Dominus dilectis, (quales sunt, qui spem omnem in ipsum
 reiiciunt, totique ex illo dependent) citra tantam solici-
 tudinem, tantamque animi inquietudinem ac defatigatio-
 nem, omnia ad vitam honestè sustentandam necessaria sup-
 peditare queat, & suppeditare quoque soleat. Hunc sensum
 non ea solum efflagitant, quæ hæc antegrediuntur, (scribitur
 b b b 2 enim:

enim: Nisi Dominus edificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. item: Nisi Dominus custodierit ciuitatē, frustra vigilat, qui custodit eam.) sed ipsi quoque Scripturarum fontes.

a. Cor. 5. » Illud verò Apostoli: Scimus si terrestris domus nostra huius
» habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis: non ad poenitentes, aut vulgares iustos referendum est, sed ad perfectos, cuiusmodi sunt, qui terrena calcant, totaque animi auiditate ad cœlestia inhiant. Vnde eodem illo loco mox subditur: Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, & non nudi inueniamur. & alia ibidem in eandem sententiam plura. Sed neque vllum quoque causæ nostræ præiudicium adferremus, etiamsi Apostoli pronūciatum generatim de omnibus omnino iustis exponeremus. Nam & illi ipsi quoque, qui ad summum puritatis gradum necdum peruenerunt, post corporis sui dissolutionem paratam habent domum non manufactam in cœlis: At non est opus, vt statim in illam ingrediantur: satis est, si post iustam purgationem & punitionem ad illam admittantur. Neque Apostolus docet, quòd statim eam occupent, sed vnum hoc solum, quòd paratam, siue per Deum exædificatam habeant, eamque æternam, & ἀξιοποιοῦσαν.

Porro autem quid Theophylactus de purgatorio sentiat, id iam antè expositum est clarè: neque hæc ille infirmare putandus est, cum demortuorum animas in manibus Dei esse affirmat. Siquidem hoc non ex Scripturis solum, sed ex ipso quoque rationis lumine est manifestum. Si enim nihil non in manibus Dei positum est, & hominum animæ sint aliquid: erunt utique & ipsæ quoque in manu, hoc est, in potestate Dei. Sed aliæ interim sentiunt manum Dei magna cum seueritate peccatum vlciscentem, vt omnes, quotquot ardent in inferno: Aliæ paternè corripientem, vt illæ,

Omnia in manu Dei sunt, sed non eodem modo.

vt illæ, quæ exercentur in purgatorio: Aliæ tandem liberaliter coronantem, præstitaque pietatis officia remunerantem, vt omnes illæ, quæ cœlesti potiuntur beatitudine: Atque ita nullā ille pro suo arbitratu oberrare finit. Vnaqueque enim, vt primū corpus suum deseruerit, statim ad aliquod meritis suis congruum receptaculum abripitur: & hoc probat Theophylactus Lazari & diuitis epulonis exemplo, quorū hic statim abductus est ad æternum supplicium, ille verò euestigio deportatus est ad Abrahæ sinū. Nihil est ergo, quod ex Theophylacto contra purgatorium adfertur.

At multò verò infirmius est, quod ex Augustino contra idem allegatur. Siquidem Augustinus libro & loco citato ex instituto disputat contra Pelagianos, qui per summū errorem & contentionē tres perennes hominū vel animarū sedes stantuebant. Vnā ex his assignabant beatis, alteram inferni mancipijs, tertiam infantibus nullo fidei Sacramento regeneratis. Hos enim illi, neque ad cœlum pertinere aiebant, quòd ex aqua & Spiritu sancto non essent renati: nec rursus ad infernum, quòd falsa illorum estimatione nulla tenerentur culpa. hoc autem negat Augustinus, & multis locis acriter impugnat, ostendens eiusmodi infantes verè rationis peccato contaminatos esse, atque ideo non ad medium aliquem locum inter cœlum & infernum constitutum pertinere, sed absolutè ad infernum. Quod verum est, si illorum statum spectemus: quæstionem tamē & difficultatem habet, si de loco sit sermo, præsertim post communem carnis resurrectionem. Quòd autem Augustinus de ipso purgatorio nunquam dubitauerit, neque ambiguè disceptauerit, licet de punitionis modo & ratione non vno in loco veluti anceps scripserit & disputaauerit, quod dubitandi & disceptandi genus in alijs plerisque fidei articulis locum habere certum est, vel ex eo vno, vt cætera omnia silerent, perspicuum est, quòd Aërium inter cæteros hæreseon architectos & propugnatores ceseat, q̄ inter alios errores, quos ille defendebat, purgatoriū quoq; negaret.

Pelagiani tres perpetuas animarum sedes cōmunicantur.

Lib. 21. c. 26. de ciuit. Ench. c. 69. 69

Hæres. 53.

Lib. 2. c. 20 ad
Genes.

Sed & alijs quoque non paucis in locis & libris ita disertè & clarè de purgatorij veritate pronūciat, vt aperta sycophantia sit, vllam omnino dubitationis notam illi impingere. An non apertè, quæso, purgatorium agnoscit, dum de emendatorio illo igni hunc in modum scribit: Qui fortè agrū non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. rursus: Non omnes veniūt in sempiternas pœnas, quæ post illud iudicium illis futuræ sunt, qui post mortē sustinēt temporales. Nam quibusdam, quod in isto non remittitur, remittit in futuro seculo iam suprā diximus. item: Qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis, prius purgandus est igne purgationis. Hic autem ignis & si æternus non est, mirò tamen modo grauis est. tandem: Totis viribus vnusquisque laboret, vt capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata ita bonis operibus redimere, vt de ipsis nihil videatur remanere, quod ignis ille possit absumere. Hæc & plurima alia, quæ passim apud Augustinum occurrunt, ad eò sunt illustria & perspicua, vt absque manifesta impudentia negari, aut in alium sensum torqueri non queant.

Matth. 13. 25.

Restant diluenda exempla ex Euangelio petita; tum rationes quoque, quibus locorum *deuda* propugnāt. Et quidem exemplum de palea & tritico, de quinq; rursus fatuis & totidem prudentibus virginibus allatum nullam difficultatē habet. Certum est enim vtrunque ad vltimam illā & generalem bonorum & malorum omniū sequestrationem spectare. Post illam autem nullus ampliùs inter infernū & cœlestem paradysum medius relinquetur locus, & per cōsequens nullus ampliùs purgatorij erit vsus. Sed neque, quod de diuite epulōne & Lazaro adferebatur, aliquod quoque momentum, aut robur obtinet. Siquidem diues epulo in scelere suo obstinatus mortem obierat: eiusmodi autem rectā statim abripiuntur ad inferos, non ad purgatorium, vel alium quemcunq; locum

Luc. 16.

cum medium: In Lazaro autem nihil, quod igne expiaretur, reliquum erat. Quicquid enim immundum in ipso extiterat, hoc totum iam antè per cōtinuam miseriam & crucem, quæ æquo patientique animo pertulerat, excoctum exhaustumq; fuerat: atque ita vita defungens nihil, quod diuturniore pœna, aut emendatorio igne indigeret, in eo supererat.

Luc. 29.

Solum ergo, quod de latrone citatum est, peculiari responsione indiget. Possit tamen & de illo ipso quoq; idem responderi, quod iam de Lazaro responsum est. Nam etsi conuersio illius fuit fera, attamen, vt ex Euangelio colligi potest, fuit oppidò incensa: incensa autem contritio omnem simul culpam & pœnam absomit. Sed & Dominus quoque pium illud studium, quo Christi causam publicè egit, eundemq; verum Deum & hominem illo ipso tempore, quo Apostoli in fide quodam modo nutabant, & fugæ latebras querebant, palam confessus est; & suam nihilominus culpā, propter quam etiā infame illud crucis supplicium sustinebat, ingenuè agnouit, ad quamlibet satisfactionem iure meritoq; recipere potuit. Fuit enim illa confessio, & inuocatio, & defensio planè heroica, & insignis, & per consequens peculiari aliquo Veniarum priuilegio digna, etiam si secundum se contractis debitis impar extitisset. Indulta autem & paucorum priuilegia non sunt in legem, vel exemplum trahenda. Denique potuit eodem die, vel eadem quoque hora vtrobiq; fuisse: priori quidem dici, vel horæ parte in purgatorio, posteriori verò in paradiso: hæc enim non pugnant, tametsi propter causas iam assignatas oppositum nobis magis placeat.

Ad primam Antagonistarum rationem dicitur, falsò asseri duas duntaxat animarum sedes sub mundi catastropham locum habituras, cœlum nimirum & infernum. Nam vsque ad communem carnis resurrectionem nō solum hæc duæ, quæ nunquam desinent, sed ipsum quoque purgatorium vsus suum integrè obtinebit, post illam autem nequaquam ampliùs. At quomodo, inquis, iusti, qui vsque ad illud tempus vitā producunt

Purgationis
vsque ad mundi
finem erit
locus.

1. Cor. 15. ducturi sunt, expiabuntur? Nam aliquos etiã tum in uinis fu-
 1. Thef. 4. » ruros, Apostolus nequitiam obscure testatur. ait enim: Mor-
 » tui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui uiui-
 » mus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus
 » obuiam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus.
 Sanè non est Deo difficile, vel exiguo spatio electos suos pur-
 gare, vel pœnas post hanc vitam intendendo, vel contritio-
 nis actum perficiendo, vel præsentis vitæ tribulationes mul-
 tiplicando, quæ utique propter Antichristi sæuitiam per id
 Matth. 24. » tempus erunt maximæ. scriptū est nanque: Erit enim tunc tri-
 » bulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit. In
 idem autem redit, ad vnam ne horam torquere intēssimè,
 an verò per multas remisè. Siue enim electi tūc purgabūtur
 per præcedētes tribulationes, vt verisimile sit; siue per inten-
 sam peccati detestationem; siue per incensum charitatis fer-
 uorem; siue per pœnam, quam Deus ipse occulta quadam vi
 irrogabit: nullus electorum omnium ad iudicium illud ge-
 nerale comparebit immundus; nullus rursus, qui in pecca-
 tum ceciderat, impunitus.

Nullus ele-
 ctus ad vni-
 uersale iudi-
 cium compa-
 rebit immū-
 dus.

Ad secundū respondetur, non minores vires suppetere cha-
 ritati, quàm noxæ; Deum rursus æquè propensum esse ad
 seruandum ac ad perdendum, vel condemnādum: neque hinc
 tamen sequi, vt illi, qui capitali peccato obstricti vita hac de-
 funguntur, statim abripiuntur ad inferos; ita illos, qui in cha-
 ritate decedunt, statim trāsmitti ad superos. Nam qui crimi-
 ne quopiam contaminatus vitali hac luce perfungitur, nihil
 in se habet vita dignum: atque ideo statim damnationis sen-
 tentia percipitur. Qui autem charitate vestitus moritur, &
 tamen venialibus nequis, aut pœnarum debitis adhuc grauatur,
 non est dignus, qui ad gloriam admittatur, multò verò
 minùs, qui æterno supplicio addicatur: est autem dignus,
 qui pœnis purgatorijs ad tempus adhuc exerceatur. Charitas enim per venialia peccata, aut pœnarum temporalium
 debita non extinguitur, neque intrinsecè quoque læditur;
 sed

sed tantum ab ultimo suo effectu impeditur. Solet etiam di-
 ci, & rectè dicitur, bonum constare ex integra causa, malum
 autem ex singulis defectibus. Vt enim morbo aut vitio ali-
 quo labores, fat est, si vel vnus quispiam humor deprauatus
 peccet, aut vnum aliquod membrum langueat: vt autem
 sanus sis, omnia integra & sana sint oportet. Ad propositum:
 vt æterna vita potiare, ab omni prorsus labe & debito immu-
 nis sis necessum est; vt autem pereas, fat est, si vel vnico sce-
 lere constrictus hinc excedas.

Bonum con-
 stat ex inte-
 gra causa, ma-
 lum ex quoli-
 bet defectu,
 vel vitio.

At dices forsan: Vt iustus & misericors Deus nullum pec-
 catum relinquit impunitum, ita nullum quoque bonum
 opus relinquere solet irremuneratum: contingere autem
 posse, imò saepe contingere, vt quispiam lethali scelere con-
 strictus vitæ finem faciat, qui aliqua tamen opera præmio nõ
 indigna secum deferat: Eiusmodi ergo non statim ad infe-
 ros abripi, sed tantisper alicubi detineri, donec horum causa
 iusta remuneratione potiatur? Istuc vt fiat nulla iustitiæ ratio
 compellit: siquidem quotidiana beneficia, quæ Deus Opt.
 Max. in peccatores confert, multis partibus excedunt bo-
 na omnia, quæ scelerati faciunt, quamdiu in scelerum vo-
 luntate persistunt, etiamsi aliud nihil conferret, quàm me-
 ra flagella. Nam illa ipsa quoque ad resipiscentiam prouo-
 cant, & ad Deum inuitant, licet multi per ingratitude, &
 insipientiam illis in suam perniciem abutantur: atque ita ne-
 mo omnium de Dei seueritate iuste conqueri potest, ne il-
 li ipsi quidem, qui multa opera mortificata secum deferunt.
 Nam etsi illa fuerint & sint secundum se æterna remunera-
 tione digna, tamen quia per peccatum, quod, ne fieret, ca-
 uere, & factum, ne obesset, per pœnitentiam remouere po-
 terant, & non cauerunt, neque remouere studuerunt, im-
 pedimentum illis imputatur, q̄ iusta eorum mercede frustran-
 tur. Neq; enim fat est benè operari, aut operatū esse, vt saluus
 fias: sed necessariū est, vt in bono opere ad finē vsq; perseue-
 res, iuxta illud: Qui perseuerauerit vsq; ad finē, hic saluus erit. » Matth. 10

Quotidiana
 Dei beneficia
 excedunt
 omnia impi-
 orum & sce-
 leratorum
 merita.

Ad illud porrò, quod in eadem illa secunda ratione adferunt, videlicet omnes, qui hîc ætatem agunt, bonos esse, aut malos; in altera autem vita nullum ex bono malum, nec ex malo rursum bonum posse fieri: respondemus totum id verum esse, modò tamen vtrunque membrum rectè accipiatur. Antagonistæ autem alterum perperam, hoc est, contrariis quàm par est, accipiunt: Volunt enim hinc inferre vtrobique duas duntaxat hominum, vel animarum classes esse, alteram bonorum, alteram malorum: quod tamen in eo sensu, quem ipsi vrgent, falsum est. Vtrobique enim non duo, sed tres hominum, vel animarum sunt ordines, eruntque ad finem seculi semper: vnus optimorum, alter pessimorum, tertius medio modo affectorum. Mediocriter bonos cum vniuersa Schola eos appellamus, qui cum gratia καλοσύνη quædam & cremabilia, hoc est, peccatorum reliquias, & quædam quoque leuia peccata secum deferunt. Iam licèt in altera vita pessimi fieri nequeant optimi, imò ne boni quidem; nec optimi rursum pessimi, imò ne mediocriter quidem boni: mediocriter tamen boni in altera vita fieri possunt optimi, quia ab omni pœna & culpa per ignem illum expiatorium possunt repurgari. De triplici hac classe non vno in loco differit Augustinus, præcipuè verò in Enchiridio. Negandū, inquit ibi, non est defunctorum animas suorum viuentium pietate releuari, cum pro illis sacrificiū Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc profunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non profint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat: & est rursum talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita transferit, adiuari. Hæc ille ad rem præsentem appositissimè & clarissimè.

Per hæc eadem illa etiam diluta restant, quæ in postrema ratione congerie quadam coaceruabantur. Nam etsi omnes, qui

Triplicem ex-
tat animarū
status post
hanc vitam.

In altera vita
nemo ex pes-
simo fit opti-
mus, neq; ex
optimo pes-
simus.

Enchir. c. 118.
33. q. 2. c. Te-
pus.

qui ex humanis excedunt, iusti sint vel iniusti, fideles vel infideles, amici vel inimici, filij Regni vel filij iræ: non omnes tamen iusti, sunt æquè iusti, aut æquè perfecti, aut æquè amici, aut, qui ad regnum admittantur, æquè idonei; sed alij alijs iustiores, regnoque capeffendo digniores. Quod autem ex parte adhuc imperfectum est, id vel hîc vel alibi perficiatur necessum est. Duplex est ergo bonorum genus: alterū perfectum, quod citra purgatorium beatitudinem consequitur: alterum imperfectum, quod citra purgatorias pœnas non saluatur; siue illa imperfectio proueniat ex peccatis suapte natura leuibus, siue ex grauium quorundam peccatorū reliquijs, hoc est, temporalium pœnarum debitis.

Ad illud tandem, Duplex est tantum corporum status & locus, ergo geminum tantum assignandum est animarum receptaculum, facilis est responsio. Nam etsi vtrunque vnum constituat hominem, (nec enim corpus per se est homo, nec rursum anima per se est homo, vt falsò opinati sunt Platoni, sed vtrunque simul) primarium tamen ac principale agēs est ipsa anima. Hęc vna enim est radix & fundamentum omnis meriti, omnisque peccati. Sicut penès hanc vnā quoque consistit omnis omnino propria ratio voluntarij. Adhæc si ea Aduersariorum cauillatio aliquid efficaciter probaret, probaret etiam nullam ante communem carnis resurrectionem veram perfectamque animarum felicitatem futuram esse. quod consecrarium, & falsum est, & iam olim hæreseos condemnatum est. Tandem licèt corpus ab anima seiunctum doloris sensum nullum experiatur, nec experiri quoque queat: siquidē omnis doloris, & voluptatis sensus fluit ab anima: paritur tamen & ipsum quoque suos manes: Quauis id non ob personale aliquod peccatum, sed propter originis vitium: resoluatur enim in puluerem ac materiam primam, in hoc autē rerum statu grauiori pœna affici nulla potest.

Sed cur, inquis, perinde ac anima purgatorio igni nō exercetur? Nō potest, aut certè nō debet. Nam ante corporis depo-

Non omnes
iusti æquè
sunt iusti, aut
perfecti, aut
amici.

In ratione
meriti non
eadem cor-
poris & ani-
mæ ratio.

Extraug.
Benedict.
vndec.

sitionē purgatorius ignis vim suā in hominē citra miraculum exercere nō potest. Absumeret enim illū statim. In hac itaque mortali vita nō purgatorij, sed tribulationis, voluntariēq; satisfactionis ignis vr̄at oportet. At verò post corporis exuscitationē omnis purgatorij vsus esse desinet. Vt autē homo moriatur, statimq; corpus, quod posuerat, denuo resumatur, quò nimirum satis in eo faciat, vel patiat, id nullū est opere precij. Potest enim anima per se solam sufficienter pati, vt quæ sola per se subiectū sit peccati, & per se solam nihilominus proprie puniatur & coronetur. Corpus enim per se non punitur, nec coronatur, sed hæcenus tantūm, quatenus animæ confociatur. Vnde dici solet gloriā animæ exūdare in corpus, omnesq; gloriosi corporis dotes dimanare ex beatitudine animæ. Patet ergo, quæ de locorum qualitate post hanc vitam ab Antagonistis disputantur, ea, & friuola, & ad catholicam veritatem infirmandam infirma esse prorsus.

Sed neq; magni quoq; roboris sunt, quæ ad secundū membrum constituendū in medium adferūt. Nam, si rectē rem expendamus, omnis eorū conatus eō hīc rēdit, vt id impugnent & obtineāt, quod nemo nō Catholicorū gratis illis donat, puta nullum post hanc vitam, aut noui meriti, aut noue quoque poenitentiae locū superesse. Nisi forsan ad eō sunt stupidi, vt in idem redire existiment, poenas pati, & ex iniusto iustum effici, hoc est, in salubrē eorū scelerū detestationem post vitę huius cursum transferri, de quibus in præsentī vita nulla præcesserat poenitentia, nulla emēdatio, nullus interni doloris sensus. Sed hoc existimare, aliud nihil est, q̄ se omni iudicio destitutum esse apertē declarare. Quis enim catholico sensu & mente præditus vnquam docuit, aut somniauit, qui impoenitentes, suoq; in peccato obstinati hinc excefferunt, illos per poenas purgatorias, vel alios cuiuscunq; generis cruciatus in altera vita poenitentes ac resipiscētes posse effici? nemo herculē, nemo.

At cauillabuntur hīc forsan: Iam olim magno consensu in Papatū docetur leuia peccata integrē, hoc est, quo ad poenam

Corpus per se nec plestitur, nec coronatur.

Nō idē sunt, poenas pati, & ex iniusto iustum effici.

nam & culpam, in altero seculo expiari: at nullum peccatum est leue. Quandoquidem omne omnino peccatum, quatenus peccatum est, est contra legem Dei, atque ad eā æterna morte dignum. Si ergo, quæ venialia appellantur, integrē in purgatorio abolentur, ergo vera & noua istic obtinet poenitentia. Poenitur eum nulla de his leuibus poenitudo in hac vita antecessisse. Sed hæc quoque cauillatio falso planeq; absurdo fundamento nititur. Nam si omnia peccata, quæ in hominem cadunt, essent mortifera, vt contra communem sensum hīc sumitur, nullus in hac vita esset iustus, nullus, qui mente valeret, charitate ornatus; nullum discrimen intercederet inter lignū, foenum, stipulam, & cætera peccata, quæ à regno excludunt; nullum inter irasci, stomachari, & apertē conuiciari; nullum inter concupiscentiam inchoatam & consummatam, nullum inter peccatum ad mortem, & peccatum nō ad mortem: quæ omnia sunt absurda, & à Scripturę sentētia prorsus aliena. Sed non est hīc de venialium & lethaliū discrimine disputandi locus: ponimus enim tanquā certū in Christiana religione principij, inter hæc & illa discrimē longē maximū intercedere.

Sed omne peccatum, inquiunt illi, etiam illud, quod venialis appellatione designatur, est contra præceptum, ergo omne eiusmodi æterna morte est dignum: ergo nullum est veniale, ergo nullum post hanc vitam remittitur, ergo nullum est purgatorium. Dato quod antecedēs ponit verum esse, quod tamen potior Theologorum pars non iniuria inficiatur: (Committuntur enim veniales nequē verius præter præceptū, quàm contra præceptū) adhuc consecutio est nulla. Nam etsi omnia & singula Dei præcepta sint grauiora, magnique faciendā, non eiusdem tamen ponderis & vinculi sunt omnia. Diuina lege vetitum est mēdacium, vetitum furtum, vetitum otiosum, vetitum contumeliosum verbum, vetita praua concupiscentia, & alia id genus innumera: At alio interim cōsilio & vinculo, & per consequens sub alia poena vel multa, vetitum est mendacium iocosum vel officiosum, alio perniciosum; alio vnus

1. Cor. 3.

Matth. 5.

Iaco. 1.

1. Ioan. 5.

Venialia admittuntur venius præter præceptū, quàm contra præceptum.

Exod. 21.

Matth. 12. 3.

Non omne
præceptum
eiusdem est
vinculi.

pomi, vel teruncij furtum, alio talenti vel aurei, alio verbum otiosum, alio contumeliosum; alio concupiscentia inchoata, alio consummata. Idem statuatur de ceteris similibus. Non omne proinde, quod est contra diuinum vel humanum præceptum, statim etiam est morte dignum, aut lethale peccatū; sed illud solū, quod sub æternæ mortis poena à Deo est cautum. Quæ autem illa sint, id paucis exponi non potest: multa enim genere suo sunt lethalia, quæ tamen propter deliberationis inchoationem, aut materiæ paruitatem mortem nō inducunt. Nobis satisfit, non omnia peccata esse mortalia, etiam si ponatur omnia esse contra præcepta. Vnde etiam Ecclesia alia media & remedia vsurpat contra peccata mortifera, alia contra venialia.

Poterant hæc ad secundi huius membri confutationem sat esse: Verū quia aduersę parti persuasum est totum illud, & omne illud purgatorium infirmare, quod nullum nouo merito locum post hanc vitam reliquum esse demonstrat, paucis hinc ea proponemus, & exponemus, quibus illi alterius vitæ merita impugnant; non quō vllum omnino eiusmodi meritum statuamus, sed quō inanes hominū illorū conatus ostendamus. Quid enim inanius, quàm per eiusmodi inficiationem purgatorij fidem velle expugnare? Allegant autem in hunc scopum illud Ecclesiastę: Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapiētia, nec scientia erunt apud inferos, quō tu properas. & illud Apostoli: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. & illud eiusdem: Siue prophetiæ euacuabuntur, siue lingue cessabunt, siue scientia destruetur. & illud Apocalypsis: Beati, qui in Domino moriuntur. A modo enim dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. & illud Ezechielis: Quotiescunque peccator ingemuerit pro peccatis suis, omnium iniquitatum illius nō recordabor amplius. & illud Matthei: Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Viuunt ergo iusti in Deo, & Deus in illis. Allegant alia quedam ex Scripturis his affi-

affinia: verū in his cognitis & explicatis, facilimum erit de reliquis statuere, sunt enim omnia æquè infirma.

Ad primum respondetur, sapientem Salomonem sapienter ignauos ac desidiosos cunctatores, hac oratione, quæ verissima est, ad officium faciendum, legisque præscriptum explendum excitare. Verè enim apud inferos nullum omnino obtinet opus, quod vllius omnino apud Deum sit meriti. Totum enim meritum paratur in hac vita: & quod hinc paratum non fuerit, hoc frustra alibi queritur. Idem namq; vitæ, meriti que finis existit. Verū hoc neutiquam euincit, nullum apud inferos satisfaciendi, aut sati patiendi veriū locum, aut sensum existere. Aliud est enim mereri, aut querere facere; aliud pati, illatisque poenis satisfacere. Alterum apud inferos locum habet, quanuis non apud omnes; alterum non habet.

Pari modo hoc præsens tempus, est tempus salutis ac meriti. Vnde qui salutem suam hinc neglexit, aut perdidit, nunquam ille in altera vita eam inueniet, aut instaurabit. At verò temporalis poenæ debitum, vt & leue quoq; aliquod erratum, cum salute, aut salutis principio nō pugnat: nam aliās nulla in hac vita vera salus, nulla veræ salutis origo existeret. Sed & nunc quoque tempus est, in quo solo aliquod opus acceptatur ad vitam æternam. Quod enim hinc ad meritū, aut gratiæ augmentum acceptatū non est, illud in altera vita ad neutrum vnquā acceptabitur. Sola enim gratia efficit, vt opus aliquod apud Deum sit acceptum, æternęque vitæ meritorium. Addē his, Apostolum præsens hoc tempus non conferre cum tempore vel æuo futuro, sed tantū cum præterito. Conferunt namq; Evangelicę legis tempus, quod nunc decurrit, cum Mosaicę legisque naturę tempore, quod iam olim effluxit. Et quidem hoc præsens, salutis & acceptationis tempus vocat, illud autē non item: quia in hoc vera & perfecta salus contingit, non in illo. Siquidem qui vitā hinc piē sanctęq; transegerūt, statim vbi è viuīs excesserint, æterna salute donantur: In veteri autem lege, vt &

Nullum opus
apud inferos
est meritorium,
aut proprie quoque
satisfactoriū.

vt & in lege naturæ quoque, omnes & singuli, etiam sanctissimi & innocentissimi, ad inferos ablegabatur: nec vllum opus, quantumlibet heroicum, acceptabatur ad regnum iam tum prestandum. Expectare enim oportuit Christi in carnē aduentum, eiusdemque è mundo exitum.

Quod autem de linguarum, scientiarum, & prophetiarum cessatione huic loco ex eodem Apostolo atrehebatur, illud planè ineptè & insulsè atrehebatur. Qualis enim est hæc consecutio? In cœlesti gloria, siue in clara Dei visione (de hac enim est hîc sermo) cessabunt linguæ, cessabunt scientiæ, cessabunt prophetiæ: ergo nullum est purgatorium. quæ, si verò linguarum, vel scientiarum, vel prophetiarum cessatio euacuet purgatorium. Sed & falsum quoque est, quòd isthæc cessabunt: non enim cessabunt, aut euacuabuntur, simpliciter, sed ea tantum parte, qua imperfectæ & obscuræ erant. Si quidem in lumine gloriæ omnia erunt clara, omnia illustria, Cessabunt tamen integrè isthæc omnia quo ad meritum. Nulla enim scientia, aut lingua, aut prophetia in cœlo erit meritoria. Et si huc spectarunt Antagonistæ, admitti possunt. Sed tamen nihil hoc ad purgatorium, contra quod isti pugnât: nulum enim nouum colligitur, aut statuitur hîc meritum, sed solum antiquum dissoluitur debitum.

Illud porrò, quod ex Apocalypsi allatum est, eodem modo & sensu exponere licet, quo locus ex Ecclesiaste petitus paulò antè expositus est. Nec enim Euangelista Ioânes agit de cessatione à quolibet opere absolutè: (nam aliàs secum ipse pugnaret) sed de cessatione ab opere, vel labore quæstuario, de qua

Ioan. 9. » cessatione alibi hunc in modum scribit: Venit nox, in qua nemo operari potest. Vult dicere Christus: (huius enim sunt isthæc) Operamini impigrè, dum per vitalem hanc lucem licet. In proximo est enim, vt vita hac mortali defugamini omnes: post mortem autem non erit vobis amplius integrum, aut credendo, aut operando promereri vitam æternam, si eam antè promeriti non fueritis. Accedit huc, particulam ἀπαρτι, modò vel

amo.

amodo, qua interpretis noster vtitur, in Græca editione nõ determinare τὸ requiescēt, sed τὸ moriuntur. Legitur hîc enim: μακάριοι οἱ νεκροί, οἱ ἐν κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπαρτι. καὶ λέγει τὸ πνεῦμα ἵνα ἀποπαύσονται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν. Hæc si Latinè interpreteris, hîc ferè sensum reddunt: Beati nunc, vel hoc tempore (quo videlicet Christus mortuus est, & resurrexit) qui in Domino moriuntur. sanè dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.

Sed & vulgata quoque lectione retenta, aliud adhuc nihil ex hoc loco inferri potest, quàm fore vt Sancti post exhaustos pro Christo & propter Christum labores, tandem à molestijs, crucibus, & laboribus omnibus absoluti, æterna illa beatitudine quietè potiantur: id quod omnino futurum est, tardius tamen vel citius pro cuiusque qualitate & dispositione: simpliciter tamè & certò post generalem omnium resurrectionem, ad quòd tempus hic locus præcipuè spectat. Nam, vt ex coniunctis palam est, confert fideles, qui in horribili illa Antichristi persecutione, seuque eiusdem tyrannide fortes constantesq; persistent, cum ijs, qui Bestiæ charactere se insigniri patientur. Docetque inter cetera hoc inter hos & illos intercessurum: quòd hi, qui adorauerunt Bestiam, & imaginem eius, non habebunt requiem nec die, neque nocte: Ascendet enim fumus tormentorum illorum in secula seculorum. Cæteri autem, qui nimirum in immani illa tyrannide & persecutione propter Christum macerati fuerint, vel propter eundem, ad finem usque perstitierint, paulò post à suis laboribus & molestijs sint recreandi. His præmissis ea statim subiunguntur, quæ manifestè ad seculi consummationem pertinent. Et vidi, ait, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exiit de templo, clamans voce magna ad sedentem, super nubem: Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniã aruit messis terræ. Atqui nemo mediocriter in sacris versatus ambigere potest, quin isthæc ad seculi consummationem attineant: Al-

In purgatorio nullum nouum colligitur meritum, sed solum antiquum dissoluitur debitum.

Matth. 13. » Iudicatur enim ad illud Christi: Sinite vtraque crescere vsq; ad
 » messem: & in tempore messis dicam messoribus meis, Colli-
 » gite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad combu-
 » rendum, triticum autem congregate in horreum meum, &
 » infra: Messis verò, consummatio seculi est. Vt cunque er-
 go hic locus accipiatur, nihil quicquam facit contra purgato-
 rium.

Ezech. 18. » Illud autem Ezechielis: Quotiescunq; peccator ingemue-
 » rit &c. dilutum est iam antè. Nunc obiter dixerim Deum Opt.
 Max. scelera, quæ gratuitò semel condonauit, ea non afferua-
 re ad poenam æternam: at verò, vt fusè suprà ex vtroq; Testa-
 mento ostensum est, non infrequenter illa afferuat ad puniti-
 onem aliquam temporalem: quæ proinde, si hîc irrogata, aut
 ad iustum depensa non est, restat vt alibi dependatur. Sed neq;
 nudum quoq; tantùm gemitû, aut simplicè solùm ad Deum
 cõuersionem poscit à peccatore Propheta; sed iustitiam quo-
 que, & iudicium, & præceptorum obseruationem, & alia quæ-
 dam eiusmodi, quæ omnia ad satisfactionem pertinere certû
 est. Quare si homo poenitens non satis seipsum dijudicauerit,
 & quod iustitiæ ratio deposcebat, integrè non præstiterit, pro-
 fectò in alterò seculo, quod iustitiæ mensuræ defuerat, exple-
 » bit. Verba Prophetæ sic habent: Si impius egerit poenitenti-
 » ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit
 » omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita vi-
 » uet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas opera-
 » tus est, non recordabor amplius. Vel, vt Hebræa editio habet,
 » לא יזכרו ליה לא יזכרו ליה non commemorabuntur, vel recensentur, vel
 non imputabuntur ei, ad damnationem scilicet. Eodem ferme
 modo legunt hunc locum Chaldaus Paraphrastes, & septua-
 ginta quoque Interpretes.

Postremum, quod ex Scripturis allegabant, nihil prorsus
 ad rem facit, vt cunque tandem accipias, vel exponas. Fate-
 mur enim non inuitè, Deum viuentium Deum esse, quauis &
 mortuorum quoque Deus sit; sicut & vtrorumq; iudex quo-
 que

que existit: sed id alio, & alio modo. Fatemur quoque iustos
 omnes in Deo viuere, & Deum vicissim in illis: Imò omnia,
 quæ quocunque modo vitæ spiritum ducunt, in ipso viuunt.
 At negamus tamen omnia, quæ viuunt, eodem modo in ipso
 & per ipsum viuere. Nam vt de inferioribus viuentium gra-
 dibus vel generibus nihil hîc dicamus: certum est aliter in
 Deo viuere peccatores, aliter iustos, aliter beatos. Primi
 nanque naturæ tantùm vitam in ipso viuunt: proximi natu-
 ræ & gratiæ: postremi naturæ, gratiæ, & gloriæ. Quauis er-
 go sciuntq; à corpore iustorum animæ in Deo viuunt vitam
 naturæ & gratiæ, non omnes tamen in illo viuunt vitam glo-
 riæ, sed ille solùm, quæ nullo amplius poenæ, aut noxæ impe-
 dimento herent obstructæ. Habent tamen & eiusmodi quo-
 que animæ vitæ gloriæ in charitatis radice, & in certa spe. Sic-
 ut & iusti quoque in vitæ huius stadio adhuc decurrentes.
 Quauis hi non habeant eam certitudinem, quam in gratia
 defuncti, & per consequens in charitate confirmati. Hoc enim
 apertè sonat oraculum illud Christi: Qui credit in filium, ha-
 bet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transijt à
 morte ad vitam, hoc est, à peccato, quæ mors est animæ, ad
 gratiam, quæ vita est eiusdem. item: Vt omnis qui credit in
 ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. & illud: Qui
 manducat hunc panem, viuet in æternum. de quibus iam an-
 tè disputatum est. Nullius ergo momenti sunt, quæ ex Scri-
 pturis contra satisfactionem, quæ in altera vita præstatur, ad-
 ferunt.

Sed nec magni quoque ponderis sunt, quæ ad idem obti-
 nendum ex quibusdam Patribus depromunt. Allegant illud
 Cypriani: Quando istinc excessum fuerit, nullus iam poeni-
 tentiæ locus est, nullus Satisfactionis effectus. hîc vita, aut
 amittitur, aut tenetur; hîc salutis æternæ cultu Dei, & fructu fi-
 dei prouidetur &c. At constat ex tota illa epistola, Cypria-
 num aliud nihil eo loci instituisse, quàm Demetrianum homi-
 nem crudelem & ethnicum, vt qui contra fideles grauiter sæ-

Non omnia,
 quæ viuunt,
 eodè modo
 in Deo & per
 Deum viuunt.

Ioan. 4.

Ioan. 5.

Ioan. 6.

Epist. ad De-
 metria. Afri.
 proconf.

niebat, multa que falsa crimina impiè illis imponebat, ad seriã, veram, maturamq; poenitentiam inducere. Quò autem faciliùs persuadeat, inter cetera proponit, nullum ijs, qui impoenitentes semel hinc excefferunt, ad salutarem poenitentiam, aut ad vllam omnino fructuosam satisfactionem aditum pate-
re: id quod verissimum, & apud Catholicos omnes indubitatissimum est. Verba Cypriani sunt clara, ait enim: Hic vita, aut amittitur, aut tenetur.

Ad Gal. 5.

In eundem scopum collimat & alterum illud quoque, quod ex Hieronymo citant. Tempus, inquit ille, sementis, tempus præsens est, & vita quam currimus. In hac vita licet nobis seminare, quod volumus: cum ista vita transierit, operãdi tem-

Roan. 9.

pus auferetur. Vnde & Saluator ait: Operamini dum dies est. Veniet enim nox, quando iam nullus operari poterit. Planum est enim, serere ad vitã huius meritũ pertinere: Quandoquidẽ quod in hac vita fatum non est, hoc in altera vita serri nullo modo potest. Siquidem vnum hoc tempus est tempus serendi & fructuosè operandi, id quod idem Hieronymus alio quo-

Ad cap. 9. Eccl. 11.

dã loco clariùs exponit. Donec, inquit ibi, homines viuunt, possunt iusti fieri: post mortem verò nulla datur operis occasio. Videntes possunt metu mortis bona opera perpetrare, mortui verò nihil valẽt adijcere illi, quod secum tulerũt de vita. Nec iuste quippe possunt agere, nec virtutes adijcere, licet quidam huic expositioni contradicant, asserentes etiam post mortem exerescere nos posse. Hæc Hieronymus, qui non solum luculenta & manifesta expositione Catholicam veritatem confirmat, sed insanum quoq; Lutheri errorem disertè confutat. Asserebat enim ille, cum furere primũ coepisset, animas in purgatorio non esse securas: Nec vllis Scripturis probari posse, aut rationibus confirmari, illas extra merẽdi augendẽ ve-
charitatis statum existere.

Epist. 54. ad Macedo.

Allegant & illud Augustini quoque: Morum corrigendorum nullus alius quam in hac vita est locus. Nam post hanc vitam quisq; id sibi habebit, quod in hac sibi conquisiuit. & illud eiusdem:

eiusdem: In hoc seculo poenitentiam facientibus Dei misericordia subuenit, in futuro autem poenitentia non proficit: sed rationem operum nostrorum reddituri sumus. & illud item: In quo quẽque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies. Quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur. Sed hæc omnia, & si qua id genus sunt alia, vnum id probant, quod vniuersus orthodoxorum cœtus prædicat, & ipse quoque Augustinus diserta oratione alibi confirmat: nempe post hanc vitam, nec poenitentiam, nec peccatorum morum correctionem, nec status mutationem dari. Creduntur, ait is alio rursus loco, quibusdam etiam ijs, qui nomen Christi non relinquẽt, & eius lauacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea vllò schismate vel hæresi præciduntur, in quantilibet sceleribus viuant, quẽ nec diluant poenitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis vsq; ad huius vitæ vltimum diem pertinacissimè perseuerent, salui futuri per ignem: licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igni puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur.

Serm. 66. de Tempore.

Epist. 80. ad Hesy.

In Ench. c. 67.

Allegant tandem illud Ambrosij: Qui hinc non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam æternam non poterit peruenire: quia vita eterna remissio est peccatorum, ideoque dixit: Remitte mihi vt refrigerer, priusquam eam, & amplius non ero. Cui concinit illud Chrysostomi: Donec hinc fuerimus, spes habemus præclaras, simul atque verò decefferimus illuc, non est postea in nobis situm poenitere, neque commissa diluere. & infra: Nec putemus, cum illuc venerimus, misericordiam tribuendam esse, qui hinc nõ egimus, vt mereremur veniã accipere. Etsi Abraham pro nobis roget, etsi Noë, etsi Iob, etsi Daniel. Neq; enim, qui in præsentia vita peccata non abluerit, postea consolationem aliquam inuenturus est. In inferno enim, ait, quis confitebitur tibi? Cõcinit iisdem & illud Theophylacti quoque:

Lib. de bon. mor. c. 2.

Serm. de Lazaro.

Psal. 6. Ad cap. 25. Matth.

ddd 3 post

Post vitam hanc non est tempus pœnitendi & operandi, proinde Dominus dicit illis: Nescio vos. Hæc illi, quæ omnia ex instituto agunt de peccatis grauioribus in hac vita non relaxatis. Siquidem venialia à vita non excludunt, neque ad sceleratorum infernum demergunt, nec reconciliatoriam pœnitentiam deposcunt; vt quæ amicitiam diuinam non excludant, nec tollant, sicut nec temporalium quoq; pœnarū reatus. Quòd autem mortifera peccata non promereantur veniam post hæc vitam, quo ad noxam & pœnam æternam, decies iam antè repetitum & inculcatum est. Vnde maiorem iam modum mirandum est, cur eiusmodi authoritates voluerint allegare, quæ purgatorium nulla ex parte infirmant, confirmant autem non parum: Nam hoc ipso, quòd Patres illi affirmant grauiora peccata in altera vita non remitti, insinuant leuiora, & grauiorum quoque vestigia posse illic induci & aboleri.

Tertio ordine & loco causantur Scripturas nihil prodere, quòd cum purgatorio faciat; multa verò, quæ cum illius assertionem pugnant: At citra, vel contra Scripturarū authoritatem aliquem fidei articulum statuere velle, magnæ temeritatis, vel manifestæ potiùs impietatis esse. Quòd autem Scripturæ nihil ea de re prodant, eiusmodi diuinatione colligunt. Si Scripturæ, inquiunt, vel proximi Scripturarū authores, vt sunt Prophetæ, Apostoli, & Euangelistæ, aliquid certi de purgatorio traderent, id vtique illis in locis traderent, ibiq; patefacerent, vbi ex instituto de mortuorum cōditione & statu disputant: exempli causa, priori ad Theffalonicenses quarto, priori ad Corinthios quintodecimo; posteriori, ad eosdem Corinthios quarto, Romanorum octauo, & alibi non infrequenter.

5. Theff. 4. „ Sed illis in locis de purgatorio igne nihil tradunt. Nolumus, „ inquit Apostolus, vos ignorare fratres de dormientibus, vt nō „ contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim „ credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus „ eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Alia Scripturæ testi-

testimonia, quæ de mortuis agunt, nulla citant; sed quædam tantum capita, vnde peti hæc possint, obiter indicant. Cùm autem multa & varia sæpe in vno eodem Scripturarum capite contineantur, ne obijciant aliud allegatum, ac refutatam esse, quàm illi allegatum volebant, vel animo tanquam quòd allegaretur idoneum iam designauerant, vnum hunc locum, in quo magnam illi vim ponunt, interpretabimur. Sed priùs inanes illorum ampullas, vel meras veriùs eorundem nugas audiamus.

Si, ineptiùt quidam ex illis, præter cœlum empyreum, & infernum, altera adhuc in altera vita animarum sedes extat, quifit vt Apostolus, à Theffalonicensibus de mortuorum statu interrogatus, nullam eius rei mentionem fecerit? Cùm illos super dormientibus contristari noluit? An non ijs iusta ratione compatimur, qui diris cruciatibus quocunque in loco excrucientur? Cur credentium exitum appellat, ille suauem somnum, si post hanc vitā subeunt ignem purgatoriū? Cur promittit Deum illos, qui dormierant per Christum, adducturū in cœlū, & non veriùs interminatur præcipites se illos a cœlū in purgatorium? Quomodo, si aliud à cœlo iustorum est domicilium, Christus ait: Iterum veniam, & assumam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. nunquid Christus est in purgatorio? Quomodo tandem Apostolus nihil reliquit vtilium, sed omne consiliū Dei annunciauit illis, si hoc tanti momenti mysterium, quanti est purgatorium, reticuit? Forsan ignorauit? atqui in tertium cœlum raptus didicit arcana, quæ nō licet homini loqui. Cùm is ergo neque spontè, neque interrogatus quicquam omnino de purgatorio prodiderit, certum apud nos est nullum in rerum vniuersitate eiusmodi καλασθηριον extare. Istiusce nugas nugatores illi circa hunc locum profundentes, existimant se admodum argutè disputasse, atque adeò purgatorij fidē omnino expugnasse: sed toto cœlo aberrant. At quid ad argumenta?

Quid Apostolus, quid cæteri sacrorū voluminum Scriptores

res de purgatorio sentiant, id iam dudum antè expositū est perspicuè & fusè: neque vllum est opere precium isthęc nunc denuo in arenam protrahere, aut in quæstionē deuocare. Ad præsentem porrò locum quod attinet, ex nuda allegati cōtextus lectione planum est, Apostolum de mortuorum qualitate à nemine fuisse interrogatum; neque de illorum poenis, aut gaudijs post hanc vitam quicquam omnino in hanc, vel illam partem attigisse, nedum ex instituto definiuisse: Ex professō autem de carnis resurrectione verba hęc facere. De hac vna enim Thessalonicenses, aut non satis fuerant informati, aut certè per pseudodidascalos à veritatis tramite in errorem abducti. Proponit hęc autem de resurrectionis mysterio tria præcipuè. Agit nanque de primaria & secundaria illius causa, mox de eiusdem modo & ratione, postremò de tempore, verum hæc omnia succinctè & breuiter. Facit idem & priori ad Corinthios quoque, sed multò ibi prolixius & accuratius. Quia & Romanorū octauo, & posteriori ad Corinthios quarto nonnulla quoque hęc pertinentia obiter attingit. Qui, inquit, Iesum exuscitauit, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet nobiscum, rursum: Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortua corpora vestra.

2. Cor. 4.

Rom. 8.

Sed esto, inquit forsàn illi, locis hęc iam nunc citatis de carnis resurrectione solùm agatur, non de ijs quoque commodis vel incommodis, quæ ante communem carnis resurrectionem mortuis obueniunt: At potuit tamen Apostolus ea oblata occasione vel obiter saltem aliquid de purgatorio inferere. Poterat sanè & de cœlo quoque, & de inferno itidem, vt quæ multò maiorem cum carnis resurrectione affinitatem habeant, quàm purgatorium. Siquidem duo hæc loca post carnis resurrectionem iam tum plenum tandem, propriumq; sortientur vsum: nam vt corpora sunt, ita corporum quoque gratia præcipuè, instituta videri queant. quanquam & spirituum quoque causa sint instituta. Purgatorij autem post communem

munem carnis resurrectionem nullus amplius erit vsus. Verum nullius horum omnium mentionem fecit: quia præsens disputatio hoc nõ exigebat, sed solùm illorum institutionem, qui de carnis resurrectione minus rectè sentiebant.

At noluit illos super dormientibus contristari ais? Noluit sanè ita illos animo angere, vt illi solent, qui resurrectionis spem nullam habent: Quia eiusmodi tristitia apertum, planeque phanaticum errorem coniunctum habet, à quo errore, insanoque luctu, qui inde enascitur, Apostolus Thessalonicenses immunes esse voluit. Luctū autem absolutè sumptum, neque hoc loco, neque vllò alio vetuit. Sed luctum lamentatumq; oportuit, inferūt rursus illi, propter acerbissimos cruciatus, quos illi sustinēt. Sanè est cur iure illis cōdoeamus, qui purgatorij poenis exercentur: est rursus cur meritò iisdē congratulemur. Meritò illis congratulamur, quia ab omni salutis periculo liberi in portu iam nauigant. Sunt enim illi veri & electi Dei filij, à qua electione amplius excidere nõ possunt: At verò quantum donum & bonum sit electū esse, & in charitate firmatum esse, facile intelligunt illi, qui considerant, quàm pauci ex tam multis mortalium millibus ad æternę salutis brauium attingunt. Iure rursus illis compatimur, quia cœli aditu adhuc prohibentur, exoptatoquè præmio etiam nū destituti grauissimis poenis & cruciatibus afflicti. Verum quòd eiusmodi poenæ & moræ redimi queant, satius est vt secundum effectum illis compatiamur, quàm secundum affectum. quanuis & secundum hunc quoque compati illis deceat. Satius est, inquam, vt fideles pro illorum redemptione preces fundant, & alia suffragia studiosè illis procurent, quàm vt illorum causa inani luctu, vel fletu se macerent.

At cur, addunt, Apostolus mysterium hoc reticuit, cū ad tertium cœlum raptus neutiquam illud ignorarit? Iam antè ostensum est adeò illud non reticuisse, vt claris quoque & illustribus verbis exposuerit. Et vt nullū prorsus ea de re verbum apud illum extaret: sat adhuc esset alios sacros Scriptores

Est cur ijs, qui in purgatorio detinentur, compatiamur; est rursus cur illis congratulemur.

ccc

illud

Apostoli viua
voce multa
tradiderunt,
quæ literis
consignata
non sunt.

illud exposuisse, (Nec enim vnus omnia exposuit: sed alius aliud) vel viua quoque vocis oraculo illud ab illo vel alio Apostolo traditum esse. Nam & ipse, & cæteri quoque, Apostoli multa per sermonem tradiderunt, quæ literis consignata non sunt. Inter quæ, vt author est Chrysostomus, & alij post ipsum complures, illud quoque continetur, vt in tremendis mysterijs profun-
defunctis oretur. Adde his, cum non ijs solum, qui ex Iudeis ad fidem conuertebantur, persuasum esset, quasdam expiatorias poenas post hanc vitam superesse, sed multis quoque gentilibus: non fuisse magnum aliquod operæ precium, vt peculiarem aliquam tractationem ea de re institueret, per se enim ex maiorum traditione compertum illud habebant. Vnde ad communem carnis resurrectionem argumentum alicubi hinc petit.

Quod autem idem Apostolus hoc loco, & alibi quoque, iustorum mortem somnum appellat, non ea de causa id facit, vt purgatorij fidem abroget, aut infirmet, absit hoc: sed vt resurrectionis mysterium confirmet. Voluit enim significare, vt illi, qui naturali sopore correpti non æternum dormiunt, sed tantum ad tempus: ita qui in Christo moriuntur, mortuique in puluerem rediguntur, non æternum in puluere hæsurus, sed magna illa & horribili filij Dei tuba insonante omnes denuo euigilatos, perinde ac si nunquam fuissent mortui, sed alio quodam diuturnoque sopore pressi. Ex hoc autem mortis somno exuscitatos Deus per Iesum adducturus est non in purgatorium, vt nugabantur Aduersarij, sed in coelum. Siquidem post generalem carnis resurrectionem, nullum amplius supererit purgatorium.

Cum denique allegant Christi promissionem, qua Apostolis stipulatus est se denuo venturum, singulosque à carnis vinculis iam absolutos ad sese assumpturum: Christum autem non esse in purgatorio, sed in coelo &c. impudentiam suam egregie declarant. Nam etsi Apostolos, aliosque innumeros Sanctos sua gratia, suaque corporali quoque presentia interdum

visitet;

visitet; nec non hinc excedentes proximè citra vllum purgatorium ad sese transferat; quippe cum nihil, quod purgatione indigeat, reliquum in illis cõperiat: non est tamen necessarium, vt omnibus hoc beneficium præstet; quia non omnes, tametsi iusti, digni sunt, quibus præstetur. Mitto hinc, filium Dei sua virtute & gratia non solum in hoc mundo ad electos suos descendere, eosque ad sese assumere, verum etiã in purgatorio. Nam & inde quoque, vt fatentur omnes, & res ipsa clamat, ad illum assumuntur, & transferuntur; alioqui enim nihil differrent à damnatis. Quicquid ergo hæretici circa hunc Pauli locum, atque ad eum circa totum hoc membrum ad obsecrandum purgatorium commentantur: totum illud ineptum est, totum anile, & fatuum, totum dignum magis, quod cachinnum moueat, quam quod disputantem de solutione anxium reddat.

Quod autem Scripturæ ea passim exponant & proponant, quæ cum purgatorij fide ex diametro pugnant, id quarta argumentationum suarum serie eiusmodi ratione probant: Quicquid derogat copiosæ Christi satisfactioni, hoc Scriptura tanquam sibi aduersum condemnat: purgatorium copiosæ Christi satisfactioni plurimum derogat. Alij idem hoc argumentum instituunt hoc modo: Christus Redemptor noster plenè perfectusque; pro peccatis nostris satisfecit, (Nec enim ille est dimidiatus quispiam Redemptor, aut mediator, sed integer ac perfectus) ergo nulla opus est nostra satisfactione, ergo nullum est purgatorium: Siquidem purgatorium complectitur non vulgarem satisfactionis nostræ partem. dicitur enim, & publicè docetur id in purgatorio expleri, quod in mortali hac vita plenæ satisfactionis defuerat. Antecedens ex Scripturis est manifestum. Notum est enim illud Psalmistæ: Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. & illud Ioannis: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & illud Petri: Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus. Consequen-

Christus electos suos non solum in hoc mundo visitat, sed & in purgatorio.

» Psal. 129.

» Ioan. 1.

» 1. Pet. 2.

tia autem videtur euidens. Nam si ille copiosè nos redemit, si peccata mūdi sustulit, si languores doloresq; nostros in corpore suo portauit: nihil ergo reliquum est, quod nos portemus, aut agamus, aut patiamur. Satisfactio autē, siue hīc preſtetur, siue alibi, non præſtatur sine molestia & cruce.

Confirmant hanc argumentationem ex Symbolo, in quo traditur peccatorū remissio per Christum. Tum ex communi quoque omniū sensu atq; consensu, qui in Christum credunt: Omnibus enim persuasum est Christū Iesum nō aliquā debiti à nobis cōtracti partē, sed totū integrè dependisse. Tum rursum ex Græcorū fide, qui purgatoriū ignem per Christi sanguinem extinctū esse aiunt. Tum ex absurdis denique, quæ ex purgatorij assertionem consequuntur. Sequeretur hinc enim, vt isti suo more argutè colligunt, plus posse ignē, quàm Christi sanguinē; plus nostra opera, quàm dira eiusdē Christi supplicia, aut immensam Dei Opt. Max. misericordiā, eiusdēve potentiā: Deū bis punire in idipsum; semel in hoc mundo, qui plenus est crucibus, & iterum in purgatorio: Opera externa, quæ sunt res quædam materiales, ad animā, quæ spiritus est, posse penetrare: Scripturas, dum nos mundos, & sanctos, & sanctificatos pronunciat, improprie loqui, & alia id genus nō pauca. Addunt his quidam, quod & in tertio quoq; membro tangebatur, audax facinus esse, inducere aliquem cultum, quē Scripturæ non probant. Hæc sunt præcipua, quæ in cumulata Christi satisfactione fundant, ac contra purgatorium allegant: quæ omnia, & plura alia his cognata, iam discussa, & diluta sunt in superiori volumine. Sunt enim duo hæc argumenta inter se vsq; aded in plerisque connexa, vt à se diuelli nō queant. Quicquid enim probat nostrā satisfactionem, vel eādē infirmat, hoc ipsum quoque probat, vel infirmat purgatorium. Verū quia eadem ab Antagonistis utrobique obiectantur, cogimur utrobique respondere: fiet id tamen hoc loco breuissimè.

Et primò quidem libenter fatemur Christū Dominū nostrū
copi-

copiosè fecisse satis: at negamus hominem post amissam semel Baptismi gratiam citra poenam in integrū restitui posse. Impossibile est enim eum, qui in peccatū prolapsus est, citra poenitentiam ad pristinum gradum denuo assurgere. Poenitentia autem, si vera est, non solum internum doloris sensum includit, hoc est, peccati odium, eiusdēque detestationem, & hoc quidem essentialiter; sed sacramentalis quoque exomologeseos votum, & certū nihilominus satisfactionis propositum. Vult enim Deus peccatum, & poenam æternam, quam iuste illud promerebatur, ita nobis condonare, vt tamen membra, quæ seruierant iniustitiæ & iniquitati, vertamus in vsum iustitiæ & sanctitatis; illudque instauremus per studium pietatis, quod euerteramus per vitium preuaricationis. Non, quod sine illis seruare nos non posset, si absolutè veller: sed quod sapienter, salutique nostræ conuenienter summam illam ingratitude, qua Spiritum sanctum contristantes Baptismi gratiam spontè abiicimus, noluerit esse impunem; quodque merendi probeq; agendi occasionem nobis voluerit subministrare.

Hæc autem absoluta Dei voluntas, qua post lapsū nō nudam tantum fidē à peccatore exigit, sed spem quoque, & charitatem, & præceptorum obseruationem, & alia præterea, quæ vel in his continētur, vel ad hoc reducuntur, plenam illā Christi satisfactionem nulla ex parte infirmat, aut obſcurat. Crux enim Christi per se solum, cæteris omnibus seclusis, non operatur. Verū vt efficax, & operosa existat, eius virtus nobis applicetur, oportet. Applicatur autem per Sacramenta, per viam & actuosam fidem, per poenitentiam, easque partes, quas illa in se cōplectitur, per præsentis denique, & in partem quoque futuræ vitæ cruces, & tribulationes: Siquidem omnia hæc sanguine filij tacta, & quodam modo animata concipiunt vim expiandi, quam ex se alioqui non habent, nec habere possunt.

Maiorem sanè in modum mirandum est homines illos Ca-

Vera poenitentia intrinsecè internū doloris sensum includit.

Varijs modis & medijs applicatur nobis virtus perfectionis Christi.

tholicos scriptores ob id traducere, quasi qui ex integro dimidiatum Redemptorem efficiant, quod operibus ex diuino Spiritu natis cum merendi, tum satisfaciendi quoque virtutem tribuant: cum illi ipsi in idem omnino incommodum, si quod ramentum illud esse dicere fas est, aperte incidant. Fatentur enim æquè ac nos, publiceque concionantur, gentes & infideles, nisi baptizentur, saluas fieri non posse: Christianos verò, post susceptum semel Baptisma in peccatū relapsos, ad vitā, quam amiserant, citra seriam poenitentiam assurgere nequiquam valere. Docent præterea, fidem vsque ad eam ad salutem esse necessariam, vt ne infantibus quidem sine vera fide, imò verò sine formali fidei actu, salutem promittere audeant. Si ergo credere, (requirunt enim illi formalem fidei actum ab omnibus salutem potituris) si poenitere, si amare, si sperare, quæ omnia illorum sententia ad iustificationē sunt necessaria, Christi meritum, eiusdemque satisfactionem non diuidunt, hoc est, si opera hæc interna ad salutem necessaria non efficiunt, quò minus Christus dicatur & sit integer & perfectus Seruator: quomodo non erit etiā integer Redemptor vel mediator, si dicamus non solum opera illa interna ad salutem esse necessaria, sed externa quoque his cognata, quæ quidem, si modò operandi occasio adsit, lege ordinaria ex illis profluere, & dimanare solita sunt?

Dicent forsitan isthæc quidem omnia ad salutem esse necessaria, nec ob id tamen, aut meritoria esse, aut poenæ expiatoria. Sed sanè mirum est, isthæc si interuertantur, vel omittantur, æternæ damnationis verè proprieque meritoria esse, (Certum est enim, qui non credunt, aut non sperant, aut non amant, aut peccatum non detestantur, quando credendum, aut sperandum, aut amandum, aut peccatum detestandum est, lethaliter peccare, æternæque mortis reatum sibi asciscere: multò verò magis, si discredunt, aut desperant, aut odio Deum habent, aut peccatum amant) & non esse vitæ æternæ meritoria, poenarumque temporalium expiatoria, si

rectè,

rectè, quando oportet, & quantum oportet, & vbi oportet, fiant. Si enim Deus prauum opus æterna morte plectit, cur non etiam bonum opus æterna mercede compenset? nunquid is studiosius punit sceleratos, quàm præmio afficit optimè meritos? Sed non est hîc de merito disputandi locus; excutiamus paucis authoritates & rationes, quas contra obijciunt.

Allegant igitur: Ampla apud Deum misericordia existit, & copiosa redemptio? Existit sanè, sed ea interim redemptio non solum in infidelibus, verùm in multis quoque fidelibus manet otiosa, & inefficax. Cur ita? Quia eo modo, via, & ratione, qua oportuit, non applicatur: vel certè, quia cætera, quæ præter illam deposcuntur, non adsunt. Meritum enim Christi per se citra medium non operatur: alioqui enim omnes homines salui fierent, & omnes, qui salui fierent, æqualem gloriam consequerentur, quod falsum, & à ratione prorsus alienum est. Quia ergo media isthæc varia sunt, diuersisque, & per diuersos adhibentur, fit vt in alijs multum operetur, in alijs modicum, in quibusdam quoque nihil penitus. Pari modo Agnus ille immaculatus abstulit peccata mundi, quod in se est, non tamen simpliciter, cæteris omnibus exclusis, vt modò ostensum est: Nam aliàs omnes essent sancti, & nulli omnino peccatores.

Sic quoque nostros ille languores tulit, non solum spirituales, verùm etiam corporales, ad quos hunc locum refert Euangelista Matthæus: non quòd inuitos & repugnantes per se sanet, aut sanarit aliquando, sed quia potentem medicinam sua morte & sanguine præparauit. Quæ proinde medicina si per vasa Sacramentalia, & alia eiusmodi media nobis non infundatur, & communicetur, in languoribus & infirmitatibus, quibus tenemur, tabescamus, & sordescamus, & tandem emoriamur oportet. Sicut illos etiam, quos secundum exteriorem hominem sanauit, non sanauit inuitos, nec sine medijs vt plurimum; sed credentes, sed accedentes,

Meritū Christi non operatur citra medium.

dentis, sed petentes, sed medijs, quæ ille præscribebat, vten-
tes.

Sic tandem peccata nostra pertulit super lignum, affigendo illa cruci, non ea delendo, vel inducendo simpliciter: nam si omnia re ipsa essent deleta, nemo cū peccato nasceretur, aut moreretur: sed tela, quibus ea conficiamus, subministrando; vel spongiam, qua ea deleamus, porrigēdo. Nam si omnia absolute essent extincta, & in profundum pelagus demersa, non deposceret à nobis, vt ipsi peccato moreremur, iustitiæque viueremus, id quod serio à nobis hîc exigitur, ait enim: Pertulit peccata nostra super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus. At quid est aliud peccatis mori, quàm ea deserere ac detestari, eorumque radices & occasiones excindere, & euitare? Quid porro iustitiæ viuere, quàm membra, quæ mundo, quæ carni, quæ diabolo seruiuerant, in Dei obsequium, & proximi seruitium vertere? Simul igitur consistunt, Christum numerosè fecisse satis, aut peccata nostra sustulisse, vel languores nostros deportasse, & tamen Deum Opt. Max. quædam adhuc alia ex parte nostra deposcere. Vt ergo non sequitur, Christus plenè satisfecit, ergo non est opus fide, aut spe, aut charitate, aut poenitentia, aut Baptismo, aut alio Sacramento: ita etiam non rectè inferitur, Cumulate satisfecit, ergo non est opus vlla omnino nostra satisfactione.

Quæ ergo ad argumentationis confirmationem adferbantur, ea nihil turbare nos debent. Siquidem peccatorum remissionem agnoscunt Catholici omnes, & quidem longè perfectiorem, & consummatiores, quàm heretici. Credūt enim, quotquot Christiano nomine censentur, & in Christiana religione Christianè instituti sunt, peccata per Christum, & propter Christū, non solū radi, vel tegi, ne imputetur, sed omnino tolli, & eradi: ijs tamen id legibus, cōditionibus, & medijs, quorum, quarumque paulò antè meminimus. Quid porro Patres Græci de purgatorio sentiāt, illud ex ijs testimonijs, & auctoritatibus, quas suprā ex illustriorum Patrum Græcorū monumentis

numētis attulimus, & suo postea loco adhuc adferemus, neutiquā obscurum est. Quod si qui filij spurij à Maiorum suorum fide degenerant, horum nos leuitas mouere non debet, maximè verò cū in Concilio Florētino disertis verbis declararint, nullū sibi cū Latinis certamen esse de re ipsa, sed tantūmodo de modo rei. Nos, inquit ibi, purgatorium non ignē, sed obscurum quendam ac laborum plenum locū esse censemus, in quo quidem existentes animæ lumine diuino priuantur, donec adiuuante Ecclesia expientur, & liberentur. Sic ergo sentimus de purgatorio. Hæc Græci, quorum sententiam Patriarcha illorum moribundus proprio chirographo confirmauit. Et vt Græci præsertim moderni ad vnum omnes huic articulo reclamarent, nullum id tamen purgatorio præiudicium crearet. Neque enim à Græcis toties iam fidei naufragium passis, & multis sepe errorum fluctibus agitatis, fidei regula petēda est; sed ab ea Ecclesia, quam nunquam hætenus in vera religione errasse, aut secūs quàm oportuit sensisse manifestum est.

Græci nō semel fidei naufragiū passi.

Quod attinet ad absurda, quæ Antagonistæ ex purgatorii assertionem colligunt, ea nullo prorsus fundamento nituntur. Quis enim admittat eiusmodi argumentationem: Ignis purgatorius, vt diuinæ iustitiæ instrumentum existit, peccatorum reliquias expiat, ergo plus potest, quàm Christi sanguis? Constat enim ignem, vt tantū ignis est, nullam omnino expiandivim habere. Nam si ignis, vt ignis, expiaret, plurimum ea in re tartareus ignis posset, vt qui maximè ardeat & puniat. Quicquid ergo in hoc genere potest, hoc totum potest, vt Dei, vel sanguinis Christi instrumentum est. Sic quoque licet iustorum opera, crucesque, & molestiæ, quas in hac vita sustinent, sint meritoria, ac satisfactoria: nō plus tamen valēt, quàm Christi supplicia. Nam quicquid, aut nostra opera, aut nostræ cruce hîc possunt, hoc totum per Christi supplicia, & merita possunt. Vt ergo nullam iniuriam irrogāt Christi perpeffioni, aut diuinæ misericordiæ, qui aliquid tribuunt fidei, orationi, elemosynæ; nec vllā rursus diuinæ potētis; qui in naturalium re-

Ignis, vt tantum ignis est, animas non purgat.

rum productione synergiam largiuntur creaturæ: ita nulla quoque ex parte in hanc vel illam iniurij existunt, qui purgatorio igni vim aliquam tribuunt. Quauis ea vis non tam existat in igne, qui purgat, quàm in iusto, qui purgatur: nam hoc ipso, quòd is diuina gratia ornatus est, qui per quodcunq; elementum, vel mixtum purgari queat, idoneus effectus est. Nam scelerati in eodẽ illo igne positi, non magis expiantur, quàm nunc expiantur in inferno; & vice versa iusti in inferiori inferorum parte collocati æquè expiantur, ac iam in purgatorio, & fortassis citius.

Nec sequitur hinc rursus electos bis puniri: Quandoquidẽ non omnes electi transeunt per ignem purgatorium, sed illi solum, qui hinc pro peccatorum suorum ratione, non quantum sat erat, poenarum dependerant. Et quauis presens hæc vita multas secum misérias & cruces adferat, non omnes tamẽ rectè his vtuntur: nec omnes fructũ, quem debebant, aut quantum debebant, hinc capiunt. Quidam quoque, qui propter peccata sua maximas promerebantur, exiguas & penè nullas in hac vita experiuntur, & tamẽ salui fiunt. Necessariũ est ergo, vt alibi puniatur: alioqui enim paria pmeritis redderetur imparia.

Porrò autem an, & quo modo res materiales & corporatæ in spiritum agant, hoc capite proximo exponetur ex instituto: impræsentiarum sat sit, Deum per quamlibet rem creatam cuiuslibet rei creatæ benè ac malè facere posse. Nec hoc in dubiũ vocare licet, nisi Sacramentis vim oẽm abrogare velimus. Constat enim hæc rebus materialibus perfici, & tamẽ per corporis contactũ ad animã vsq; penetrare. Sed neq; Scriptura hinc citata iustos absolutè mũdos & sanctos pronunciat, sed per lauacrum regenerationis mũdatos & sanctificatos, & hoc rectè: Scimus enim per regenerationis lauacrum oẽm poenã & culpã abluì: At non omnes retinent illam puritatẽ, quam in Baptismo acceperant, sed multi varijs sepe vitijs, ac sceleribus eam contaminant. Quin & frustra quoque Sectarij hunc locum cõtra nos vrgent, vt qui hominẽ propter concupiscentiẽ malũ semper

Dens quiduis
in hominis
commodum
vel in eodẽ
modum conuer-
tere potest.

per immundũ, semper iniustum, semper peccatorẽ proclamẽt.

Cũ tandẽ obijciunt magnẽ temeritatis esse nouũ aliquod dogma, vel nouum aliquẽ cultum sine expresso Dei verbo in Ecclesiã inducere, magni aliquid hiare videntur, sed reuera nihil tanto hiatu dignũ in mediũ proferunt: Nam etsi magnẽ temeritatis sit aliquẽ cultũ, vel aliquod dogma cõtra expressum Dei verbum in Ecclesiã inducere, nõ est tamen temerarium absq; expresso Dei verbo id facere. In cõfesso est enim Catholicam Ecclesiã nõ solum multa facere, publiceq; obseruare, de quibus Scripturæ expressè nihil cauẽt; sed nõnulla quoq; credere, quæ in Scripturis expressis verbis tradita nõ extãt. Exempla assertionis huius alibi allata sunt multa satis, quæ hinc repetere non attinet. Quàm multæ, bone Deus, occultæ veritates Ecclesiæ nondũ sunt patefactæ, nec vnquã fortassis patefient, quæ tamẽ eandem credulitatẽ, eandemq; fidem à nobis exigent, si patefierẽt, atq; ille, quæ iam per claras Scripturas Christiano orbi patefactæ sunt? Insanire est ergo cũ ratione, asserere id tantũ admittendum esse, quod Scripturæ probãt, vt quæ neq; seipsas quoq; per seipsas probare queãt, sed vt publicam fidem obtineant, Ecclesiæ autoritate & patrocinio indigent.

Ecclesiã multa obseruat, & quædam quæ credit, de quibus Scripturæ expressè nihil cauẽt.

Quin & posito quoq; non id solum, quod cõtra Scripturas asseritur, auersandũ esse, sed etiam, quod præter easdem traditur, adhuc in hac controuersia causam nõ obtinerẽt. Fusè nãque iam antè & clarè ostẽsum est, quod purgatorij nomine accipiunt Catholici, id in sacris literis liquidò traditum extare. Sunt, qui istuc, tametsi verũ, ob id nõ expressè per Scripturas expositũ asserãt, ne lubrici homines dignos poenitentiæ fructus ad vltimũ vsq; vitæ spatium differrẽt, stultè apud se cogitãtes, quod hinc negligitur, id facili negotio in purgatorio posse corrigi. Sed hæc ratio nulla est: Nam idẽ ex sola Ecclesiæ traditione, solenniq; eiusdẽ celebratione cõcipere poterãt: nam si, qui hæc fingunt, verè Catholici sunt, eandem fidem habebunt Ecclesiæ, quam Scripturæ, vt quæ sit columna & firmamentũ ve-

1. Tim. 3.

Quæ quoti-
diano vsu in Ec-
clesia terun-
tur, ea mino-
ri indigent
Scripturarum
authoritate.

generatim de quavis alia, ea dogmata, quæ quotidiano vsu & praxi in Ecclesia Dei teruntur & solennizantur, non egere tanta expressione, quantum illa poscunt, quæ in nuda ferè speculatione posita sunt: purgatorium autè perpetuo Ecclesiæ vsu solennizari & cõfirmari. Ecclesia enim quotidie pro defunctis orat, & celebrat, & alia eiusmodi præsidia illis administrat. Atque ita constat, quæ ex plenitudine satisfactionis Christi cõtra purgatorij assertionem colligunt Aduersarij, nullarum virium esse; imò verò maiorem in partem friuola & frigida esse,

Quia verò miserilli, vereq; miserabiles, omni veritatis præsidio sese destitutos animaduertunt, (nec enim vllam referre possunt Scripturam, quæ purgatorium neget, nec vllū omnino Patrem, nisi forsan Aërium, aut Petrum de Bruis, aut Ioan. VViclefsum, vel aliquem aliū ex infami illo grege procreatū, qui hinc cum illis consentiat, nec vllam denique rationem, quæ illorum κακοδοξίαν probet) ad vltimum asylum fugiunt, nempe ad hoc, vt Scripturas, Patrumq; authoritates, & Scholæ argumentationes, quibus Catholici scriptores purgatorium constituunt, a vera ac germana sententia ad aliam non verā & nõ germanam sinistra interpretatione transferant, atque ita clarè luci nonnullas tenebras offundant. Sed quia pleraque omnia, quæ cõtra Scripturas & Patres & rationes purgatorij fidem cõstituentes obijciunt, ridicula, maioremq; in partem iam antè diluta sunt, breuiter hanc partem absoluemus. Neq; enim immorandum est singulis prolixè, sed aliquid etiam lectoris iudicio cognoscendum, ac dijudicandum relinquere oportet.

Et primò quidem quicquid illi cõtra Machabæorum locum allegant, hoc totum iam antè refutatū est dilucidè. Nisi forsan hoc refutandum sit, quod quidā hinc obijcit: nempe Iudam nõ obrulisse Missaticum sacrificiū, aut pontificium, sed Leuiticū: Rursum, idem esse pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur, quod declarare à peccatis absolutos iam esse: Tandem, nullam hinc mentionē fieri ignis purgatorij, aut culmarij, (sic enim illi loquuntur) sed tantū resurrectionis & absolutiõis à peccatis.

Sed

Sectarij scur-
ras agunt ve-
rius, quàm
graues The-
ologos.

Sed hæc eiusmodi sunt, cuiusmodi fontes vnde profluunt, hoc est, inepta & scurrilia. Non enim hinc quæritur quid oblatū sit, sed quòd oblatum sit: neque quantum oblatum sit, sed quo fine oblatum sit. Nec hinc docetur defunctos illos à peccatis fuisse absolutos, aut Iudā sua oratione declarasse absolutos esse: sed vnà cum cæteris orasse Deū vt absoluerentur. Ad postremum suprā iam respõsum est, & ipse nodus, si hoc tamen nomine dignus est, suum secum cuneum adfert. Si enim hinc agitur de absoluteione à peccatis, ergo illorum opinione à peccatorum vinculo necdum erant absoluti, sed liberari inde poterant: ergo non erant in inferno, aut patrum limbo, sed in purgatorio.

Locum Apostoli quidam ex Brentiano grege, vbi prolixè, ^{1. Cor. 3.} nugatus est, sic tãdem interpretatur. Paulus, inquit, ministrorum in Ecclesia filij Dei officium hinc describit, & quodnam illud sit similitudine ab agricultura & ædium structura sumpta declarat. Significat autè, licet non omnes auditores, de quibus doctor spem conceperat, salutem cõsequantur, ipsum tamen saluari, sic tamen quasi per ignem: quia nimirum excruciat, quòd opera & industria sua perierit, quæ crux est quasi ignis. En bellam interpretationem tãto magistro dignam. Neque enim aliud ineptius effutire potuisset, etiam si studio ac meditatio ineptire voluisset. Siquidem officium suum sedulo facere; propter auditorum negligentiam, vel interitum animo angere, & suspirare; non est lignum, foenum, aut stipulam colligere, sed aurum, argentum, ac lapides preciosos exædificare. Est enim illustre charitatis opus, diligenter docere, & de exiguo auditorū fructu animo discrucari. Mitto hinc ignem, per quem saluantur, qui lignum, foenum, ac stipulam ædificauerant, ignem, qui vniuscuiusq; opus probabit, hoc est, exactū Dei iudicium, consequi: dolor autem, qui ex auditorū ignavia capitur, iudicium tam priuatum singulorum, quàm vniuersale omnium antegreditur. Alius ex eodem illo marcido grege addit: Si ignis, de quo Paulus hinc loquitur, ad purgato-

fff 3 rium

rium pertineret, omnes purgatorium ignem transirent. Sed hic æquè insulsè ac pueriliter nugatur, ac alter ille. Apostolus nanque disertis verbis exponit, non omnes hunc ignem transmittere, sed eos tantùm qui lignum, foenum, & stipulam ædificant. Verum est tamen, omnes & singulos ignem illum, qui vniuscuiusque opus probat, degustare. Contra alia Scripturarum loca nihil obijciunt, siue quòd nihil, quod contra obijciant, habeant; siue etiam, quòd cæteris minùs, quàm duobus hisce, premi se putant.

Ad Patres quod attinet, fatètur iam inde ab initio, hoc est, ab Apostolorum ætate, crebram oblationum, commemorationum, precumque funebrium mentionem facere: negant tamen ideo sine, eoque consilio & mente ab ipsis factum esse, quo nunc fit à Monachis in Ecclesia Romanensium. Verùm, quòd ineptum sit fateri idem factum esse semper, non tamen eodem consilio & sine, (Siquidem externi operis identitas interni operis identitatem arguit) quidam ex illis ab hac sententia resiliunt, libereque idem externum & internũ opus semper exhibitum esse concedunt, neque sic tamen purgatorium admittunt. Aiunt enim in Ecclesia Dei nõ id amplectendum esse, quod tot Concilia, tot Pontifices, tot tantæ autoritatis viri, tot numero Theologi tanto temporis tractu senserunt aut docuerunt: sed id solum, quod Scripturæ sacræ profitentur: has autem purgatorium non agnoscere, nec vllam illius rationem habere. Ast vtrunque falsum esse, iam antè ostensum est prolixè. Nam & Scripturæ clarè id produnt, quod Catholici de purgatorio credunt: & vt altum de purgatorio silentium hîc esset, adhuc sola Ecclesiæ autoritas orbis consensu confirmata non ad hoc solũ, sed ad quiduis aliud quoque, persuadendum abundè fat. esset. Et hæc illi de Patrum, Conciliorum, atque Pontificum autoritate in genere.

In specie autem cauillantur Concilium Toletanum tertium non Missæ, sed tantùm psalmodiæ meminisse. Concilium Lateranensè sacerdotum auaritiam propter exequias, cæteraque

Sola Ecclesiæ
autoritas
fat est ad
quoduis do-
gma consti-
tuendum.


raque funeralia officia insimulare. Liturgiã Apostoli Iacobii omnium iustorum memoriam promiscuè recolere: ergo vel omnes, vel nullos in purgatorio esse. Origenem & Tertullianum suos quoque nauos habuisse: atque ideo, qui in testes admittantur, indignos videri. Athanasium monere quidem cereos & lampades ad mortuorum sepulchra accendendas esse, sed nulla interim Scripturæ autoritate probare rectè id fieri: in Ecclesia autem Dei non habere locũ illud Pythagoræ *ἄυρός, ἔραυ*. Basilium in sua liturgia pro ijs preces fundere, qui apud inferos detinentur, hinc autè nullam liberationẽ contingere. Dionysium precum meminisse funebrium, purgatorij nequaquam. Chrysostomum purgatorium modò negare, modò affirmare. Damascenum multas ridiculas historias Ecclesiæ doctore indignas narrare. Epiphanium purgatorium nulla Scriptura, sed Maiorum tantùm traditione probare. Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, postquam semel hinc excessum est, nullum ampliùs pœnitentiæ locum esse docere. Lutherum tandem purgatorium agnouisse & docuisse, sed id ante plenam Spiritus sancti illuminationem. Hæ sunt exceptiones, quæ Patrum autoritati opponunt. Verùm ad vnam omnes vsq; ad eò ridiculæ ac insulsæ, vt retulisse solùm abundè sit refutasse.

Contra rationes, quæ ex Schola petuntur, similia effutiunt: puta rationem esse cæcam, brutam, planeque indignam, quæ in rebus sacris discernendis, aut dijudicandis adhibeatur: populorum cõsensum nullum esse, vt qui in apertum errorem sæpe conspirent. Purgatorium ex Platonis monumētis primò natum, postea nocturnis spectris, dæmonumque illusionibus firmatum & propagatum esse. Hæc illi de humanis rationibus, purgatorijque origine, & propagatione, quæ omnia vsq; ad eò sunt inepta & leuia, vt mirum sit vel vnum iudicio vtentem potuisse permouere. Qualis enim est ea consecutio: Concilium Toletanum non meminit Missæ, sed tantùm psalmodiæ,
ergo

ergo non est purgatorium. quasi verò vnum Conciliū omnium suffragiorum meminisse oporteat? & hæc item: Conciliū Lateranense notat eos, qui exequiarum causa precium exigebant, ergo reprehendit exequias, ergo non est purgatorium. & hæc rursus: D. Iacobus pro omnibus iustis vita defunctis commemorationem vult fieri, ergo vel omnes sunt in purgatorio, vel nullus: non omnes, ergo nullus, ergo nullū est purgatorium. & hæc tandem: (tædet enim reliquas repetere) Origenes & Tertullianus in quibusdam errarūt, ergo in purgatorij confirmationem allegari non possunt. Quæ ergo Sæctis additi contra purgatorium obijciunt, ea illud aded non infirmant, vt multum quoque confirment. Siquidem ipsa argumentorum infirmitate & absurditate, se omni veritatis fundamento destitutos esse, palpabiliter ostendunt. Et hæc de præcipua controuersie huius parte hæctenus disputata sint.

*Purgatorij pœnas grauiſſimas esse, nec ob id tamen, aut meritum au-
gere, aut qualitercunque auctas salutis spem adimere.*

CAPVT DVODECIMVM.



Onstituto purgatorio, ijsque dilutis ac reſutatis, quæ Antagoniſtæ aduerſus illud obiectare ſolent, proximum eſt vt de illius qualitate, pœnarumque, quæ in eo deſeuiunt, quantitate nonnulla quoque proponamus. Nam præterquam quòd tractatio iſthæc ad præſens hoc argumentum omnino pertineat, efficiet quoque vt ij, qui leuia peccata minùs curant, ſeriamque pœnitentiam de die in diem malè prorogant, pœnarum metu exterriti, cau-ùs incedant, ſuæque ſaluti rectiùs conſulant. Neque enim raro audire quosdam contigit, qui dicerent tum demum frugi ſeſe futuros, priorisque vitæ maculas per pœnitentiæ fructus abolituros, cum conſenuiſſent: Quòd ſi iuſtum tempus, quò id præſtarent, tunc fortè deſieret, in purgatorio, quòd hic negle-

neglectum fuerat, expleturos. Eiuſmodi autem cogitationes, vt ſunt ſultæ, ita humane quoque ſaluti ſunt longè exitioſiſſime, vt quæ authores ſuos rectà abducant non ad purgatorium, vt iſti vanè opinantur, ſed ad ignem illum inextinguibilem, vermemque conſcientiæ immortalẽ.

In purgatorio autem (vt & in inferno quoque) duplex ex-
cruciat pœna, damni vna, ſenſus altera. Pœna damni, eſt be-
atitudinis priuatio, ex culpa proueniens. Simplex nanque; cu-
iuſque boni abſentia, nec damni, nec pœnæ quoque; appellati-
onem promeretur. Quamobrem ſi qui nulli omnino culpæ
obnoxij, nec vllò rursus gratiæ lumine perſuſi, vita hac exce-
derent, (id quòd nunquam factum eſt, neque futurum eſt vn-
quam) nulla illi, aut damni, aut ſenſus pœna multarẽtur. Non
pœna ſenſili, quia nullo ſcelere tenerentur conſtricti: nec pœ-
na rursus damni, quia nullius boni, quòd aliquando obti-
niſſent, aut ad quòd ius aliquòd quandoque habuiſſent, vel
ſua, vel alterius culpa iacturam feciſſent. Damni itaque pœ-
na ponit debitum, & meritum: quòd ſi alterutrum horù de-
fuerit, nunquam conſtituetur iſtiuscemodi pœna.

Pœna damni eſt bipertita: vna eſt & dicitur temporaria, al-
tera æterna. Temporaria plectuntur, qui ad præſiniti tempo-
ris ſpatium exercentur in purgatorio. Aeterna verò, cum im-
pij & ſclerati omnes ſempiterni ignis flammis perpetuò ad-
dicti; tum paruuli quoque ante rationis uſuram & fidem ſuſce-
ptam extincti. Nam & in illis quoque, propter primæuæ iuſti-
tiæ donum amiſſum, & peccatum nihilominus illorù animis
infixū, vera ac propria debiti ratio comperitur. Veruntamen
magnum inter hos & illos diſcrimen intercedit. Quandoqui-
dem paruuli illi, ſiue quòd beatitudinis iacturam, & originis
maculam ignorent; (neutrum enim horù citra fidei lumen,
quòd nullum vnquam in illis fuit, cognosci poteſt) ſiue quòd
præpoſtera voluntate id, quò ſe potiri non poſſe intelligunt,
temere nõ affectent; ſiue quòd vi quadam occulta & ſuper-
naturali omnis ab eorum animis ægritudo arceatur, damnū

g g g illud

Aequè perni-
cioſum ac
ſultū eſt, ſpe
purgatorij
peccare, aut
morū emen-
dationè pro-
rogare.

Plures in
purgatorio
deſeuiſſent pœ-
næ.

Ad dāni pœ-
nam cōſtitu-
endam duo
depoſcuntur.

Duplex pœ-
na damni fa-
uit apud infe-
ros.

Orig. pecca-
tum citra fi-
dei lumen
cognosci non
poteſt.

Non eadem
est dāni pœ-
na in omni-
bus.

illud leuissimè ferūt. At verò adulti, qui proprio scelere eter-
næ felicitatis bonum amiserunt, incredibilem ex illa amissio-
ne animi cruciatum concipiunt. Quauis interim non parem
omnes, sed alij alijs maiorem, prout alij alijs pluribus maiori-
busve flagitijs contaminati sunt.

Quantitas
gloriæ ex
æquo respon-
det magnitu-
dini merito-
rum.

At hoc interim non est damni pœnam ex intrinseca damni
ratione affirmare, sed ex causa, ex qua illa pœna dimanat; vel
certè ex effectis, quæ illud damnum ex se progenerat. Nam si
damnum illud spectemus, vt tantum damnum, hoc est, vt bo-
ni vel commodi, quod, nisi peccatū obstitisset, certò obu-
enturum erat, priuatio est: maiorem citra vllam controuersiam
damni pœnam sustinent illi, qui plurium maiorumque, dum
in viuis adhuc agerent, meritorum extiterant, crimine tamen
quopiam prius mortificatorum, quàm ad vitæ catastropham
peruenissent: gloria enim ad amissim commensuratur meri-
tis. Quapropter si diuus Ioannes Baptista sub vitæ finem gra-
tia excidisset, longè is maiorem bonorū fecisset iacturam, &
per consequens longè grādiorem pertulisset damni pœnam,
quàm infelix Domini sui proditor Iudas. Et Iudas rursus ma-
iorem fecit, quàm multi alij ipso fortè multò nequiores: Erat
enim ille ad maiorem perfectionis gradum, puta ad Apostola-
tus culmen vocatus, maioriq̄, si perstitisset, gloria potitu-
rus. Pari modo si, vt nonnulli non improbabiler existimant,
auctior in Baptismo confertur gratia, quàm olim confereba-
tur in circumcisione, aut alio quopiam legali sacrificio, Chri-
stianorum infantes ante susceptum Baptismi Sacramentum
extincti maiorem luunt damni pœnam, hoc est, maioris bo-
ni faciunt iacturam, quàm Iudæorum vel Gentilium paruuli
ante expiatum originis peccatum emortui: vt qui propter
cumulatiore gratiā, quam ex Baptismi fonte hausturi erāt, cu-
mulatiorem quoque accepturi erant gloriam.

Quòd si ex materiali beatitudinis obiecto rem hanc defi-
nire velimus: nullum, cuiuscunque demum ordinis, conditi-
onis ve extiterit, maiori altero damno multatum comperie-
mus

mus. Quandoquidem nullus sceleratorum omnium magis
altero, aut Deum Opt. Max. coram videt, aut videbit aliquan-
do, aut cœleste regnum possidet, possidebit ve vnquā. Omnes
enim ex æquo, & extra cœlum, & suo quoq; modo extra De-
um, vnà cum diabolis perpetua inferni tormenta expendūt,
expendentq̄e semper: Non ea solū, quæ ex tātū huius bo-
ni propria incuria & noxa amissi priuatione sua quasi spon-
te tanquam ex perenni quodam fonte in omne æuum dima-
nabunt; sed ea etiam, quæ per ignē, & alia diuinæ iustitiæ in-
strumenta, sine vlla intermissione, aut sine ab extrinseco ir-
rogabuntur. Neutrius tamen generis paria erunt in omni-
bus, sed tam interna, quàm externa supplicia in illis erūt ma-
iora, qui maioribus sceleribus se infecerunt.

Missam hīc facimus aliam quandam damnosæ pœnæ diuisi-
onem alioqui non incelebrem, qua illud distribuere solent in
damnum quod in boni quandoq; obtēti despoliatione est po-
situm: vt cum quis hæreditatem, quam iam adierat, sua cul-
pa amittit. Et in damnum rursus, quod in iactura boni, non
dum quidem habiti, iure tamen debiti, est situm: vt cum quis
sua, vel alterius noxa hæreditatē deperdit, quam, si culpa nul-
la interuenisset, certò olim obtenturus erat. Pertinent hæc
enim ad disputationem de peccato originali veriùs, quàm ad
hanc præsentem controuersiam. Siquidem Adamus vna præ-
uaricationis noxa se bono, quod actuiam possidebat, priua-
uit: posteritatem autem bono, quod certò illi, si peccatum
non obstitisset, obuenturum erat.

Pœna sensus, est dolor, vel læsio vi aliqua sentiente, vel in-
telligente hausta. Neque enim pœna isthæc ideo id nominis
sortitur, quod necessariò interiori aliquo, vel exteriori sensu
percipiatur, (nam aliàs in incorporeos spiritus nulla sensus
pœna caderet) sed quia est quiddam reale viuentis naturæ
adhærens, ipsaq̄e adhærsione cruciatum adferens, atque adeò
secūs ac appetitus illius ferebat; eandem afficiens. Nam citra
aliquam animæ diffensionem, & quasi luctam, dolor nō con-

Damni pœna
ex parte ob-
iecti par in
omnibus da-
mnatis.

Damnum
omne aut est
boni habiti,
aut boni iure
debiti.

Citra animi
sensum nul-
lus contingit
dolor.

tingit. Vnde in his, quę mente, vel sensu carent, sensibilis pœ-
na locum non habet. Quauis enim isthęc lædī queant, attamen quòd eiusmodi læsionem nō percipiant, dolore aut cruci-
atu affici non valent.

Est tamen, quod de appetitus, vel volūtatis lucta hīc dicitur, nō omnino pressè accipiendū, sed certa quadā latitudine, ita vt volūtatis appellatione nō id solum cōplectamur, quod sua-
pte natura liberū est, sed ipsam quoq; voluntatē, vt naturalis quædā facultas est. Certū est enim Christū Dñm, & post ipsum Apostolos & sanctos Martyres omnes, grauiissimos cruciatus citra vllā volūtatis luctā, aut recalcitrationē exhaustisse, prout ipsa quædā *ἀντιπροστασία*, & libera facultas est. Imò verò pleriq; eorum in maximis positi cruciatibus magis anxij erant ne ē medijs supplicijs eriperētur, q̄ quomodo, quāve virtute ac fortitudine patienter illa perferrent. At hoc interim non obstante verū est, quod diximus, nēpe ad ciendū dolorē omni ex parte perfectū nō sat esse vt ignis, aut aliud quoduis noxiū aut nature infestū, sensum quouis modo afficiat, sui ve in eo notiti-
am proferat; sed præter vtrunque, necessariū est vt vnā cum sui cognitione, sui quoq; detestationē, & odiū adferat. Quòd si alterutrū horū defuerit, cognitio, inquā, vel detestatio odi-
um ve, perfecta doloris ratio constare nequaquam poterit.

Sensus pœnam generatim acceptam bipertitò diuidunt, in interiorem videlicet, & exteriorem. Exteriorem vocant, quæ forinsecus adfertur, per quodcunque tandem agens, vel instrumentum id fiat. Interiorem verò eam appellant, quę ab extrinseco non adfertur, aut saltem proximè non adfertur; sed ex quopiam, quod animus tanquam noxium apprehendit, ac proinde auersatur, & odit, intra pectoris sinus, & quasi domi nascitur. Interior absque exteriori constare absolutè potest: quauis in hac mortali vita, si intensior fuerit, semper ferè ad exteriora quoque sese diffundat, corpusq; affligat. Videmus enim, qui diuturna animi ægritudine laborāt, magis magisq; subinde desiccari ac cōfici, & tandē omnino quoq; absu-
mi.

Dolor inter-
nus absque
externo con-
stare potest,
externus au-
tem absque
interno non
potest.

mi. Exterior aut, nisi interiorū viriū ope perficiatur, constare non potest. Quicquid enim exteriori homini incommodorū attuleris, si interior id non apprehenderit, apprehensum ve detestatus fuerit, exterior illa læsio, vel offensio nunquam perfectam pœnæ rationem assequetur, imò ne imperfectam quidem.

Externam pœnam doloris nomine nonnulli designant, internam tristitiæ, vel ægritudinis: sed hoc discrimen nō admodum anxie obseruatur, ne apud illos quidem, qui propriè alioqui loqui volūt. Quare non est magna vis in ea distinctione facienda: magis elaborandum hīc est, vt intelligamus, com-
modeque explicemus, quo modo vtraque pœna locum in ijs habeat, qui emendantur in purgatorio. Sunt enim, qui istuc in quæstionem vocant, tum quòd vtranque veluti propriam soli damnati exoluant: tum rursus quòd infantes non renati neutram luant: tum denique quòd, qui Deum videant, nondum videantur apti; sicut nec nos quoque in vitę huius statione adhuc constituti: Verūm hæ rationes sunt parum efficaces. Nam vt à postrema ordiar: falsum est, iustorum animas corpore iam exutas, quæ Deum videant, nondum esse aptas: Sunt enim aptissima, nisi aliquod pœnæ, vel culpę impedimentum irretitas illas teneat. In hac autem vita, & si nullum pœ-
næ, nec vllum rursus noxæ obstaculum vrgeat, nō sunt huius visionis capaces. Videre enim Deum, est perfectè beatum esse: perfecta autem beatitudo in hac vita nulli cōtingit. Vita enim hæc præsens est cursus ad mortem, per quam tandem, si
Anima mor-
tali corpori
adhuc coha-
rens, non est
idonea, quæ
Deum clarè
videat.

Prima autē est planè ridicula. Qualis enim ea est argumen-
tatio? Scelerati apud inferos damni pœna toquentur, ergo iusti in purgatorio ea non torquentur. An non eadem argumentatione inferre liceret, neque sensus quoq; pœnam perpeti? Si quidem & illam quoque scelerati & impij patiuntur. Sunt ne hi ergo & illi paris conditionis, inquis? nequaquam.

Damni poena
per accidens
in eos conue-
nit, qui expi-
antur in pur-
gatorio.

Quandoquidem sceleratis per se debetur æterna damni poena, iustis autem tantum temporaria, & hoc adhuc per accidens, Ratio huius est, quia poena damni respondet auersioni. Hęc autem in damnatis, obstinatisque peccatoribus in omne æuum perseverat, atque ita Deum, sicuti est, nunquam videbunt, sed neque videre quoque possunt. Siquidem visio cōtingit per similitudinem, vel speciem rei visę: in inferni autem mancipijs nulla reliqua est Dei similitudo, ut quę cōstituatur per gratiã, vel lumē glorię. In iustis autem, qui in purgatorio expiantur, nulla est auersio: sunt enim illi iustitia & gratia ornati, atque ideo priuatio illa per accidens in illos conuenit, quia nimirum tenentur quibusdam poenę debitæ peccatorum, ve reliquijs adhuc irretiti. Et quia hæc poena conuenit in hos per se & semper, in illos autem per accidens & tantum ad tempus, fit ut hos multo remissius excruciet quam illos; non enim adimit his salutis spem ut illis: atque desperatio secundum se solam est maximum tormentum.

Deus nec vna
solūm ratio-
ne considera-
tur, nec vno
tantum amo-
re diligitur.

Dices forsitan: Eo magis affligit bonum absens, quod magis amatur, vel expetitur: sed damnati Deum non amant, sed infestissimo odio in eum flagrant; iusti autem in purgatorio Deum ardentem amant, & avidissime eundem videre desiderant: ergo diuinę visionis absentia magis illos affligit, quam impios & sceleratos apud inferos: Sanè ratio hæc omnino cōcluderet, si Deus gloriosus vno tantum modo consideraretur, & vno solū amore diligeretur: sed quia nec vna solūm ratione consideratur, nec vno tantum amore diligitur, non cōcludit. Quauis enim dānati Deū ea de causa non diligant, quod vnus ille summè bonus, summè sapiens, summè potēs, atque ideo summo amore & honore dignus existat: at tamen quia vehementissimè & inordinatissimè seipso diligunt, & quia in clara Dei visione summam voluptatem positam esse intelligunt, ardentissimis votis eum videre expetunt: & quia propter scelera sua votorum compotes fieri non possunt, & hoc sciunt, plus quam dici, aut credi potest, propter tantę illius voluptatis priuationem angun-

anguntur & cruciantur, & in omnem ætatem angentur & cruciantur.

Secunda rursus est falsa. Nam etsi infantes non renati existura, quam in Adamo fecerunt, nullum cruciatum capiunt, damni tamen poenam verè luunt. Quandoquidem Dei visione carent, carebuntque semper, & ob veræ rationis culpam carent. Attamen quod eiusmodi culpam solo ortu contraxerint, non opere aliquo proprio cōflarint, non affliguntur ob eam beatitudinis existuram, ut ceteri, qui propter propria scelera in eam miseriam & calamitatem sese deiecerunt. Cum ergo nihil horum omnium communem sententiã infirmet, certò statuendum est, imò verò certa fide tenendum est, non sensus tantum, ut isti putant, nec damni solūm, ut alij quidam per suam habent; sed vtraque poenam in purgatorio obtinere, suasque partes perfecte obire.

In purgatorio nec dāni solū, nec sensus tantum, sed vtraque poena obtinet.

At verò quantum vtraque istic affligat, hoc citra coelestem reuelationem, aut certam experientiam certò sciri non potest. Nam Scripturę ea de re nihil produnt; & de rebus spiritualibus, earumque affectionibus & qualitatibus per sensum, vnde omnis nostra cognitio incipit, nihil compertū habemus. Veruntamen ex illis, quę cōperta habemus, & ex Patrū quoque testimonijs, quid diuinitus edocti multa ea de re prodiderunt, dici potest poenā illā insigniter acrem esse: Imò acriorē, quam vlla, quę in hac mortali vita irrogari queat. Certè Augustinus purgatorij poenam non vno in loco maximā pronūciat. Cum, inquit alicubi, opus sit non hominis, sed Dei, fructifera poenitentia, inspirare eam potest quodcumque vult sua misericordia, & remunerare ex misericordia, quosdam damnare potest ex iustitia. Sed quoniam multa sunt, quę impediunt & languentem retrahunt, periculosissimum est & interitui vicinum, ad mortē protrahere poenitentię remedium: Sed magnum est cui Deus tunc inspirat. Si quis est igitur, qui veram tunc querat poenitentiam, expectet Dei clementiam, maiorem sentiens Dei bonitatē sua nequitia. Sed si etiam sic conuersus euadat, vita viuat, & non moriatur:

De ver. & fals. poen. c. 17. 18. Vera poenitentia non hominis, sed Dei opus est.

Purgatorij
cruciatu ex-
cedūt omnes
vitæ huius
cruces & mo-
lestias.

Ser. 41. de
Sanct.

Ad Psal. 37.

Augustini sen-
tētia de pur-
gatoriarum
pœnarū acer-
bitate.

1. Cor. 3.

Admonit. r.

riatur: non tamē promittimus quòd euadet omnem pœnam. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis etsi æternus non est, miro tamen modo grauis est: Excellit enim omnē pœnam, quam vnquam passus est aliquis in hac vita. Nunquā in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabilia passi sint Martyres tormēta, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerint supplicia. & alio rursus loco idem:

Sed dicit aliquis, Non pertinet ad me, quā diu moras habeam, si tamen ad vitam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quā quid potest in hoc seculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri, & in alio denuo libro & loco: Si ædificarent aurum, argentū, lapides preciosos, & de vtroque igne securi essent: non solum de illo æterno, qui in æternum excruciatu est impios: sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt. Dicitur enim, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planē quāuis salui per ignem: grauior tamen erit ille ignis, quā quicquid potest homo pati in hac vita. His Augustinianis nihil de purgatorio, nihil de acerrimis eiusdem cruciatibus dici, aut scribi potest clarius.

Cognata sunt hisce, quæ diuus Felicianus Aurelianēsis Episcopus ea ipsa de re alicubi scribit: Si, inquit, nec in tribulationibus Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata ipsa redimimus, tam diu in illo purgatorio moras faciemus, quā diu minuta peccata tanquam lignum, fœnum, & stipulā consumantur. Sed dicit aliquis: Non ad me pertinet, quā diu moras faciam, tantū vt ad vitam æternam perueniam. Nemo hoc dicat, fratres, quia ille purgatorius ignis durior erit, quā quis possit pœnarum genera in hoc seculo aut videre, aut cogitare, aut sentire. Et cū de die iudicij scriptū sit, quòd erit dies vnus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies vnus: vnde scit vnusquisque vtrū diebus, an mensibus, aut fortē

fortē etiam & annis per illum ignem sit transiturus. Hæc post Augustinum Felicianus, cui Petrus Parisiensium Antistes, Lombardus vulgò appellatus, cū suis interpretibus per omnia astipulantur. Astipulantur iisdem multæ quoque illustres visiones, & reuelationes, quas hîc allegare supersedeo: nō quòd ad rem hanc confirmandam, & illustrandam idoneæ non sint, sed quòd delicato hoc seculo minoris, quā par est, apud quosdam fiant.

Est ergo purgatorij pœna, vt isti volūt, supra modum acerbata, nullique, quæ in hac mortali vita homini accidere, vel inferri potest, secunda. Neque hæc diui Augustini, aliorumque, qui illum hanc in parte iure meritoque sequuntur, sententia mira, aut absona videri debet. Nam etsi nulla culpa sit tanta, quæ per Christi gratiam, & dignos pœnitentiæ fructus in puluerulento peregrinationis huius stadio citra martyrium aboleri non queat: tamen quòd Deus Opt. Max. patientis voluntatem spectet magis, quā suppliciorum grauitatem, sit vt reatus pœnæ, qui exiguo corporis cruciatu in hoc seculo expiari quandoque poterat, in altero, vbi pœnæ non vltro, vt hîc consuetum est fieri, suscipiuntur, sed pro culparum ratione, & quantitate ad æquissimi iudicis arbitrium irrogantur, vix maximis tandem flammarum pœnarumque torrentibus eluantur.

Sed & aliunde quoque, siue internam, siue externam purgatorij pœnam spectes, ostendi & confirmari sentētia hæc potest. Certum est enim vnus cuiusque boni desiderium eò acrius animū mordere, quò ipsum, quod desideratur, extiterit maius; & is rursus, qui appetitu eiusmodi tangitur, maiori ardore ac desiderio in illud fertur. Atqui bonum, ad quod iusti in purgatorio existentes feruntur, est maximum, vtpote modis omnibus infinitum; desiderium autem est tantum, quantū in animam separatam cadere potest, hoc est, summum. Nam cū ea nulla iam ampliùs mole corporea grauetur, diuinaque charitate flagret insigniter, & clariùs cognoscat, quantum bonum,

h h h

quan-

Nulla culpa
est tanta, quæ
in hac vita ci-
tra martyriū
penitus abo-
leri nō queat

Eò pœna est
maior, quò
absentis boni
desideriū est
maius, &
ipsum nihilo-
minus bonum deside-
ratiū est præ-
stantius.

quantaque voluptas posita sit in vnione illa cum summo ac infinito bono, quod Deus est, quam id cognoscebat in via per fidē: sortitur enim spiritus à corpore separatus angelicæ cognitionis modum, qui modus multis modis perfectior est modo illo, quo cognoscit carni coniunctus: verbis exprimi non potest, quanto impetu, quantoque desiderio rapiatur in Deum.

Psal. 41.

Psal. 109.

Et quia intelligit sua se culpa impediri, nec non à tanto bono, quantum est Deus, arceri, dolet vehementissimè, & clamat intra se illud Psalmistæ: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? & illud eiusdem: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Ad hanc autem damni poenam consequitur poena vermis ex consideratione noxæ, propter quam promeritus est eiusmodi priuationem, tantiq; boni aliàs debiti dilationem. Consequitur & altera quoque crux ex propriæ negligentiae consideratione nata: poterat enim eiusmodi debita minima impensa in humanis adhuc agens redimere, si vel modicum studium adhibuisset. De hac damni poena, hoc est, cruciatu & mœrore qui ex tanti illius boni iactura oritur, Chryostomus alicubi hunc in modum concionatur: Nouimus plerosque solam gehennā abhorrere: ego autem casum illum à gloria gehenna multò maiorem esse aio. & addit: Imò si gehennarum decem millia ponas, adhuc nihil tale est, atque excidere à beata illa vita. Hęc Chryostomus de æterna exitij poena, quæ tamen, moræ temporis ve habita ratione, cæterarumque peristafcon analogia seruata, hęc quoque locum habere dubium nullum existit.

Hom. 23. in Matth.

Solet sanè in hac mortali vita summum summi illius boni desiderium, eiusdemque meditatio ingenti gaudio, spiritalique sua uitate amantium pectora perfundere; & interdum quidem tanto, vt sensuum quoque ab alienationem inducat. Solet & certa quoque liberationis spes præsens incommodum maiorem in modum mitigare. Solet tandem poenarum ^{noxæ} nonnihil quoque solatij miseris adferre. Notum est enim protritum illud vulgi dictum: lucundum est, socium habere poe-

re poenarum. & alterum illud: Vix patitur, qui solus non patitur. Verùm quando purgatorium non est voluptatis, aut consolationis locus, sed poenæ, & satisfactionis: mira quadam Dei Opt. Max. dispensatione fieri creditur, vt illud ipsum desiderium, & cætera omnia, quæ aliàs ægrè affectis animis nonnihil voluptatis, & recreationis adferre solita sunt, quasi naturæ suæ oblita, nihil istiusmodi efficiant. Est itaque poena, quam purgatorijs flammis mancipati ex coelestis regni dilatione intra sese concipiunt, acerbissima: vtpote ex summo, hoc est, ardentissimo summi illius boni desiderio nata.

Sed neque sensus quoque loci illius poena est parua. Quandoquidem dolor, vt paulò antè dictum est, non est propriè læsio, sed læsionis sensus. Inanima enim læduntur, dum comminuuntur, vel in partes dissecantur: nec ideo tamen dolent, quia eiusmodi offensionem nulla vi percipiunt. Et quoniam dolor propriè est læsionis apprehensio, fit vt eò dolor soleat esse intensior, quò eiusmodi læsionis perceptio est maior, vel plenior. Atque hoc non solum in rebus diuersis obseruare licet, (magis enim dolet homo læsus, quam equus, vel asinus; & homo rursus tenerè educatus magis dolet, quam durè semper habitus) verùm etiam in iisdem ad numerum. In eodem nanque homine quædam partes læsæ maiorem adferunt dolorem, quam aliæ, etiam si læsio in alijs fuerit maior: quia nimirum partes teneriores obiectum noxium percipiunt plenius. Cum omnis ergo sensus, sensationisque radix sit anima, si quod noxium proximè vim suam in illam exerat, grauius eam affligat, oportet: Agit autem in illam ignis, qui inter Elementa est maximæ virtutis; & agit in illam totam, vt quæ partibus quantis destituatur. Neutrum tamen horum est prima tanti huius cruciatu ratio, sed æqua Dei voluntas: Vult enim ille in altera vita ostendere suam iustitiam, sicut in hac vita largè prolixèque ostenderat suam misericordiam.

Dolor propriè est læsionis sensus.

Omnis sensus radix anima.

Quæ de vtriusque poenæ gravitate hîc dicuntur, ea aperi-
tiora euadent, si rationes, quæ contra vtranque promiscuè,
vel alteram tantum obijci posse videntur, paucis in medi-
um proponamus, propositaque discutiamus. Argumen-
tantur itaque quidam hunc in modum: Cùm anima nullius
corporeæ qualitatis capax existat, corpus autem nullam re-
spuat, aptius est, quod affligatur ab igni, vel alio quouis Ele-
mento, quàm materiæ expers spiritus. Imò verò intelligi satis
nequit, quomodo corpora in spiritus agere, vel vllum omni-
no cruciatum illis adferre queant, vt qui illis multis partibus
validiores habeantur. Poenæ itaque purgatoriæ non exce-
dunt omnem vitæ huius molestiam. Adhæc poenæ commen-
surari solent noxæ: sed non omnes noxæ sunt magnæ. Præ-
terea poenæ non debent intendi, nisi intendantur culpæ: Sed
culpæ in altera vita non intenduntur. Non maior ergo depo-
scitur poena ad peccati inductionem in altero seculo, quàm
in hoc præsentis: sed in hoc non deposcitur maxima. Quar-
tò, illud agens magis affligat, quod simul vrit, corrumpit, &
alterat, quàm quod tantum vrit, vel locat: atqui ignis in hac
vita non solum vrit, locat, & immutat, sed simul quoque absumit,
& perimit: in purgatorio autem, nec absumit, nec perimit,
sed tantum affligit: magis ergo cruciat ardor ignis in hac
vita, quàm in altera. Quintò, si minima purgatorij poena
maior est maximo vitæ huius supplicio, consequens fit, incre-
dibilem esse eorum cruciatum, qui pluribus erratis veniali-
bus, & grauibus nihilominus lethaliū condonatorum reli-
quijs onusti hinc excedunt. Postremò non desunt graues qui-
dam Theologi, qui existimant poenas purgatorias sensim di-
minui, donec tandem omnino aboleantur, quorum sententia
si vera est, minima profectò purgatorij poena nō excedet ma-
ximam præsentis vitæ. Hæ sunt rationes præcipuæ, quæ con-
tra poenarum purgatoriarum magnitudinem adferri posse vi-
dentur: quæ solui tamen possunt, tametsi quædam ex illis, sua
difficultate non careant.

Ad

Ad primam breuiter respondetur, corpus secundum se ani-
ma patibilis esse, nec hinc tamen sequi, quod ab argumen-
tante inferebatur. Nam ad efficiendum dolorem, non sat est
adesse corpus, quod lædere natum est, & subiectum rursum,
quod læsionis capax est: sed præter vtrunque adesse quoque
oportet læsionis sensum, qui vtrique multò est amplior, mul-
toq; viuacior, ac perfectior in anima, quàm in corpore; quip-
pe cùm vna hæc omnis sensationis, dolorisque principiū ex-
istat. Neque hunc doloris sensum impedit corporū resump-
tio: (vt simul hîc ad aliud quoddam argumentum respondeamus)
Siquidem vt ignis inferni tanquam Dei instrumentum
proximè nunc agit in spiritus, eosque affligit; ita tunc proximi-
mè aget in vtrunque. Atque ita dolor post communem car-
nis resurrectionem non erit minor, quàm est hac tempestate.
Sed & dato quoque, eo tunc modo in spiritum acturū, quo
nunc agit, adhuc sceleratorum poena post carnis resurrecti-
onem non esset minor, quàm hoc tempore est: Quandoquid-
em, quod tunc decederet secundum intensiorem, id aliunde
compensaretur secundum extēsiorem. Cruciabitur enim
tunc infelix homo non in anima solum, nec in corpore tan-
tum, sed in anima & corpore simul, & in vtroque grauissi-
mè. Verùm hæc alium locum postulant.

Porrò autem cùm in eodem illo argumēto additur, intelli-
gi vix posse, quomodo ab igni affligi queat spiritus: Nec enim
vlla ex parte hic ab illo potest calescere, aut mutari, aut corrū-
pi: siquidem vnumquodque recipitur per modum recipien-
tis, anima autem cùm suapte natura materiæ expers sit, ma-
teriales qualitates in se recipere nequit: id additur, quod in
materia Scholastica difficultatem ingerit minimè leuem, quæ
proinde difficultas tot ferè peperit sententias, quot existunt
celebres Scholæ Patres. Quidam ne nodo huic locus sit, vl-
lum omnino verum ignem apud inferos existere absolutè ne-
gant. Aiunt enim talem ibi ignem esse, qualis est ibi lingua,

hhh 5 quales

Corpus se-
cundum se
magis pati-
bile, minus
sensibile.

Difficile ex-
plicatu, qui
corpus agat
in spiritum.

Luc. 16.

quales digiti, qualis aqua, qualis sinus: atqui, hoc presertim tempore, nulla est ibi vera lingua, aut veri digiti, aut vera aqua, aut verus sinus: ergo nullus quoque ibi est verus ignis. Confirmant hanc suam opinionem autoritate Augustini & Damasceni, quorum alter: Diabolus, & homo eius, hoc est, Antichristus, tradetur in ignem eternum non materialē, qualis est, qui apud nos est, sed qualē nouit Deus. alter verò: Neminem puto scire cuiusmodi sit hic ignis, nisi cui diuinus spiritus reuelauerit. Ignis autē vocabulo omnem omnino poenam metaphoricōs designari volunt.

Verūm etsi hæc opinatio aliqua ratione, & nōnulla quoque autoritate niti videatur, est tamen Scripturę & cōmuni Patrum sententię planē dissentanea. Nihil hoc enim dici potest

- Matth. 25. » apertius: Discedite à me maledicti in ignem eternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. & illo item: Colligent de re-
 Matth. 13. » gno illius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, &
 Apoc. 19. » mittent eos in caminum ignis, & illo rursus: Si quis adorauerit bestiam, cruciabitur igne, & sulphure. & illo tandem:
 Luc. 16. » Crucior in hac flamma. Hic Gregorius: Dum diuitem peccatorem veritas in igne damnatum perhibet, quis sapiens reproborum animas igne teneri neget? Hęc Gregorius, & optimè: Nam etsi diuinę literę multis allegorijs, multisq; metaphoris, ac tropis passim abundant; nunquam tamen à plano, literalique sensu ad sensum tropicum detorquendę sunt, nisi litera simpliciter accepta, absurdum aliquem sensum offerat, quod hęc locum non habet.

Ignis inferni
& purgatorij
corporeus
existit.

Quòd autem ignis, qui ante generale iudicium sceleratos apud inferos cruciat, & iustos expiat, verus, proprięque rationis ignis sit, id inde colligi potest, quòd impiorū poena nunquam non sibi similis existat. At post communem carnis resurrectionem omnes vtique & dæmones & homines igni corporeo torquebuntur, ergo: & nunc quoque verò naturalique igni torquentur. Adhęc incorporeus ignis nō est ignis, sicut homo

homo materię & corporis expertus non est homo: in inferno autem & purgatorio, vt Scripturę disertis verbis testantur, & Patres cōfirmant, est verus ignis; quia si nō est verus ibi ignis, non est ibi ignis, idem nanque est aurum & verum aurum. Denique; qua ratione inficiatur ignis, inficiariliceret reliquas oēs poenas, poenarumque vias; quippe cūm Scripturę & Patres de nullo apertius loquantur, quàm de igne. Nec obstat ignem hūc ab vno, vel altero spiritalē vocari: nam & corpora quoque post resurrectionem spiritalia ab Apostolo appellantur: & eadem vtriusque appellationis est ratio, eademque causa. Nam vt corpora post resurrectionem perpetuò citra vllum omnino alimentum supererunt, ita etiam ignis ille, diuino spiritu accensus, citra vllum penitus fomentum in omnem æternitatem arsurus creditur.

Nec obstat rursus, quòd ignis à quibusdam nostro materiali dissimilis dicitur: non enim ea de causa istuc dicitur, quòd non sit verus, & naturalis ignis, sed quòd actionem fortitur nostro dissimilem. Purgat enim & inflamat citra vllā consumptionem, quod hic noster non solet. Nec mirum videri debet ignem illum, vt Dei instrumentum est, aliquam vim, vel actionem sortiri, quam ex se alioqui non habet: cūm ipse etiam naturalis calor, vt animæ instrumentum est, alimentum in animantis substantiam conuertat, quod ex se alioqui non posset. Nec obstat tandem linguam, digitum, aquam, sinum in parabola Euangelica metaphoricōs accipi: Quandoquidem isthęc rebus spiritalibus, & corporis expertibus, sine absurditate, & manifesta contradictione tribui nō possunt: poena autem, quæ per ignis actionem infertur, rectè illis tribuitur, & necessariò tribuitur, nisi ambages sermonumque anfractus velimus consecrari.

Sed dicent fortè: Veræ rationis ignis in equè propinqua æqualiter agit: atqui purgatorius, vt & tartareus quoque ignis, non æqualiter agit in æquè vicina? Sit ita, tametsi negari id queat, hoc tamen ignis veritatem non eneruat: Nam ignis ille

vbi non est
verus ignis,
ibi simplici-
ter non est
ignis.

Ignis infero-
rum ab effe-
ctu spiritalis
dicitur.

Cur ignis tartareus nō ex æquo, in æquē vicinā agat, duplex ratio existit.

ille non agit naturali vi tantū; (hac enim æqualiter in æquē distantia ageret) sed vi quoq; supernaturali. Etenim vt corpora, quorum in Sacramētis vsus est, vltra naturalem suam vim agunt, quatenus diuinæ misericordiæ organa existunt; ita & ignis tartareus, & purgatorius quoque. vtriusque enim eadem est ratio. Dicit quoq; potest dissimilitudinem illam non prouenire, vel certè non totam prouenire, ex dissimili ignis actione, sed ex dissimili patientium dispositione. Vnus, inquit Gregorius, est gehennæ ignis, sed non vno modo excruciat omnes peccatores. Vniuscuiusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentitur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub vno Sole multi consistunt, nec tamen eiusdem Solis ardorem æqualiter sentiunt: ita illic in vno igne non est vnus modus incendij. Quia quod hīc agit diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas meritorum: vt & ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. Hactenus Gregorius.

Sed sit, inquis, verus naturalisq; ignis apud inferos: at quo modo, obsecro, crassum illud, materiale, & elementale corpus agere potest in immaterialem, & incorporeum spiritum, eum tam dirè immaniterque affligens atque excrucians, sicut animas istic affligi & excruciarī credimus? Sanè istuc multò facilius creditur, quàm explicatur. Sunt, qui purgatorium, & tartareum quoq; ignem, sola sua præsentiā spiritus affligere existimant. Verum vt maximè ignis sua præsentiā nonnullā animo molestiam ciere queat, neutiquam tamen tantos cruciatus adferre potest, quantos apud inferos desæuire credunt fideles, & prædicant Ecclesiæ doctores. Imò sola ignis præsentiā, cæteris seclusis, spiritum afflictere nequit. Nam aliās beatorum spiritus eadem illa præsentiā æquē offenderētur, atq; impiorum animæ, quod falsum & vanum est. Præterea visio illa, qua spiritus affligi perhibetur, aut est sensus, aut imaginationis, aut intellectus. Non interioris aut exterioris sensus, quia spiritus organis, quibus hæ visiones perficiantur, desti-

tuuntur:

tuuntur: non intellectus quoque, quia eiusmodi visio perficit potentiam, & per consequens non cruciat, sed oblectat. Denique nulla apparet ratio, quā sola ignis præsentiā, vel visio, spiritum tantopere affligere valeat.

Alij itaque huic præsentialitati addunt noxij æstimationem, verum in idem penè redit. Nam rationis iudicium, quo spiritus æstimat ignem, quem præsentiā habet, sibi noxium infestum ve existere; aut verum est, aut falsum. Si verum, verè ergo affliguntur ab igni, licèt de afflictionis modo nondum constet. Si falsum, ergo non cruciantur ab igni, sed à sua falsa imaginatione. At nō fit verisimile suo iudicio falli: Tum quia spiritus valent magna sagacitate, magnoque & acri in rebus præsertim naturalibus iudicio. Imò verò dæmones de naturalibus cognoscentes, vel decernentes non falluntur. Tum rursum, quia isthac admittā opinatione, multò leuius punirētur, quàm vulgò puniri creduntur. Tum denique, quia secundum hanc sententiā dæmones, & animæ damnatæ non tam miseræ ac infelices essent, quàm amentes & fatuæ, vtpote sua falsa imaginatione ibi crucem existere confingentes, vbi nulla est.

Sunt, qui humanos spiritus ante vniuersale iudicium non igni illo, qui apud inferos æstuat, torqueri putant; sed solo amissæ beatitudinis mœrore, malorumque ac miseriarum, quas recepta carne perpeffuri sunt, formidine. Verū hæc opinio multa aperta incommoda secum trahit. Sequitur hinc enim animas, quæ in purgatorio detinentur, vel nulla, vel eam tantum pœna affici, quam ex gloriæ dilatione cōcipiunt. Constat enim hæc, neque amissæ beatitudinis mœrore angi, vt quæ de sua beatitudine sint certæ; nec poenarum rursum, quas post carnis resurrectionem perpeffuræ sunt, formidine torqueri. Nam hoc seculo finito nullus amplius purgatorio erit vsus. Sequitur nihilominus sceleratorum hominum spiritus multò grauius cruciari, quàm dæmones: Cum enim dæmones suapte natura corporibus destituantur, nihil est,

iii

quod

Sola imaginatio noxij nō parit pœnam purgatorii, aut inferni.

Sola beatitudinis amissio, aut futurorum malorum metus, non est tora inferni aut purgatorii pœna.

Ignis non affligit sola sua præsentiā spiritus.

quod ab illo igni sibi metuant. Sequitur tandem nihil quicquam referre in igni ne detineantur, an in alio quouis loco, vel elemento: & tamen dæmones abyssum maiorem in modum horrēt; & Dominus peculiari ratione asseruit, nō aquam, aut aërem, aut terram diabolo, & angelis eius præparatum esse, sed ignem.

Instrumentū à principali agente nō recipit actionē, sed actionis modum.

Nec ignis spiritalis, nec spiritus corporalis qualitatē capax est.

Alij proinde aiunt ignem materialem in immaterialem spiritum verè agere, id tamen non vt agens naturale est, sed vt diuinę iustitię instrumentum est. Sed contra hanc sententiam, quæ cæteris alioqui communior, & verisimilior quoque est, obijci posset, Naturale instrumentum aliud nihil à primario agente consequi, quàm actionis modum: (Nec enim ferra, à quocunque tandem moueatur, aliud facere potest, quàm diuidere: verum quòd hoc, vel illo modo faceret, puta ad formam scamni, vel tripodis, vel alterius cuiuscunque eiusmodi, hoc à primario mouente habet.) nihil autem apparere vsus, proprię ve actionis, quam ignis circa spiritum exercere, vel in spiritum exprimere valeat. Neque enim potest illum calefacere, aut comburere, aut alterare; quia, à quocunque tandem moueatur, non potest illum attingere. Nec hanc difficultatem euadunt, si dicant ignem illum diuinitus vim quandam accipere, qua possit in spiritum agere. Nam vis illa igni indita, vel superaddita, aut naturalis est, aut supernaturalis. Non naturalis, quia tunc corporis rationem non excederet, & ex consequenti spiritum attingere nō posset. Nec rursus supernaturalis, vel spiritalis, quia eiusmodi vis in corpore tanquam in subiecto herere non valet. Hac depulsione euertitur & aliorum quoque nonnullorum imaginatio: dicunt enim alterutrum hęc fieri, puta, vel igni eiusmodi quippiam accedere, quo seipso maior effectus in spiritum possit agere; vel certè spiritum tale quippiam diuinitus accipere, quo ab igni queat pati. Nam neque ignis per se spiritalis qualitatē capax est; nec anima rursus, aut spi-

spiritus, materialis. Quòd si spiritui spiritalem qualitatem aduenire statuerint, iam æquè atque antè igni superior erit.

Thomas Aquinas illustris sanè Theologus alicubi docet, ignem spiritui cruciatum adferre non posse, nisi ipsi vniantur, aut vt forma materię, vel vt motor mobili, vel certè vt locatum loco: Non coniungi autem illi primo, aut secundo, sed tertio tantum modo; potest enim ignis spiritum definitiue continere. Verum quòd cum non solum definiat, sed definitum vsque adedò fixum immotumque detineat, vt loco cedere nequaquam valeat, id, ait ille, ignis ex se non habet, sed ex virtute diuina. Iuxta hanc itaque sententiam aliud nihil est, spiritum ab igni, vel per ignem torqueri, quàm in igni veluti in ergastulo quodam contra suam voluntatem, & naturalem propensionem vndique concludi, immoteque detineri. Est sanè hoc aliquid: veruntamen violenta illa detentio, quæ temporis quoque tractu mitescit, nullo modo æquare posse videtur grauissimam vitæ huius poenam, nedum alterius, & maximè inferni. Effet profectò regię proli permolestum in fœdo carcere perpetuò detineri, sed multò minùs molestum hoc illi foret, quàm agresti homini igne comburi. Præterea si spiritus per solam illam detentionem punirentur, poena dæmonum post communem carnis resurrectionem longè minor foret, quàm hominum: cum multi tamen ex illis multis hominibus multò sint nequiores. Siquidem homines post carnis resurrectionem non solum detinebuntur in inferno, sed per ardentis ignis globos in eodem quoque amburentur & torquebuntur. Denique si sola detentio vim illam haberet, multò grauius cruciarentur spiritus, si in fœda aliqua cloaca, vel in aliquo alio fœculento, & execrabili loco continerentur, quàm si asseruentur in igne, vt qui nobilitate cæteris omnibus Elementis præstet, magnamque cum cœlestibus corporibus cognationem habeat.

Quidam Platonizantes sua quoque dæmonibus, & animabus corpificula, ex aëre hoc caliginoso cœcreta tribuunt, per quæ

Spiritus non vnitur igni vt forma materię, nec vt motor mobili.

Sola violenta in igne detentio nō est tota Spirituum poena apud inferos.

Spiritus non habet corpora naturaliter sibi coniuncta.

e. Firmiter. de sum. Trin.

Spiritus hinc decedentes non deserunt secum sensuum officia, aut proxima eorundem principia.

tormenta per ignem, aut aliud quoduis noxium irrogata, non secus atq; cætera animantia hauriant. Verùm hæc phantasia multis iam antè rationibus & authoritatibus est refutata: nec vlla alia prolixiore refutatione indiget. Clarum est enim vniuersitatis molem tripertitò, puta in corpus, in spiritum, & in concretum ex vtroq; verè non posse diuidi, si spiritus corpora haberet naturaliter sibi vnita. Sed & frustra quoq; Synodus magna inter aspectabilia & inaspectabilia, inter corpora & spiritus secerneret, si & ipsi quoq; spiritus corporis exptes nõ essent. Falsò deniq; assereretur hominè ex spiritu & corpore pfe cte cõstare, si de intrinseca spiritus ratione corpus quoq; foret.

Aequè hinc à veritatis scopo aberrant, qui animas hinc decedentes vires sensitivas secum trahere autumant. Sunt enim sensus omnes, cum exteriores, tum interiores quoq; materiæ immersi: anima autem materiæ expers existit. Propriũ nanq; & proximum illorũ omnium subiectum non est ipsa anima secundum se, sed compositum. Nam si anima secundum se proprium, & proximum earum virium subiectum foret, à corpore separata æquè videre, audire, ac cætera, sensuum munia exercere posset, atq; dũ in corpore adhuc hæret: sed hoc omnino est falsum; nullus enim sentire, vel audire, aut videre potest sine organo corporeo. Verùm licet sensitivæ vires nõ manent in anima separata formaliter, manent tamen in ea radicaliter. Vnde vbi primũ anima ad corpus, quod informarat, redierit, statim vnà cum ipsa omnium sensuum officia redeunt. Quòd si materiales animæ facultates in anima separata non manent, vt reuera non manent, multò minùs manebũt earundem facultatum actus. Quòd ideo hinc addimus, quia nõ defunt quidam, qui dicant nulla alia re magis apud inferos torqueri demones, defunctorumque spiritus, quàm imaginarijs quibusdam terroribus, & anxietatibus, cuiusmodi nimirum somniantes, vel graui phrenesi laborantes, vel terrificum quippiam intentius animo versantes pati, & experiri interdum solent. Quare hic quoque dicendi modus difficultatis

ratis nodum non soluit, sed suo modo intricat magis.

Similitudo, quam de Sacramentis nonnulli huc adferunt, asserentes, vt Deus gloriosus per aquam attingit animam, interiorius eam sanctificans; ita per ignem attingere spiritum eundem puniens, interioriusque, si dignus est, emaculans, in partem quidem quadrat, non tamen in omnem. Siquidem Sacramenta, quæ externa materia constant, in mysterijs initiandum verè agunt: Aqua enim Baptismi exteriorius adhibita, corpus, quod sine anima non est, imò verò anima ipsa verè essentialiterque perfectum est, verè proprieque humectat; oleum idem corpus verè, ac proprie impinguat: Ignis verò etsi latitudinè habeat, indiuisibilem tamen spiritum vi sua naturali attingere non valet; nedum calorem, aut vllam aliam qualitatem in illum inducere. At potest tamen ignis vi sua spiritum locare, definitiueque in se continere, tum sui quoque speciem in illum imprimere. Nam cum id queat quoduis omnino corpus, poterit & ignis quoque, qui inter cætera Elementa primas obtinet. Verùm quòd spiritum ea ratione intra se contineat, vt ad alium locum concedere nequaquam valeat; rursum quòd ea vi sui similitudinè in illum imprimat, vt nullo temporis articulo ab ignis consideratione auertere se queat: id ignis ille ex se non habet, sed ab illo, qui illo in plectendis fontibus & peccatoribus tanquam organo vtitur.

Non ita ignis agit in spiritum, quo Sacramentum in coniunctum.

Nihilominus quia vtrumlibet horum æquè per aliud quoduis corpus fieri poterat, atque per ignem; neque intelligi potest quonam modo violenta illa detentio, iugisque ignis sub ratione noxij consideratio, tantum cruciatum adferre queant, quantum damnati, & purgatorij ergastulo inclusi apud inferos perferre creduntur: non video magnã causam cur cum Dionysio Carthusiano dicere non liceat, inferorum flammis non solum obiectiue in incorporeos spiritus agere, sed suo etiam modo effectiue. Verba Dionysij sic habent: Ego, inquit ille, firmissimè, atque simpliciter credo, teneo, & affirmo, quòd ignis ille purgatorij, & inferni verè, realiter, ac poenaliissimè

De part. iud. art. 13.

Dionysij Car-
thuf. senten-
tia de astio-
ne ignis tar-
tarol.

inluat, agat, & imprimat in animas separatas, ac demones, im-
mutando, & affligendo eosdem suo calore ineffabiliter acrius,
ac poenalius, quam aliquis in hoc mundo affligi, & immutari
queat ab ignis calore. Veruntamen modum, & qualitatem il-
lius immutationis arbitror comprehendere non posse ab homi-
ne viatore: quoniam ignis ille non agit, vt agens naturale, sed
vt instrumentū diuinæ omnipotentis iustitię. Hęc Dionysius,
à quibus non multū dissentiunt, quæ ea de re Gregorius & Au-
gustinus scribunt.

Lib. 4. c. 29.

Gregorius: Ex dictis Euangelicis colligere possumus, quòd
incendium anima non solūm videndo, verūm etiam experien-
do patiatur. Diues enim Epulo deprecatus est Abrahā, dicens:
Mitte Lazarum, vt immittat extremum digiti sui in aquam, vt
refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Au-
gustinus: Si quisquam nulla habere, corpora demones affue-
rat, non est de hac re, aut laborādum operosa inquisitione, aut
contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus,
quanuis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos
posse poena corporalis ignis affligi: si spiritus hominum etiam
ipsi profectō incorporei, & nunc potuerunt includi corporali-
bus membris, & tunc poterūt corporum suorū vinculis inso-
lubiliter alligari? & subdit: Adhērebunt ergo dæmonū spiri-
tus incorporei corporeis ignibus cruciandi, non vt ignes ipsi,
quibus adhērebunt, eorum iunctura inspīrentur, & animalia
fiant: sed, vt dixi, miris & ineffabilibus modis adhērendo acci-
pientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam. Pos-
sent hęc eorum exemplis confirmari, qui ex mortuis exusci-
tati disertis verbis se immanissimos ignis ardores apud inferos
expertos esse testati sunt: tum eorum quoq; autoritate, qui-
bus diuinitus hęc patefacta sunt: sed bonis de causis missa hęc
facimus. Scimus & hanc quoque sententiam suis incommo-
dis & difficultatibus non vacare. Sed quia immanem illam in-
ferni & purgatorij poenam sola illa alligatione, vel ignis quo-
que consideratione agrē saluari posse iudicamus, cogimur in
hanc

Lib. 21. c. 10.
de ciuit.

hanc partem concedere. Si qui tamē sententię, cuius iam pro-
ximē meminimus, insistere volūt, propterea quòd recepta vox
sit, res corporatas obiectiue tantū in spiritus agere, illi ex con-
sequenti dicere habent, Deum sua omnipotenti virtute id ex-
plere, quod intēntionalis species vel alligatio, de qua paulò an-
tē, per se non poterant.

Ad illud porrò, Minimo peccato minima debetur poena:
peccatum veniale est minimum, ergo in purgatorio non mul-
tatur poena grauissima: ergo purgatorij cruciatus non exce-
dit omnem vitę huius molestiā. respōderi solet, poenam, quę
veniali peccato debetur, minimam esse, si cum ea conferatur,
qua pleātur mortiferum: secūdum se autem absolutē con-
sideratam exiguam non esse: presertim in altera vita, vbi poe-
næ vltro non assumūtur, sed ab æquo vindice Deo secūdum
iustitię amissim irrogantur, quę proinde minūs sunt gratę, &
minūs quoq; satisfactorię, quàm quę spontē suscipiuntur &
dependūtur. Quandoquidem in poena vltro assumpta Deo nō
solūm placet reordinatio illa poenę ad culpam, sed voluntatis
quoque rectitudo, quę promptē se offert ad compensandum
illud per poenam, quod deformatum fuerat per culpam. In poe-
na autem per iudicem inflicta solūm locum habet reordinatio
illa culpę per poenam. Quare modicus cruciatus vitę huius
vltro susceptus, plūs placet Deo, efficaciusq; satisfacit, quàm
maximus in altera vita ab ipso eodem irrogatus. Quemadmo-
dum etiam in politicis, quādo reus culpam agnoscit, veniam-
que supplex petit, leuius multò puniri assolet, quàm cū se-
cūdum iustitię, vel legis prescriptum ad certam aliquā poe-
nam condemnatur. Mitto hęc poenarum alterius vitę acer-
bitatem non æquē prouenire ex enormitate peccati, aut lassi-
onis magnitudine, ac ex dispositione, & qualitate subiecti pa-
tiētis. Sunt enim animæ à corpore seiunctę, quę patiantur,
aptissima.

Gratior est
poena vltro
suscepta, quā
à iudice ir-
rogata.

Per hoc quoque maiorem in partem dilutum restat, quod
tertio loco obijciebatur. Nam cū non idem vtrobiq; sit sta-
tus,

Nec idē status, nec eadē poenæ ratio in utroque seculo.

tus, non est mirū, si non eadem utrobique sit ratio poenæ. Enimvero in hac vita poena absolutè est voluntaria: in altera autè non omnino absolutè, ut paulò post ex instituto explicabitur. Hic poena non solum est satisfactoria, sed simul quoque meritoria: ibi nec meritoria est, nec propriè quoque satisfactoria. Siquidem qui in purgatorio detinentur, satisfaciuntur veriùs, quàm satisfaciunt. Hic est locus misericordiæ, ibi iustitię. Deus enim contracta debita multò maiori seueritate exigit in altera vita, quàm in hac presenti. Hic tandè poenę sequuntur in coniunctum, ibi in ipsam totius sensationis radicem. Non est ergo mirum, si id, quod parua impesa aboleri hic poterat, ibi vix maxima tandem molestia & cruciatu aboleatur.

Ad quartam respondetur, non maiorem semper dolorē adferre, quod affligit, & consumit, quàm quod tantum affligit. Constat enim tartareum ignem omnium grauissimè affligere, nec quicquam tamen de subiecto, quod affligit, absumere: Siue illam tantam afflictionem afferat per solas species intentionales, ut quidam opinantur, siue per materiales & intentionales simul, nam per solas materiales, intentionalibus seclusis, non contingit sensatio.

Non magis semper affligit, quod affligendo absumit.

Ad quintum dicitur, verissimum esse, quod ponitur, nempe, qui magnis onusti debitis hinc excedunt, eos dirios in purgatorio cruciatu haurire, & eò quidem diriores diuturnioresque, quò pluribus grauioribusque; flagitijs in viuus aliquando contaminati fuerant, noxasque veniales negligentius cauerant. Dicit hoc ratio, & illorum confirmat authoritas, qui isthac incommoda, vel experti sunt, vel ex peculiari diuini Spiritus magisterio didicerunt, orbique patefecerunt.

Cæterum purgatoriæ ne poenæ paulatim mitescant ac diminuantur, donec tandem omnino absoluantur, an verò equa semper intentione persistant, donec oēs expendantur, (id quod postremo argumento inquirebatur) hoc non est omnino certum. Multi remitti negant: alij affirmant, adferuntque; nonnulla illorum exempla, qui eam in se remissionem experti fuerant

Vt-

Vt cunque res habeat de poena sensibili, certè de poena damni, quæ utique minimè parua est, imò quorundam sententia sensus poena maior est, vsque sibi similem manere verisimile est. Quod si hæc mutatur, intendi credenda est veriùs, quàm remitti. Siquidem quò bonum speratum diutiùs differtur, eò animam magis affligere solet. In causa itaque maneat purgatorij poenam maximam, omnique supplicio, quod homini in hac vita inferri potest, acerbiorē esse.

Iustorum animas in purgatorio, nec labi posse amplius, neque de salute sua incertas esse.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.



Quantum purgatorij poena sit magna, & quidem maior quàm assequi possumus, (parum enim de alterius vite miseris, ut & de gaudijs quoque capimus) non est tamen tanta, ut iustis, qui ibi purgantur, desperationis laqueum iniiciat, aut damnationis metum adferat; aut voluntatis pugnam, eiusdemve contra Deum murmur extorqueat; aut eorum, qui ibi examinantur, patientiam frangat: hæc enim omnia ad vitium nouumque peccatum spectant, quod in altero seculo locum non habet: ut de alijs interim absurdis, quæ hinc consequerentur, nihil quicquam dicam. Sed de singulis hisce membris breuiter aliquid seorsum dicendum est: quando quidem non desunt, qui isthæc in dubium vocent, aut preposterè sanè intelligant.

Non peccato in altero seculo non est locus.

Quod igitur purgatorij poena, tametsi insigniter acerba, non sit absolutè inuoluntaria, id ex eo colligi potest, quod vna hæc in solos iustos, & rectos cadat: atqui voluntatis iustitia & reuerentia in eo præcipue posita est, ut primæ omnium voluntatum regulæ, hoc est, Deo sese conformet, eidemque; per omnia sese submittat. Cum itaque Deus Opt. Max. illos, qui in pur-

k k

gato-

gatorio degūt, absolutè velit pleſti, easque, quas iuſtè promeriti ſunt, pœnas pendere: fieri nullo modo poteſt, vt iuſtæ huic voluntati ſeſe opponant illi, & voluntatis nihilominus iuſtitia, & reſtitutionem obtineant. Sed neque ſapientis quoque eſt, illud refutare, citra quod finem, in quem fertur, conſequi ſe nō poſſe certò nouit: Atqui purgatorij hospites in Deo ſunt ſapientes, oppidoq; intelligūt ſe citra eiufmodi cruciatus ad cœleſte regnum pertingere nō poſſe. Non ergo deliberata voluntate eiufmodi pœnæ obnituntur. Deniq; verè poenitētis eſt, iuſtitia læſæ velle ſatisfacere, quocunq; tandem modo id fiat: Sed quotquot in purgatorio ſunt, omnes verè poenitentes, verèque patientes ſunt: non ergo recalitrant eiufmodi pœnæ, diuinæque ordinationi.

Verùm enim uerò licet eiufmodi crux ſit voluntaria, nō co tamen modo hoc eſt, quo vitæ huius poenitentia, aut Martyrij pœna: neq; enim à volūtate imperatur, neq; ſimpliciter quoque ab eadem acceptatur, ſed patiēter ſolūm toleratur. Malent nanque ab ea liberi eſſe, ſi res ferret. Verùm quia aliter fieri nequit, quod euadere non poſſunt, æquabili animo ſubeunt. Hęc autem qualiſcunq; pœnarum deprecatio, neq; charitati ſecundūm ſe aduerſa eſt, neq; vlllo quoq; cū vitio cōiuncta eſt. Nam præterquā, quòd in altero ſeculo nouo merito nullus ſit locus, nulla quoq; pœna, cū ſit malum quoddā, ei præfertim, cui adfertur, per ſe expeti ſolet, ſed tantūm per accidēs, quatenus nimirū per illam tanquā per cauſam ad bonū aliquod aliqui indebitū peruenitur; vel certè quia citra illā ad bonum aliquod ceteroqui indebitū perueniri nō poteſt. Inter prioris ordinis voluntaria Martyrium continetur. hoc enim magni cuiuſdam boni per ſe cauſa eſt. Inter poſterioris aut purgatorium, mors, & alia quædam his cognata. per hęc nanq; peruenitur ad cœleſte regnū, cuius tamen cauſæ non exiſtunt. Neq; enim mors ſecundūm ſe conſiderata, aut purgatorium augēt meritum, vt Martyrium, aut volūtaria ſatisfactio, aut monaſtica vitæ profeſſio. Quam ob rem, & citra mortē, & citra purgato-

Purgatorij
pœna non eſt
abſolutè vo-
luntaria.

gatorium quoque ad cœleſte regnum transmittere optare licet, quia nihil boni eſt in vtroque. Verùm eſi quis ſalute potiri queat citra Martyrium, voluntariè ve paupertatis crucem: poteſt tamen vtrunque exoptare, quia vtrunque magnum ſecum commodum adfert. Inter cætera autem, quæ ſub conditione in appetitum cadunt, vel per accidēs voluntaria ſunt, minus voluntarium eſt purgatorium. Nemo enim illius vinculo conſtringitur, qui ex animo ab eo abſolui non deſideret, quique citra vllum peccatū deſiderare id non queat. Nam vt graui morbo preſſo, & citra vitiū, & citra vllam impatientiæ notam, ad ſanitatis beneficium aſpirare licet, cuiusque recuperandæ cauſa quiduis, quod legi diſſentaneum non ſit, pertentare: ita iuſtorum animis ſalua patientia, diuinæque amicitia integra, ab immanibus illis ſupplicijs liberari, Chriſtoque Redemptori in cœleſti patria cōiungi ardentè deſiderare fas eſt.

Quòd autem, qui in purgatorio exiſtunt, neque per patientiam mereri, neque per impatientiam nouo peccato queant conſtringi, id operoſa probatione nulla indiget. Nam ſi merendi locus in purgatorio ſuper-eſſet, animæ, quæ ibi expiantur, de ſua ſalute certè non eſſent. Quæ enim in gratia diſceſſiſſent, in peccatum prolabi poſſent, & per cōſequens damnari, quod eſt abſurdum. Adhęc, ſi nouo merito, vel peccato iſtic locus foret, gemino vtique priuato iudicio opus eſſet: Altero ſtatim poſt mortem, altero cū iam de purgatorio exeundum eſſet, de hoc autem ſecundano iudicio nihil auditum eſt vnquam. Præterea ſi ij, qui in purgatorio multātur, poſſunt adhuc mereri, multò magis id poterunt, qui iam triumphant cum Chriſto in cœlo: cū hi illis multò melioris conditionis exiſtant. Quin & ijdem quoque peccare adhuc poterunt: ſiquidem ordinaria lege eiufdem eſt benè & male facere, præmiū & ſupplicium mereri. Denique ſtatuerè meritum poſt hanc vitam, vt Lutherus, cū furere initio cœpiſſet, ſtatuebat, nihil aliud eſt, quàm ineptire, diuinarumq; Scripturarum authoritati impudenter ſeſe opponere. Extant nanq; plurima Scripturæ teſtimonia,

In purgato-
rio nouo pec-
cato aut me-
rito nullus
eſt locus.

monia, quæ meritum omne post hanc vitã disertis verbis negant. Nec enim aliò tendit illud Salomonis: Vbiunque ceciderit lignũ, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi manebit. & illud eiusdem: Operare iustitiam, quoniam apud inferos nõ est inuenire cibum. & illud ibidem: Ne verearis vsq; ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in eternũ. & illud: Antemortem cõfiteri. A mortuo enim quasi nihil perit confessio. & illud Esaię: Non infernus cõfitebitur tibi, neq; mors laudabit te. & illud Christi: Venit nox quando nemo potest operari. & illud Apostoli: Vnusquisque recipiet propria corporis, prout gessit. Ergo extra corpus nullum est meritum. omittimus alia id genus complura: Ex Scripturis itaque planum est nullum post hanc vitam merendi spatium reliquum esse.

Scripturis magno consensu & numero astipulantur veteres Ecclesię doctores. Gregorius: In Euangelio dicit Dominus, *Lib. 4. 39. Di-* *alog.* *Ioan. 12.* *Esa. 49.* *2. Cor. 6.* *Eccles 9.* *Ad Psal. 35.* *Romil. 55. in* *Ioan.* *Traçt. 44. in* *Ioannem.* *hoc*
 » Ambulate dum lucem habetis. Per Prophetam quoque ait,
 » Tempore accepto exaudiui te, in die salutis audiui te. Quod
 » Paulus Apostolus exponens dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Salomon quoque ait, Quodcunque
 » potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus nec
 » ratio est apud inferos, quò tu properas. Dauid quoq; ait, Quo-
 » niam in seculum misericordia eius. Ex quibus nimirũ constat,
 » qualis hinc quisq; egreditur, talis in iudicio præsentatur. Ori-
 » genes: Saluator noster ait, Venit nox in qua nemo operari
 » potest. Hoc dixit de illo tempore, quod erit post hoc seculum,
 » tempore quo vnusquisq; recipiet pœnas. Tunc ergo dicit no-
 » ctẽ illam futuram, cum iam nemo potest operari aliquid, sed
 » vnusquisq; pascitur tũc ex operib. suis, quę hĩc positus opera-
 » tus est. Chrysost. Dũ hæc durat vita, laborandũ est. Venit nox,
 » hoc est, futurũ tẽpus, quãdo nemo potest operari. & infrã: Chri-
 » stus noctẽ futurã appellat tẽpus, quãdo peccatores nihil operari
 » poterũt, q in hac vita tantũ habẽt tẽpus credẽdi, & nusquã alibi
 » possũt p̄ficere. August. Opetur homo, dũ viuit, ne illa nocte,
 » hoc

hoc est, morte præueniatur, vbi nemo operari potest. Fac igitur, dũ viuis, quod facturus es. Hieronymus: Tẽpus sementis, tempus præsens est, & vita, quã currimus: in hac licet seminare, quod velimus. Cũ ista vita transierit, seminandi tempus auferetur. Euthymius: Operandum est, donec dies, hoc est, donec præsens seculum durat, donec vita hæc cõsistit, donec hominibus operari conceditur. Venit nox quando nemo operari potest. Ambrosius exponens illud Apostoli, Dum tempus habemus operemur bonũ. Tẽpus, inquit, idcirco nobis conceditur, vt iam iustẽ versẽmur. Oecumenius: In hac vita tempus est operandi, in futuro verò non ita. Similia cõperies apud Theophylactum, & alios Scripturarum interpretes. *Cap. 6. ad Galat.* *Cap. 9. Ioan.* *Gal. 6.* *Ad eundem locum.*

Rationes & argumẽta, quibus eadẽ hæc veritas firmari poterat, tanquã minũs necessãrias, missas hĩc facio. Verũ earũ loco eas in mediũ adferre, easdemq; diluere lubet, quibus Lutherus oppositũ aliquãdo persuadere conatus fuit. nam postea in ea sententia non persistit. Argumentatur is autem in hunc modum: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Ergo purgatorij cruciatus iustis, qui vtique Deum diligunt, cedunt in meritorum augmentũ. Adhęc, Virtus in infirmitate perficitur, Ergo in purgatorio, vbi maxima obtinet infirmitas, crescit charitas. Tertio, Stare in via, est retrocedere: purgatorij autem incolę adhuc hærent in via, vt qui & charitate sunt ornati, & ad beatã vitã portũ nondũ appulerint. Quarto, Gratiam in esse gratię conseruare, est ipsam magis magisq; subinde intendere, ac firmare: Siquidem rei conseruatio est continua quãdam eiusdem productio. Quinto, Iusti post hanc vitam accipiunt iustum eorum operum & meritorum incrementum, quod antea propter conatus remissionem, vel alium obicem non acceperunt, Ergo in meriti ratione crescũt. Sexto, Animæ in purgatorio, quod iuxta eundem Lutherum aliud nihil est quã pœnarum metus, horrent pœnas, & affectant requiem, & per cõsequens magis quærũt, quæ sua sunt, quã quæ sunt Iesu Christi, Ergo peccant, ergo pœnam me-
 kkk 3 ren-

rentur. Septimò, Si purgatoriū esset tantūm poenarū officina, deberet punitoriū potius appellari, quā purgatoriū, Est ergo aliquid eo amplius. Denique, secundūm Gregorium & alios nonnullos; quādā minuta peccata etiā post hanc vitā remittuntur. Ea autem remissio, citra nouam grātiā contingere nequit, Ergo in altera vita aliquis quoq; nouo merito locus existit. Hæ præcipuæ sunt rationes, quibus Lutherus euincere nitentur, animos in purgatorio detentos mereri adhuc posse.

His & illas adijcere quoq; licet, quibus pauci quidā ex nostris aliquod accidentarium meritum istic statuere contendunt. Negari non posse, inquiunt illi, quin omnes & singuli, quotquot in purgatorio detinentur, absolutionē à poena promereantur: quosdam quoq; promeritarum poenarum præcisionem, vel integram quoque condonationem. Merentur ijdem quoque exaudiri, dum pro nobis orant: orare autē interdum pro ijs, qui etiamnum peregrinantur in terris; ex posteriori Machabeorum libro, & Euangelio liquet. Si enim diuēs Epulo, æternis supplicijs mancipatus, pro fratru suoru salute orat, cur illi id omittat, qui charitate feruent? Adhæc quicquid in ratione meriti possunt beati, hoc ipsum possunt & purgatorij quoq; inquilini: Sunt enim hi æquè charitate præditi, ac illi; magisque in via, quā illi, constituti. Beatis autē nihil deesse videtur, quò minus mereri queant: Nam si quid illis deesset, Christus Dominus, qui à primo ortus sui articulo beatus fuit, mereri nō potuisset: neq; Ecclesia, quò petita obtineat, Sanctorum merita allegaret. Præterea plus est, miracula edere, quā mereri: Sed quædam animæ etiam in purgatorio existentes miracula edidisse leguntur. Denique non videtur veniale peccatum citra aliquam meriti rationem condonari in altera vita posse. His præsidijs nituntur, qui accidentarium meritum vrgent: sed sunt hæc omnia infirma & leuia.

Ad primam Lutheri cauillationem respondetur, Apostolum ex instituto de ijs ibi loqui, qui etiam in hac vita versantur. Illis enim omnia vertuntur in bonum, etiā ea, quæ interdum

dum contra se petunt. Quòd si omnibus Deum diligentibus omnia absolutè verterentur in charitatis incrementum, beati omnes, qui ardentè ac constanter Creatorem suum diligūt, crescerent in immensum. Sed neque viucentibus quoque & amantibus omnia semper vertuntur in bonum, hoc est, in obtentibus boni augmentum: Peccatum enim non auget bonum possessum, sed bonū tantūm olim possidendū, & id adhuc per accidens. Denique simpliciter concedi potest, quicquid iusti in purgatorio tolerant, id totum illis verti in bonum: nō quidem in augmentum charitatis, sed ad liberationem à poenarū debitis, quibus tenebantur obstricti. Ad id quod de virtutis incremento propter infirmitates obijciebatur, dici potest, sermonem hīc esse de virtute Christi, non de cuiusuis iusti fortitudine. Sed & cuiuscunq; iusti quoq; virtus in infirmitate perficitur, illustriorque redditur. Adde his, Apostolum non loqui de ijs poenis, quæ extrinsecus inferuntur, sed de humanæ carnis infirmitate, quæ per tētationes exploratur, & per pugnam, dum viriliter resistit, confirmatur. Quòd si id, quod dicitur, ad poenas vel cruces referre lubeat: nō ad purgatorias poenas referri debet, sed ad præsentis vitæ misérias, quæ utique nō solū probant & exercent, sed exercitando quoque & probādo confirmant.

Cū verò addunt, In charitatis via stare, aliud nihil esse, quā retrocedere: nihil addunt, quòd nouo merito in altera vita patrocinetur. Nec enim vlla omnino extat ratio, quæ grauius probet; aut Scripturæ, vel Patrum autoritas, quæ validè confirmet, iustos semper deficere, si continuos progressus non faciant. Quandoquidem homo tum demum deficit, cū lege aliqua, vel præcepto procedere tenetur, & non procedit. Sed hoc præceptum non semper vrget. Animæ autem in purgatorio nō sunt in via progrediendi ad auctius meritum, sed tantūm in via soluendi, & in hac vnquam non progrediuntur. Sed nec charitas quoque est via, vel stadium, in quo iustū semper procedere oporteat, vt isti dicunt, alioqui beati procederent

Peccati per
accidens ele-
ctis coopera-
tur in bonū.

rent in infinitum. Via autem, præfens est vita, in qua, ut paulò antè probatum est, aut statur, aut itur, aut curritur, aut retro- ceditur.

Ineptius est, quod de gratiæ conseruatione allegant. Nam si idem esset gratiam conseruare, quod gratiam augere, gloria iam olim donati crescerent in immensum, essetque hac ratione gratia Abelis multò maior, gratia Ioannis Baptistæ, aut Virginis matris. Imò omnes creature, quæ constant, dum constant, vel perstant, semper crescerent, & nunquam decre- scerēt, aut à sua perfectione deciderēt: quæ omnia sunt absur- da. Ad quintum respondetur, charitatem post hanc vitā non augeri, sed si augetur, tantum secundum præteritæ vitæ meri- ta augeri. Hactenus tamen augetur, quia confirmatur, vsuq; perpetuo & continuo illustratur. Nunquam enim charitas Dei in futuro secundo abrumptur, aut interrumpitur. Sed ne- que purgatorius quoque ignis fidem, spem, charitatem, cæ- terasque virtutes perfectiores reddit secundum naturam, vel quantitatem: dicitur tamen illas perficere, quia imper- fectiones quasdam, quæ illis adhibebant, abstergit.

Sextum argumentum tot ferè continet errata, quot verba. Primò enim falsò assertitur aliud nihil esse purgatoriū, quàm poenarum metum. Timor enim est expectatio malorum fu- turorum, non detestatio, vel abominatio præsentium. Adhæc anima poenas purgatorij non horret, sed quò diuinæ iusti- tiæ fiat satis, sibi que aditum ad cælum muniat, placidè eas to- lerat. Neque si poenas metuerent animæ, ideo etiam peccarēt. Naturale est enim, formidare poenas: & Christus ipse crucia- tus timuisse legitur, & eos quidem, quos Deus volebat eum pati. Sic ubi autem scriptum, vel assertum extat, solum Deum timendum esse, id eo sensu accipi debet, quo dicitur solum Deum amandum esse, nempe præ omnibus aut super omnia.

Sed & ineptum quoque est dicere, Animæ in purgatorio exi- stentes anhelant ad requiem, ergo peccāt. Nam Sancti omnes ad eam requiem anhelant, & quò sanctiores sunt, eò magis anhe-

anhelant, & tamen ob id non peccant. Denique si animæ ideo peccarent, quia poenas timent, & ad requiem anhelant, nun- quam purgatorium desererēt. Illud enim desiderium eas sem- per comitatur.

Ad septimum tamē argumentū, si hoc nomine dignū est, re- spondetur, & purgatorium, & punitorium dici posse, sicut utrunque re ipsa quoque existit, rectius tamen purgatorium, quàm punitoriū vocari: tum quia Patres & veteres Scripto- res hoc nomine designarunt, illo minimè: tum rursus, quia si punitoriū appellaretur, ab inferno, quod quidem ad nomi- nis rationem attinet, non secerneretur: tum denique, quia de- nominatio cuiusque rei à fine solet peti. finis autem purgatorij non est poena, sed purgatio. Ad postremū dicitur, falsum esse, peccatū veniale citra nouæ gratiæ infusionē non posse remit- ti: potest enim solo charitatis actu relaxari, & sæpe relaxatur. Verum de modo, quo peccata venialia remittuntur, actum est iam antè satis fusè. Quauis ergo iustorum animæ in purga- torio satisfaciunt, vel satisfatiantur, nullum tamen nouum meritum sibi comparant.

Ad meriti porro accidentarij assertionem quod attinet, li- cèt ea non sit in fide erronea, est tamen peregrina, neque que publicè doceatur satis quoque idonea: Tum quia Scriptu- re & Patres, quorum supra meminimus, alterius vitæ meri- tum absolutè negant. Tum rursus, quia viuus vitæ defun- ctis præiudicialis est non parum: Si enim persuasum esset po- pulo, qui in purgatorio detinentur, & se ipsos, & alios quoque iuuare posse, de ope per suffragia illis præstanda, de que veni- alibus vitandis, mortaliumque reliquijs exhauriendis parum anxij essent. Cogitarent enim per intensum fidei, spei, vel cha- ritatis actum facile istuc induci, redimique posse. Tum deni- que, quia rationes Scholæ magna consensione hanc opina- tionem impugnant, rationesque paulò antè adductas tan- quam inualidas repudiant. Mitto hinc defunctorum spiritus, qui ad viuos quandoque redeunt, viuentiumque suffragia so-

licitè ambiunt, factò huic sententiæ apertè reclamare. Nam si seipfos iuuare possent, non tam ardentè lamentabiliterque viuorum suffragia expeterent. Sed ad argumentorum solutionem.

Ad primū respōdetur, per poenas & cruciatus contracta in uiuis debita in purgatorio posse dissoluere, id ad nouū aliquod meritū nō pertinere, sed ad vetus, vel iam antè conflatū. Nam hoc ipso, quòd gratia ornati hinc decedunt, qui per ignem illum emendatorium expientur apti sunt. Eodem quoque è fonte dimanat, quòd alij alijs citiùs liberantur. Nam quidam in humanis adhuc agentes, sua deuotione, & erga defunctos pietate id promerentur, vt per aliorū suffragia post mortem, vel totius, vel partis poenę relaxationem cōsequerentur. Porro autē an in purgatorio existentes proijs orēt, quorū suffragijs potiuntur, vel etiam pro alijs, id incertum est. Communis doctorum hominum sententia in partem negantem magis propendet: sed & opposita quoque non absq; probabili ratione defendi potest. Verūm siue pro se tantūm, siue pro alijs quoq; preces fundant, & impetrent, non ob id tamen nouum aliquod meritum comparant. Siquidem impetratio illa gratia & liberalitate concedentis nititur veriùs, quàm merito supplicantis: quanuis & illo ipso quoque nitatur, sed non nouo, vel per eiusmodi preces iam tum primū comparato, verūm iam antè, dum in uiuis adhuc agerent, conquisito. Quo ipso quoque merito nitebatur oratio Oniæ & Hieremiæ, quorum in posteriori Machabæorum volumine fit mentio. Diuitis Epulonis precatio, precationis nomen non merebatur, vt quę aliud nihil foret quàm vanum quoddam desiderium ex proprio amore natum.

Secundum argumentum vtrinque falsum est. Nam neque beati ampliùs mereri possunt; neque, si hi id queant, ideo illi quoque, qui in purgatorio detinentur, id poterunt. Nam etsi hi illis à termino magis distent, sunt tamen potioris condi-

tio-

tionis isti, quàm illi, vtpote actu iam possidentes, quicquid desiderant & optant. Vtrique tamen extra merendi statum existunt. Quòd si felices animæ haberēt omnia ad meritum absolute necessaria, non solūm accidentalī præmio augeri possent, verūm etiam essentiali. Christus Dominus autem absolute mereri poterat, vt qui vnus inter omnes, qui vnquā fuerunt, vel erunt, simul viator & compræhensor esset. Nunc autem, quòd secundū nullam sui partem ampliùs viator existat, nihil quicquam vltèrius meretur, sed propter præcedentia merita donat & impetrat, quicquid visum fuerit. Idem & de hominibus sanctis gloria coelesti iam donatis suo quoque modo dici potest. Nam & ipsi quoque propter heroica facta, quæ in vita designarunt, nunquam repulsam patiuntur, quodcunque demum absolute petierint: & ad hæc merita respicit Ecclesia, dum suis precibus Sanctorum merita interponit.

Ad penultimum argumentum respondetur, non plus esse, <sup>Maius quid-
dam est, sibi</sup> miracula patrare, quàm sibi, vel alteri bonum aliquod super-<sup>vel alteri
mereri, q̄
signa pa-
trare.</sup> naturale promereri. Quippe cum impij, & peccatores quoq; vaticinari, & signa patrare queant, sibi autem, aut alteri mereri nequaquam. Sed & illa ipsa quoque miracula, quæ quidam in purgatorio existentes edidisse leguntur, non erāt noua merita, sed anteactorum meritorum præmia. Ad postremū iam antè responsum est, siue per primum charitatis actum delectantur venialia, siue per poenę acceptationem, siue per eiusdem quoque perpeffionem, siue per aliud quodcunque eiusmodi. nam non satis constanter, nec satis quoque concorditer hac de re differunt Scholæ Theologi. Tota tamen ea remissio contingit virtute gratiæ, quæ mortem antecesserat, morientemq; ad finem vsque comitata fuerat. Nihil sunt ergo, quæ de accidentarijs meritis post hanc vitam adferuntur.

Cæterū vt grauitè hallucinati sunt, & hallucinantur, qui animas in purgatorio detentas labi, aut quicquā omnino mereri posse opinantur; ita foedè quoque impingūt, qui eas-

deum de salute sua incertas esse commenti sunt, vel etiamnum comminiscuntur. maximè verò, si de eo id statuunt, quod communi lege contingere consuevit: nam de casibus extraordinarijs & peculiaribus certæ leges, aut regulæ tradi non possunt. Sed neque audiendi hîc quoque sunt, qui quosdam poenarum acerbitate ita absorberi & quasi mente abalienari tradunt, vt planè vbi sint, quid sint, aut quo in statu sint, vix intelligant. Etenim cum eiusmodi grauissimis poenis pateant, neque Deum secùs quàm anigmaticè præsentem adhuc habeant, facile animaduertunt se verè illius felicitatis etiam nunc expertes esse. Rursum cum suum iudicem diligant, de què illius misericordia, vt hîc ponimus, benè sperent, & extra damnatorum coetum, & sensum se positos videant, se reprobi illius gregis partem non esse haud difficulter colligunt. Scelerati enim Deum iugiter blasphemant, nec vllam de illius misericordia omnino spem habent. Denique cum nullius interni externiue sensus ministerio vtantur, & corporis mole se exutos non ignorent, perfacilè intelligunt viatorum statum & ordinem se iam deseruisse. Neutiquam ergo probabile sit, vllas omnino, ordinaria saltem lege, aut de sua salute, aut de suo quoque statu vel conditione incertas esse.

Et quanuis id apud prudentes quæstionem non habeat, attamen propter quosdam simplices, & nonnullos quoque pertinaces, paucis quibusdam Scripturarum autoritatibus, & Scholæ rationibus probare adhuc lubet. Scriptum est: *Audiui omnem creaturam, quæ in cœlo, & quæ super terram, & quæ subtus terram, dicentem: Benedictio, & honor, &c. Atqui damnati sub terra, Deum non laudant, nec honorant, sed conuicijs & maledictiis insectantur. Exponendum est id ergo de iustis in purgatorio detentis. Quòd si talismodi Deum benedicunt, & inuocant: ergo de sua salute non diffidunt, neque de status sui ratione ambigunt. In eodem libro beati prædicantur, qui in Domino moriuntur.*

Apoç. 5.

„ *tat ergo: Audiui omnem creaturam, quæ in cœlo, & quæ super terram, & quæ subtus terram, dicentem: Benedictio, & honor, &c. Atqui damnati sub terra, Deum non laudant, nec honorant, sed conuicijs & maledictiis insectantur. Exponendum est id ergo de iustis in purgatorio detentis. Quòd si talismodi Deum benedicunt, & inuocant: ergo de sua salute non diffidunt, neque de status sui ratione ambigunt. In eodem libro beati prædicantur, qui in Domino moriuntur.*

untur. At quomodo, aut spe, aut re sunt beati, si de sua salute, vel statu non sunt certi? Quòd ij autem, qui in purgatorio existunt, in Domino mortui sunt, patet. Nam si in illo mortui non essent, in purgatorio non agerent: nec spes illorum immortalitate plena esset: nec Dominus eos vigilantes comperisset. Denique in morte cuiusquè exercetur priuatum vniuscuiusque iudicium: Per hoc autem animæ cuique planum fit ad electorum ne coetum pertineat, an ad damnatorum massam. Fieri ergo nequit, vt in purgatorio sit quispiam, & tamè de sua salute, vel statu non sit certus. Quòd autem iudiciū illud statim exerceatur post mortem, id fatentur omnes, & iam antè ostensum est fusè, & ratio id euincit. præposterum enim foret hominem prius punire, & postea iudicare.

Confirmant eandem rem & publicè quoque preces, publicæ quæ Ecclesiæ autoritas: confirmant defunctorum spiritus, suffragiorum causa ad eos, qui in hoc seculo adhuc versantur, interdū remeantes: confirmant veteres Theologi, & Scholæ Patres ad vnum omnes: confirmant tandem multæ validæ & efficaces rationes. Primò nanque vt animæ à corpore seiuicæ similem cum Angelis existendi, ita parem quoque cum iisdem intelligendi modum sortiuntur: atqui Angeli cognoscunt seipsos, & quicquid in seipsis actu vel habitu existit. Cum ergo eiusmodi animæ gratiam infusam habeant, faciliè peruident, fide, spe, charitate, ceterisque virtutibus, quæ ex gratia dimanare solent, sese exornatas esse. Adhuc animæ fidem, quam in hac vita de purgatorio habuerunt, in altera vita non amittunt: sed hîc constitutè certò credunt, quotquot in purgatorio plectuntur, de salute sua certas esse. Tertio exploratè nôrunt se ad finem vsque in gratia perseverasse, Austrumque versus cecidisse: Tum in inferno, neque salutem, neque vllam salutis spem esse; se autem vitam æternam sperare certa experientie fide deprehendunt. Deniq; Spiritus Dei, qui in ipsis existit, dat testimonium, quòd sint filij, & per consequens, quòd non perpetuò hèrebunt in illis tormentis, sed ad tempus tantum.

Animæ in purgatorio de sua salute sunt certæ.

Act. 18.

Act. 23.

Habent itaque animæ in purgatorio herentes de sua salute & gloria certitudinem fidei, habent certitudinem scientiæ vel quidentie: Cernunt enim fidei, spei, & charitatis habitus intra se existentes. Habent certitudinem experientie de eisdem: Experiuntur enim se amare, credere, sperare. Habent certitudinẽ specialis reuelationis: Dubium enim nullum est, quin Angeli custodes clientulos suos interdũ solentur ac visitent, eosq; de suo statu certiores faciant. Habent tandẽ certũ Spiritus sancti testimoniũ, qui intra ipsos loquitur. Cũ igitur ijs omnibus certitudinis gradibus & modis nitantur, mirum est quid Luthero in mentem venerit, vt de eiusmodi animabus oppositũ effunderet. Ait enim: Animæ in purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem omnes. Nec probatum est vllis, aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merẽdi, aut augendæ charitatis. Huic articulo subiũgit alterum æquẽ insulsum, paulò antè à nobis refutatum. Animæ, inquit, in purgatorio peccant sine intermissione, quandiu quærunt requiem, & horrent poenas.

Sed allegant híc quidam: Cũ idem sit inferni & purgatorii ignis, eademque vtrobique poenæ, & idem fortassis locus: quomodo iustorum animæ deprehendunt se purgari, & non æterno igni torqueri? Sanè hoc non deprehendunt ex loco, aut ignis natura, nec ex poenarũ quoque dissimilitudine. Vtrobique enim est poena damni & sensus, & vtraque vtrobique acerbè cruciat, licèt non ex æquo: Grauius enim torquentur, qui grauius peccarunt, non solũ sensus poena, vt fatentur omnes, sed poena quoque damni. Nam hæc quoq; grauius eos vexat, qui propter maiores noxas, vitæ æternæ iacturam fecerunt. Aliàs nanque infantes non regenerati æquẽ torquerentur atq; scelerati, quod vanum & falsum est. Cognoscunt autẽ id ex ijs, quorum supra meminimus. Nec enim illi Deum odio habent; neque eundem, vt scelerati, blasphemant, sed amant; nec salutem desperant, sed vitam æternam certò sperant: nec auersantur poenas vt iniustas, sed complectuntur tanquam iustas;

stas, amantque diuinam iustitiam, quam damnati capitaliter oderunt. Nec diu exantur à dẽmonibus, vt damnati: vt quos in supremo illo conflictu superarunt. Possèt tamen Deus, si vellet, iustos æquẽ punire post hanc vitã per dæmones, sicut multos sæpe in hac vita per illos punit. Verũ an hæc sua potẽtia híc vtatur, dubium est: Quidam affirmant, & quibusdam quoque exemplis, priuatisq; visionibus confirmant: potior tamen & nobilior Theologorum pars negat.

Vrgent & quorundam quoq; spirituum exempla, qui de sua salute non satis se certos esse quibusdã indicarunt. Verũ ad hoc responderi potest, eiusmodi spirituum sermones, vt & eorundem quoque reditiones, non certa semper fide niti. Sæpe enim sunt mera somnia, puraque inimici commẽta. Præterea si quid huius verè quandoque accidit, vt fortè accidit, præter communem legem id accidit: Nos autem de eo híc agimus, quod fit ordinariè. Denique triplex assignari solet salutis certitudo, & triplex rursus eiusdem incertitudo: Vna patriæ, quæ excludit omnem formidinem & expectationem. Altera viæ, quæ includit formidinem. Est enim certitudo hæc eorum, qui etiamnum versantur in pugna, cuius victoria plerunque est anceps & incerta. Tertia inter vtranque media. Hac potiuntur, qui in purgatorio detinentur: Siquidem hæc ita omnem damnationis formidinem excludit, vt tamen beatitudinis expectationem necessariò includat. Ne enim illi adhuc peruenerunt ad palmam, sed per tormenta ad illam contendunt. Nec omnes fortè compertum habent, quando tandem eò venturi sint. Ad hanc autem certitudinem eos spectasse verisimile fit, qui de salutis suæ incertitudine concionati sunt. Neque enim necessarium est, vt omnes exploratum habeant, quãdo coelesti gloria potientur. Quidam nanq; ita per contritionem ad Deum conuertuntur, vt tamen diris, & diuturnis supplicijs examinentur.

Triplex salutis certitudo.

Objiciunt postremò Ecclesiam in defunctorum commemorationibus dubitantis personam passim assumere. Canit enim:

» enim: Circundederunt me dolores mortis, pericula inferni
» inuenerunt me. Rursum: Domine Iesu Christe libera animas
omnium fidelium de pœnis inferni, & de profundo lacu, li-
bera eas de ore leonis, ne cadant in obscurum, sed signifer san-
ctus Michael representet eas, in lucem sanctam. Tandem: Ab-
solue Domine animas omnium fidelium defunctorum, vt gra-
tia tua illis succurrente, mereatur euadere iudicium ultionis.
Hæc autem & alia eiusmodi cōplura, quæ in funebribus pre-
cibus non infrequenter occurrunt, innuere videntur animas
in purgatorio de salute sua incertas esse. Nec enim probabile
fit Ecclesiam ex instituto pro illis orare, qui sunt in inferno.

Ad has precandi formulas, sententiolasq; ex Psalmis, alijs-
que Scripturæ locis petitas, dici solet, & iure quoq; dici potest,
non ad statim ad viuum resuscandum esse, quod Ecclesia ex hoc,
vel illo Psalmo mutuatum viuorum vel defunctorum quoque
spiritibus accommodat. Sat est, si ad aliquem bonum ac tolera-
bilem sensum, quod allegatur, accommodari queat. Sæpe nan-
que propter unum aliquem versiculum, qui cum aliqua virtu-
te, vel cōditione viui vel defuncti cognationem habet, totus
Psalmus, vel totus aliquis Scripture locus, in Ecclesiasticum
usum transfertur. Dicuntur ergo animæ turbari propter gra-
ues purgatorij cruciatus, non quod desperent, sed quod di-
ram pœnam sentiant. Sic purgatorium inferni & inferorum no-
mine designatur, nō solum propter loci cognationem, verum
etiam propter pœnarum similitudinem: Ad preces porrò Ec-
clesiæ generatim responderi posset, non oēs ad Scholæ amuf-
sim cōpositas esse, & quasdam ex illis usu veriùs diuturno re-
ceptas esse, quàm publica Pontificis, aut œcumenici Concilij
authoritate approbatas. Verum quia nullæ ex omnibus tam
impropriæ sunt, quæ ad verum & proprium aliquem sensum
trahi non queant, tolerantur illæ quoque ad deuotionem fide-
lium excitandam, quæ minùs alioqui propriæ sunt, aut minùs
rectè sonare videntur. Inter quas reijcere fortè licet hæc cita-
tas, & alias quasdam similes.

Cæte-

Cæterum dum Ecclesia orat, Libera eas Domine de morte
æterna, aut de lacu inferni, aut de ore leonis, aut de iudicio ul-
tionis: nequiquam significare vult vllam omnino apud infe-
ros redemptionem esse; vel eos, qui in purgatorio detinentur,
in salutis discrimine constitutos esse, absit hoc. Orat autem mi-
sericordiarum patrē, vt is pro sua immensa benignitate & mi-
sericordia omnium piè defunctorum misereatur, ne purgato-
rium, quod propter ingentem pœnarum acerbicatem, locique
& ignis identitatem, & tartarus, & infernus, & os leonis, & la-
cus profundus, & porta inferorum, & alijs eiusmodi com-
pluribus nominibus appellatur, eos absorbeat, aut in obscura
prolabi sinat, hoc est, eò iam loci prolapsos ac demissos diu
multumque ibidem detineat. Siquidem pertinax illa detentio
iuris interpretatione quedam continua absorptio, vel demer-
sio censeriqueat.

Hæc tamen interpretatione, tametsi commoda, eorum ex-
positioni nihil derogatum volumus, qui eiusmodi precandi for-
mulas, quanuis generales, non generatim tamen ad omnes
referri volunt, sed ad eos solum, quorum iudicium adhuc pen-
det. Nam quorundam iudicium ad tempus differri, suspendi-
que posse, ne ipse quidem Lutherus inficiatur. Scribit is autem
ea de re in hunc modum: Quando incertos nos reliquit Deus,
quæ animarum sit conditio, & incertos nos esse oporteat, quic-
quid cum illis agat Deus; nec volumus, nec possumus vetare,
aut peccato imputare, si qui pro illis orant. Siquidem ex Euan-
gelio docemur, plerosque mortuos resuscitados esse, qui ta-
men (fateri enim id cogimur) finale iudicium nondum rece-
perant. Ideo nec de quoquam certi esse possumus, cum finale
iudicium recepisse. Id quia incertum est, nec constat sit ne ani-
ma suo iam condemnata iudicio, peccatum non est, si pro ea
ores. Sed ita, vt de re incerta certam non facias, sed dicas: Do-
mine, si ea est huius animæ cōditio, vt iuuari queat, oro vt pro-
pitius & misericors sis illi. Hæc Lutherus. Et hæc hæctenus de
purgatorij cruciatibus, cæterisque, quæ cum his cognationem

m m m habent.

Ser. de diuine
Epul.

habent. Proximum nunc est, ut de modis quoque, vijsque, & rationibus, quibus fidelium animæ ex tantis illis pœnis erui, liberarique queant, ex instituto agamus.

Viuorum suffragia piè in Christo defunctis ad pœnarum mitigationem, vel ad integram quoque earundem condonationem prodesse.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.



Vffragiorum nomine non politicam aliquam *ψυροφορία*, aut Ecclesiasticam *χειρονομία* hoc loco accipimus; sed quoddam spirituale præsidium, quod per modum satisfactionis, vel intercessionis, vel certè per viam suffragij, mystici corporis membra æternæ salutis causa sibi inuicem impertuntur. Nam quod æternæ salutis causa, vel per modum satisfactionis, vel intercessionis non impenditur, esto secundum se spirituale existat, illud propriâ suffragiorum vim nō assequitur. Pari modo quamuis spiritalia alicui impendantur, & salutis causa, & per modum satisfactionis, vel intercessionis impendantur; attamen si is, cui isthæc impendantur, Christi membrum esse desijt, perfectam suffragiorum rationem non sortiuntur.

Hæc autem mutua operum spiritaliumque beneficiorum *κοινωνία* non solum utilis, naturæque nostræ conditioni consentanea, (sibi nanq; isthæc per se in omnibus sat esse nequit) sed diuinarum quoq; literarum exemplis, & testimonijs insigniter

Cap. 3. 22 nobis cōmendata est. Orate pro inuicē, inquit frater Domini, ut saluemini. Et alius rursus eiusdē magistri discipulus:

Gal. 6. 22 Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi. &

2. Cor. 12. 22 illustri exēplo rei huius vsū ac necessitatē ob oculos ponēs, alio loco ita ratiocinatur: Pro se inuicē sollicita sunt membra.

22 Et si quid patitur vnum membrū, compatiūtur omnia mēbra, siue

siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. & ante hunc locum: Corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo nō est de corpore? Si totū corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Hoc Apostolus de membrorum inter se communione ad rem, de qua hīc agimus, apposuit. Nam etsi viui vitaque defuncti externis officijs inter se communicare non valeant, (Neque enim vita defuncti cibo egent, aut potu, aut veste, aut tecto, aut alio eiusmodi; neque hæc illi suppeditare possunt viuis) internis tamen & spiritualibus communicare inter se possunt.

Verum enimverò licet paradigma, quod ab humani corporis partibus desumptū, Apostolus huc transtulit, appositum sit; attamen, ut cæteræ similitudines solent, nō per omnia conuenit. Intercedit enim inter hoc & illud discrimen non prorsus contemnendum. Etenim in omnibus physici corporis partibus vna duntaxat vita existit, sicut vna quoque in eisdem existit anima: quæ vita à corde, vel capite exorsa, ad reliquas oēs eiusdem corporis partes certo quodā ordine sese diffundit, neque ordine illo naturali seruato sese diffundere nequit. Ut enim in Solis potestate non est positum, suū in se lumen citra communicationem continere, aut, loco coniunctiori traiecto, in remotiorem illud transmittere: ita in cordis quoque, vel capitis facultate non est situm, sensus, aut motus communicationem continere, aut partibus, quæ ipsis viciniore sunt, prætermittis, remotiora tantum membra vegetare, sensum ve vel motum illis inspirare. sunt enim agentia hæc merè naturalia, rationis imperio nullo modo subiecta. Quò proinde Dominus alludens, aiebat: Quis vestrūm cogitās, potest ad staturam suam adijcere cubitū vnum? At verò in corpore mystico lōgè aliter res habet. Nec enim vna tantum adest hīc vita, aut vitæ

operatio; sed singula Ecclesiæ membra suam sortiuntur vitæ, suam peculiarem operationem, & functionem: Sicut singula quoque per se totum quoddam censentur, nullam necessariam cum cæteris connexionem habentia, nisi forsan ob id inter se apta coniuncta ve dicas, quod omnia (si tamen vera & viua corporis huius membra existunt) in vno capite, vnoque primario vitæ principio conueniunt, nempe in Christo: tum in eo rursam, quod motus, hoc est, salutaris operatio vnus, suo modo in alterius quoque commodum redundet. Incassum nanque statueremus & crederemus Sanctorum communionem, si vnus membri bonum ad alterius commodum nulla ratione spectaret, aut nullum omnino vsum alteri præstaret.

A Christo dimanant omnis motus & sensus spiritualis.

Sed neque primum quoque spiritualis vitæ huius principium & quasi radix (quod vtrique Christus est: Ab hoc nanque veluti è capite omnem spiritalem motum ac sensum, hoc est, omnem gratiam, omnemque virtutem, ac studiosam actionem primò descendere certum est) necessariò alicui vitæ spiritum influit: sed liberè, cui vult, & quando vult, & quantum vult, & prout vult, quibuscunque tandem influit, eundem influit, idque nulla ordinis, loci, temporis, aut personarum habita ratione. Neque enim primò is ad se conuertit Sacerdotum principes, aut Iudæorum proceres, & per hos reliquum Palæstinæ vulgus, aut minores quoque magistratus: sed membris illis primarijs, in suis sordibus, & incredulitate, maiorem in partem relictis, paucos quosdam ex infima plebe Iudæos in gratiæ suæ communicationem recepit. At fateri tamen hinc oportet, eam esse Christi Dei ac Domini nostri liberalitatem, ac in genus nostrum benignitatem, vt nulli, quod ad se quidem attinet, gratiæ suæ præsidium denegat. Stat enim ille ante ostium & pulsatur, manumque vt opem deferat, extēdit semper: sed multi pulsatē adeò non intromittunt, aut manum vltro porrigentem adeò non aspiciunt, vt præsentē quoque, & amicè inuitantem cum iniuria quoque interdū ab se repellant. Sed ad rem hinc propositā.

Habet

Habet autem hæc spiritualium beneficiorum communicatio (de hac enim ex instituto hinc agitur, nō de ciuiliū & externorū operū κοινωσία, vt quæ apud omne omnino humanū genus locum obtineat) non modò inter eos vsum, qui intra seculi huius fluctus etiam nunc versantur: verum etiam inter viuos vitæque huius munere iam perfunctos. Nam & viui mortuis, & mortui vicissim viuis patrocinari possunt. Quauis interim non omnes singulis, nec singuli omnibus, sed alij alijs, prout alij alijs melioris, deterioris ve conditionis extiterunt. Neque enim vlli Catholicorum dubium est, infantibus cum originis labe hinc ereptis, viuentiū suffragia, quantacunque efficacitatis aut magnitudinis illa fuerint, ad immortalitatis gloriam, vel aliud quodcunque bonum obtinendum; vel malum, quod iam incurrerunt, euadendum prodesse non posse. Sunt enim eiusmodi omnes (nisi qui forsan ex illis mortali huic vitæ per miraculum denuo restituantur) à regno Christi simpliciter proscripti, vitæque spiritualis, quæ sola efficacium suffragiorum omnium basis ac fundamentum est, omnino expertes.

Viui mortuis, & mortui vicissim patrocinari possunt.

In originis labe extinctis nihil profunt suffragia.

Noli credere, ait Augustinus, nec dicere, nec docere, sacrificium Christianorum pro ijs, qui non baptizati de corpore exierunt, offerendum, si vis esse Catholicus: quia nec illud, quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Iudæorum, pro ijs qui non circumcisi de corpore exierant, ostendis oblatum. & alio loco idē: Quisquis dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiā paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt: hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam cōdemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizadis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari omnino nō posse. Qui autem nō viuificatur in Christo, restat vt in eadem damnatione maneat, de qua dicit Apostolus: Per vnus delictū in omnes homines ad condemnationē. Huc spectat & illud: Catechumenis sine redemptione Baptismatis defunctis simili

Lib. 3. cap. 12. de origine animæ.

2. Mach. 12.

Epist. 23. ad Hieron.

Rom. 5.

m m m 3 modo

modo non oblationis sanctæ cōmemoratio, nec psallendi impendatur officium. Nam & hoc quoq; per ignoratiōē vsurpatum est.

In Ench. c. 110

Sed ais: Ecclesiæ suffragia, Augustino authore, pro non valde malis, sunt propitiations: atqui eiusmodi pueri, quod nulla propria noxia teneantur, inter eos censi possunt, qui non sunt admodum mali, sed mediocriter boni? Negari non potest, non valde malos esse, si cum ijs conferantur, qui proprijs sceleribus Deum offenderunt, impoenitentesque ex hac mortali vita excefferunt, quare etiam nulla sensus pœna mulantur: Attamen quia mortifero peccato obstricti hærent: sunt enim irę filij: & fide nihilominus Christi, eiusdemq; cognitione carent, secundum se absolute considerati, non sunt mediocriter boni, sed valde mali. Augustinus autem de ijs loquitur, qui post susceptam Baptismi gratiam in leuia quædã errata prolapsi sunt. ait nanque: Cùm ergo sacrificia, siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt: pro nõ valde malis, propitiations sunt. Quod igitur suffragia infantibus nõ renatis nihil profunt, nihil in causa est quàm hoc ipsum, quod renati non sunt.

Rom. 5.

In Enchir. 110

Iam si piorum preces, eleemosynæ, cæteraque id genus suffragia eiusmodi pueris, qui tamen boni videri queunt, nihil quicquam adminiculantur, multò minùs vilissimis illis tartarei ignis mancipijs adminiculabuntur. Sunt enim hi longè peioris conditionis, quàm illi, hærentque in lōgè maiori noxa & offensione quàm illi. Qui ergo in mortifero crimine extincti sunt, nullius suffragatione aut intercessione viuificari, aut ab inferis liberari possunt: siue illi pagani & infideles extiterunt, siue Christianorum mysterijs initiati, siue rursus hæretici, siue schismatici, siue Catholici, siue alio quocunq; titulo ornati. Creduntur à quibusdam, inquit Augustinus, etiam ij qui nomen Christi non relinquunt, & eius lauacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea villo villo schismate, vel hæresi præ-

scin-

In Enchir. c. 67. 68.

scinduntur, in quantislibet sceleribus viuant, quæ nec diluunt pœnitendo, nec eleemosynis redimant: sed in eis vsque ad huius vitæ vltimum diem pertinacissimè perseuerent, salui futuri per ignem: licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, nõ tamen eterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam beneuolentia mihi falli videntur. Nam diuinæ Scripturæ cōsultæ aliud respondent.

Et quid illæ respondent? Hoc nimirum: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. & illud rursum: Discedite à me maledicti in ignem æternum. & illud item: Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. & illud: Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant in sempiternum. & illud: Qui adorauerit bestiam, cruciabitur igne, & sulphure, & fumus tormentorum ascendet in secula seculorum. & illud tandem: Inter nos & vos magnum chaos firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, nec inde huc transmeare. Hæc inter baptizatos & nõ baptizatos, inter hæreticos vel schismaticos & reliquos, qui in fide ad vitę finem vsque perstiterunt, nullum discrimē assignant, sed nullam in inferno redemptionem contingere absolute pronunciant.

Matth. 25.

Mar. 9.

Judith 10.

Apo. 14.

Luc. 16.

At nondum hęc cessant scelerum patroni. Quærunt enim, si viuentium suffragia damnatis nihil profunt, Cur ergo Augustinus affirmat ad hoc ijs prodesse, vt vel plena sit remissio, vel ad hoc certè, vt tolerabilior illorum sit damnatio? Cur idem quatuor defunctorum genera assignat? Cur tandē quidam ex illis per Sanctorum preces ex inferis ad vitam redierunt, & salui facti sunt? Sanè non defuerunt, qui hisce argumentis moti, arbitrarentur viuentium suffragia, si non ad integram tartarearum pœnarum relaxationem, certè ad qualemcunque earundem mitigationem, damnatis prodesse posse.

se. Verùm hi omnes in re graui turpiter hallucinati sunt. Nam siue eam poenarum mitigationem cum Præpositiuo per continuam partium ablationem constituent: siue cum Altisiodorensi, & alijs quibusdam per subiecti confirmationem, semper consequitur inferni cruciatus, quòd finitæ intensiõnis existant, multiplicatis suffragijs tandem posse aboleri. At hoc dicere, aliud nihil est, quàm apertum bellum Scripturis indicere, Nec euadit Præpositiuus hanc difficultatem, sed auget, dum ait fieri id posse, verùm post communem carnis resurrectionem omnes, quibus hoc liberationis beneficium obtigerat, ad pristina supplicia denuò redituros. Neque enim vlla apparet ratio, cur iisdem rursus cruciatibus mancipari debeant, quorum debita per viuentium suffragia iam persoluta erant. At multò verò minor, cur illis poenam in totum, vel in partem remittere oporteat, qui culpæ perpetratæ obstinato animo adhuc adherent.

Sed nec Porretanistæ quoque difficultatis huiusce nodum suo commento dissolunt. Constringunt hi poenas suffragiorum vi non minui secundum partes pares, sed tantum secundum proportionales. Nam præterquam quòd eiusmodi diuisio per analogas partes in rebus materialibus familiariorẽ usum habeat, quàm in spiritalibus, nulla quoque apparet causa, si suffragia sunt paria, cur parem poenam absumere non debeant? Cur enim primum sacrificium dimidium totius poenæ absumat, secundum autem dimidium residui tantum aboleat, & non totum residuum? Tandem licet in sectione lineæ, vel alterius quantitatis diuisio per analogas partes procedat in infinitum, tandem tamen deuenitur ad partem tam exiguam, vt sensu deprehendi vix queat: atqui poena, quæ mente vel sensu deprehendi non potest, non est propriè poena. læsio enim sine perceptione non parit dolorem, aut vllum omnino ægritudinis sensum. Eadẽ hæc omnia & Altisiodorensi quoq; obijci poterant. Nam si suffragia ea vi pollent, vt subiectum, in quod poenæ deserviunt, confirmare & corroborare valeant, ita

vt

vt poenas irrogatas leuius ferat: poterit vtique per multiplicata suffragia ita firmari, & corroborari, vt poenas nihil omnino sentiat. Habebunt enim se poenæ decretæ ad damnatum, vt morsus culicis, vel muscæ ad elephantis collum.

Non desunt, qui fideles in capitali scelere extinctos per viuorum suffragia hætenus iuuari imaginantur, quatenus hinc colligunt, se non negligi aut despici, sed aliquo etiam loco apud suos haberi: (despectus enim magnam animi ægritudinem conciliare solet) sed hæc quoque phantasia veritatis fundamento caret. Nam vt damnati ad vltimum vitæ terminum, ita ad vltimam quoq; retributionem, statumque modis omnibus indemutabilem deuenerunt: Siquidem quod de corporis poena adhuc restat, hoc statum illorum non mutat. *Constat enim omnẽ hominis miseriam, vt & omnem quoq; eiusdẽ gloriam, in animo præcipuè positam esse. Mitto hîc, aliquis ne in terris illis suffragetur, nec ne, id citra certam reuclationem apud inferos discere nõ posse. Et vt maximè hoc illis per quæcunque patefieret, adhuc maiorem inde ægritudinem conciperent, quàm consolationem. Animo enim mœsto expendent suis sceleribus effectum esse, vt nihil hæc illis prodesse, quæ multum alioqui prodesse potuissent.*

Corporis poena statum damnatorum non mutat.

Sunt denique, qui suffragia, de quibus hîc sermo est, hac prodesse tenus Orci mancipijs statuunt, quatenus earum vitæ poenæ induci & aboleri posse creduntur, quæ peccatis venialibus, vel mortalibus quoque quo ad noxam expiatis, iure debebantur. Verùm hæc quoque opinio, licet ceteris sit eruditior, non satis plano tamen tramite decurrit. Quauis enim non desint ex Scholæ Theologis, qui poenas, quæ post peccatum relaxatum reliquæ interdum fiunt, extra gratiam, & extra viam quoque exolui posse, & apud inferos re ipsa quoque exolui existiment, publiceque doceant: non est tamen hæc sententia admodum recepta, nec admodum quoque tuta: Altera huic opposita est multò receptior, sacræque Scripture, ac veterum Theologorum doctrinæ multò conformior. Sed & admissa

n n n

quoque

quoque hac opinione, adhuc causam non obtinerent. Nam cum damnati ad vnum omnes veluti membra mortua ab Ecclesie corpore sint excisi, & extra charitatis vinculum, per quam viventium opera defunctis communicantur, constituti, Ecclesiastica suffragia adminiculari illis non possunt. Præterea si eiusmodi poenæ, per Ecclesie suffragia aboleri possent, liceret utique pro eo orare, vel ieiunare, vel etiam celebrare, quem in mortifero peccato vitæ finem fecisse certò cõstaret. Sed hoc falsum est: nec enim magis orare fas est pro certò damnato, quàm pro diabolo. Denique cõmunis animorũ conceptus est, nullam in inferno redemptionẽ esse: atqui si poenæ peccatis venialibus, vel lethalibus condonatis debitẽ remitterentur apud inferos, non modica ibi redemptio obtineret. Firmiter proinde credendũ est, Ecclesie suffragia dånatis nihil prodesse. Sunt enim illi in Dei odio & inimicitia obstinati, ipsumque citra vllam intermissionem diris conuicijs insectantur: Tales autem nullam, neque culpæ, neque poenæ condonationem merentur.

Locus autẽ ex Augustino allatus aliud nihil probat, quàm poenas omnes purgatorias (quæ propter cruciatuum atrocitatem, cognationemque, quã cũ infernalibus supplicijs sortiuntur, damnationis nomine nonnunquam designantur) per Ecclesie suffragia absumi posse: Integrè quidem, si suffragiorum vires fuerint validę, poenarum autem debitum exiguum: in partem verò, si debitum fuerit grande, suffragia autem tenuia. & hoc vult Augustinus, dum ait: Quibus autem profunt, ad hoc profunt, vt plena sit remissio, aut certè vt tolerabilior, hoc est, breuior, vel remissior sit eorum damnatio. Nec aliud quoque probant, quæ de quadripartito defunctorũ ordine, ex eodem Augustino allata sunt. Nam etsi quatuor demortuorũ classes assignare videatur, reipsa tamen tres tantũ assignat. Siquidem mediocriter boni, & mediocriter mali, non duo, sed vnũ duntaxat membrũ constituunt. Iusti enim, qui cum veni-

alis,

Mediocriter boni, sunt mediocriter mali, & vice versa.

alis, aut mortalis condonati debito hinc excedunt, illi, nec valde mali sunt, quia migrant in gratia, & cum gratia: nec valde rursus boni, quia non sunt absque peccato, peccati ve merito. Sunt ergo mediocriter boni, & mediocriter rursus mali. Patet id clarè: Quandoquidem mediocriter bonus, nõ est valde bonus, nec valde rursus malus, ergo est mediocriter malus: & contrà mediocriter malus, non est valde malus, nec valde rursus bonus, ergo est mediocriter bonus.

Quod de infidelibus, vel aliàs peccatoribus ad vitã denuo reuocatis, postremo loco adferebatur, illud aliquantum plus difficultatis habet: responderi tamen ad hoc potest, id præter legem accidisse; hinc autem de eo verba fieri, quod ordinariè accidere solet. Potest secundo dici, & rectius, nullum ex illis fuisse simpliciter iudicatum, aut condemnatum, sed omnium illorum iudicium extraordinaria lege fuisse suspensum. Posset tertio, etsi minus probabiliter, dici, omnes illos inuincibili Christianę legis ignorance laborasse, cætera autem bonos extitisse, atque ideo non ex inferno, sed ex purgatorio ad sua corpora rediisse. Verum siue hoc, siue illud, siue aliud quodcunq; dicas, nihil allatum est hætenus, quod viuorum suffragia damnatis prodesse posse validè probet.

Cum itaque in originis labe, vel qualicunq; lethali crimine extincti, nullius temporalis, vel spiritalis præsidij fructum percipere valeant; neque beati vllis omnino externis opibus indigeant, vt qui nullius rei penuria laborent, & quodcunq; desiderari, vel honestè expeti potest, affatim in verbo possideant: consèquens fit vt illi solùm hisce spiritalibus auxilijs iuuari queant, qui charitatis Christi participes effecti, nõnulli adhuc poenæ, vel culpę obnoxij sunt, vbicunq; tandẽ locorum existãt. Nam & illi ipsi quoque, qui in purgatorio degunt, certa quadam ratione in via adhuc hærent, eorumque de numero habentur, qui, teste Augustino, tam boni non sunt; vt viuorum suffragijs non indigeant; nec rursus tam mali, vt hæc ijs prodesse non valeant. At neque solus Au-

nnn 2 gusti-

Ad vitam ex mortuis reuocati, non absolutè iudicati erant.

Soli iusti Ecclesie suffragijs iuuari possunt.

gustinus huius est sententiæ, sed alij præterea multi, quem admodum ex ijs planum id fiet, quæ hîc iam subiiciam. Priùs tamen quàm id faciam, vnum, aut alterum Scripturæ locum superiùs allegatum, maioris ordinis, & lucis gratia breuiter hîc repetam.

2. Mach. 12. 21 Scriptum est ergo: Itaque ad preces conuersi rogaue-
 runt, vt id, quod factum fuerat delictum, obliuioni tradere-
 tur. & infra: Duodecim millia drachmas argenti misit Hiero-
 solymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. & pau-
 cis interiectis rursus: Sãcta & salubris est cogitatio orare pro
 defunctis, vt à peccatis soluantur. Hæc plano sensu probant
 suffragiorum fructum, obliquè autem purgatorium. Nam et-
 si non id omne, quod probat purgatorium, statim quoq; pro-
 bet demortuorum suffragia: (Possent enim Deus velle vnum-
 quenque suum per se onus portare, præsertim post hanc vi-
 tam) contra tamen quicquid probat suffragia, ex conse-
 quenti probat quoque purgatorium. Huic Machabæorum
 loco cognatum est illud Tobia: Panem tuum, & vinum tu-
 um super sepulturam iusti constitue. & illud Salomonis: A
 mortuo ne prohibeas gratiam. & illud Lucæ: Facite vobis
 amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipi-
 ant vos in æterna tabernacula. & illud Ioannis: Qui scit
 fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, &
 dabitur illi vita peccanti peccatum non ad mortem. Horum
 omnium vis iam antè patefacta est. Quare maioris explicati-
 onis causa nihil hîc ampliùs addo.

Vnum hoc solum indicandum hoc loco arbitratus sum,
 nempe cum Machabæorum libri, & alij veteres Theologi do-
 cent preces defunctorum causa fufas salutares esse, vt à pec-
 catis soluantur: pronunciatum hoc non esse referendum ad
 peccatum, vt noxa, vel macula est, sed tantum vt poena,
 vel poenæ reatus est: Quandoquidem suffragia, quacunc-
 que & quantacunque tandem illa extiterint, non conferunt
 ad

Suffragia so-
 lum conferunt
 ad expiatio-
 nem tempo-
 ralis poenæ.

ad remissionem culpæ, vel ad augmentum gratiæ, vel ad meri-
 tum gloriæ, sed tantum ad remissionem temporalis poenæ. Nō
 ad augmentum gratiæ, aut meritum gloriæ: quia omne meri-
 tum comparatur in hac vita, nec potest meritum vnus in al-
 terum transferri. Nec rursus ad remissionem culpæ: quia
 culpa lethalis, siue illa origine fuerit contracta, siue proprio
 opere conflata, quæ in hac vita condonata non fuerit, in alte-
 ra ordinaria lege non condonatur. Culpa autem venialis, vt
 culpa est, non relaxatur defuncto per cuiuscunq; viuentis poe-
 nam, aut satisfactionem, sed per propriæ voluntatis reordi-
 nationem. Hæc autem voluntatis reformatio per hoc fit præ-
 cipuè, quod hoc illi modò incipit displicere, quod antè eidem
 placebat. Hoc autem odiū oboritur, vbi primùm anima à suo
 corpore fuerit seiuncta. Siquidem vt grauitas & leuitas incli-
 nant ad determinatum locum: ita gratia, in qua quis defungi-
 tur, ad cœleste regnum. Qui autem solo veniali contaminati
 hinc excedunt, non excedunt sine charitate, atque ideo appe-
 titu rectè statim feruntur ad claram Dei visionem: detestantur-
 que id omne mox, quod eiusmodi visionem, vel impedit, vel
 protrahit. Impedit autem, & protrahit illam, non solum debi-
 ta poena, sed venialis quoque noxia. Sola autem detestatione,
 si adsit gratia, peccatum veniale, imò etiam mortale perimi-
 tur. Restat ergo, suffragia ad solius temporalis poenæ relaxati-
 onem conferre, & hoc vnum illos velle, quicumque docet, vel
 prædicant ad peccatorum remissionem facere. Sed iam Pa-
 tres, & Ecclesiæ proceres ea de re differentes paucis quoque
 audiamus.

Clemens Pontifex Maximus: Oportet sepelire mortuos, Epist. 1.
 & diligenter pro eis orare, & eleemosynas dare.

Symmachus: Ingens sacrilegium est, quæ pro animarum
 suarum salute, aut requie vnusquisque reliquerit, ea in aliud
 conuerti. e. In Canonibus 16. q. 1.

Gregorius Magnus: Multum solet animas, etiã post mor-
 tem, sacræ hostiæ oblatio adiuuare. 4. Dialo. c. 15.

Epist. ad Bonif.

Gregorius secundus: Sancta Ecclesia sic tenet, ut quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes.

c. Marthe De celeb. Mis.

Innocentius tertius: Suffragia, quæ fiunt in Ecclesia à fidelibus, pro mediocriter bonis expiationes sunt. Eugenius quartus: Ut à poenis purgatorijs releuentur, profunt his viuorum suffragia.

In Liturg.

Iacobus frater Domini: Hæc Domine oblatio nostra grata sit, & acceptabilis in requiem animarum eorum, qui ante nos dormierunt.

In Vita Ioan.

Abdias Babylonius: Matutinis horis ad tumultum conuenerunt, ut sacra peragerent. Dionysius Areopagita:

c. 7. Eccl. hier.

Precatur Antistes diuinam clementiam, ut cuncta peccata dimittat defuncto, per humanam infirmitatem admissa. Athanasius: Intelligimus peccatorum animas aliqua beneficia participare, ab exangui immolatione pro ipsis facta. Basiliius:

Quæst. 34.

Memento Domine omnium dormientium in spe resurrectionis vite æternæ, & refrigera eos, ubi visitat lux vultus tui. Gregorius Nyssenus: Res est Deo inprimis grata in sacris operationibus eorum, qui in recta fide decesserunt, manifestam memoriam facere. Ephrem: Reminiscamini mei abiecti in pijs & sacris vestris orationibus, & assidue pro mea paruitate offerre dignemini. Epiphanius: In his, qui vita defuncti sunt, ex nomine memorias faciunt, orationes ad Deum perficientes, & cultus diuinos, & mysteriorum dispensationes.

In Liturg.

vide Damasc. fer. de defun.

Chrysostronus: Si voluerimus mortuo leue facere supplicium, preces pro illo faciamus cõtinuas, eleemosynas demus, &c. Cyrillus Hierosolymorum Antistes: Ad eundem modum, & nos pro defunctis deprecationes adhibentes, quanuis sint peccatores, nõ quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis maceratum offerimus, ut & nobis, & illis eum propitiũ reddamus. Theodoretus: Ille postulationibus eorum obsecutus statim pro mortuo Deum rogat, ut dimissis illi peccatis, quæ dum viueret admississet, eum in piorum numerum asciscere dignaretur. Theodorus Episcopus: Amicorum orationibus, & eleemosynarum largitionibus, pondus poenitentie sub-

In suo test.

Orat. de vera Eccl.

subleuandum est, si forte migrauerit. Germanus Constanti-

Homil. 21. in Act.

nopolitanus Episcopus: Fit memoria apud Deum pro defunctis, & omni carne. Damascenus: Colloca eum in loco refrigerij, in loco quietis, & ne memineris iniquitatum antiquarum illius, & secundum misericordiam tuam dele chirographum peccatorum suorum. Nicolaus Dyrrachij Episcopus: Sacrificium hoc pro viuus, & mortuis offertur: participatione quidem pro viuus, intercessione autem pro defunctis. Hæc veteres Græci, prodeant iam in aciem & veteres quoque Latini.

Gatech. 5.

Clemens Cœliomõtanus: Pro fratribus nostris, qui in Domino obierunt, acceptabilem Eucharistiam offerte in ecclesijs, & cœmeterijs. Tertullianus: Scio foeminam, interim dum Presbyteri oratione componeretur, ad primum habitum orationis manus à lateribus dimotas in habitum supplicem composuisse. Cyprianus: Ad altare Dei non meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros suos Leuitas auocare voluit. Hieronymus: Pammachius sanctam fauillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat, sciens scriptum: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosynæ peccatum. Ambrosius: Date manibus sancta mysteria, pio requie ei poscimus affectu. Date sancta cœlestia, animam piam nostris oblationibus prosequamur. Sancta Monica: Ponite hoc corpus ubicunque volueritis, nihil vos eius cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad altare memineritis mei, ubicunque fueritis. Augustinus: Neque piorum animæ separantur ab Ecclesia: Alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in consecratione corporis Christi. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti, sunt membra eius? Possidonium: Pro eius commendanda corporis depositione, sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est. Benedictus Abbas: Ite, & hanc oblationem pro eis offerri facite, & ulterius excommunicatæ non erunt. Gregorius: Idem Presbyter hebdomada continua se pro eo lachrymis afflixit, salutarem hostiam quolibet die obtulit. Isidorus: Sacrificium pro fidelium defun-

In Philotheo.

In Poenit.

ctorum

In rer. Eccl. Theoria.

In Iosaphat hist.

In exposit. Litur.

Lib. 6. Conf. Apost.

Lib. de anima.

Lib. 1. epist. 9.

Epist. ad Pammach.

Orat. de ob. Valent.

Lib. 9. c. 37. Confes. Aug.

Lib. 19. c. 9. de ciuit.

In Vita Aug.

Lib. 4. c. 23. Dial.

Lib. 4. c. 55. Dial.

Lib. 1. c. 18. Offic.

ctorum

torum requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus, quod ab ipsis Apostolis traditum est.

- Ser. de Laza. Petrus Rauennæ Episcopus: Apud inferos poenali: custodię deputati, ad Sanctorum quietem transferri non possunt, nisi Christi gratia iam redempti, ab hac desperatione sanctę Ecclesię intercessione soluantur. Paulinus Nolę Episcopus: Impensę rogamus, vt pro eo nobiscum orandi labore conspires, vt misericors Deus refrigeret animam eius stillicidijs misericordię suę per nostras orationes. Palladius: Pro consuetudine sua pro defunctis preces faciebat Macarius. Beda: Accensi sunt ad orandum, vel elemosynas faciendas, & ad offendas Domino victimas sacrę oblationis pro ereptione suorum, qui de seculo migrauerunt. Et V Valfredus Abbas: Totius Ecclesię vsus habet saepe Missas agere pro viuis, pro defunctis, &c. Rabanus: Quod post exitum vitę presentis pro fidelium peccatis exorandum sit, & elemosynarũ opus agendum, quatenus hi, pro quorum remedio res agitur, à peccatis soluantur, præsens locus ostendit. Haymo: Qui leuia peccata attrahunt, post mortem hominum orationibus expiantur. In vita Gręg. Ioannes Leuita Romanus: Vade igitur, & ab hodierna die triginta continuis diebus offerre pro eo sacrificium stude, & nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius salutaris hostia non mactetur. Iuo Episcopus: Animę defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut elemosynis charorum, aut ieiunio cognatorum. Beruo Abbas: Post mortem Christi in cruce mortuorum commemoratio sequitur, quia nec aliorum defunctorum commemoratio facienda est, nisi qui in Christi morte redempti sunt, & in Christo vitam hanc finiuerunt. Bernardus: Mortuos viuentium auxilijs fraudant, viuentes nihilominus Sanctorum, qui decesserunt, suffragijs spoliant. Berengosius Abbas: Vt in regione viuorum & ipse quoque (Constantinus Magnus) placeat Deo, necesse est, vt

vt oratio fiat ab Ecclesia ad Deum pro eo.

Edmerus Anglus: Anselmus, vt sanctę dilectionis munus, quod viuo impenderat, seruo mortuo non negaret, per integrum annum omni die Missam pro eius anima celebravit. Rupertus Abbas Tuitiensis: Si ante finem vitę non condigna satisfactio compensatum fuerit, is, in quem peccauit, proximus non solum licitè, verum etiam laudabiliter pro eo orabit, vt remittatur ei peccatum. S. Malachias: Non parum spei repositum est mihi in die illa, qua mortuis tanta beneficia à viuis impenduntur. Mittimus hęc Petrum Abbatem Cluniacensem, Guilhelum Abbatem S. Theodorici, Honorium Augustodunensem, Sigebertum Gemblacensem, Petrum Damianum, Buřhardum, Hildebertum, Christianum Druthmarum, Petrum Parisiensem, Lombardum in Scholis appellatum, omnesque illius interpretes, & multos alios, qui partim ante, partim post illius ætatem floruerunt. Horum loco vnum, aut alterum Synodicum decretum adijcere hęc placet.

Concilium Carthaginense tertium: Si aliquorum defunctorum commemoratio pomeridiano tempore facienda est, solis orationibus fiat. Concilium Carthaginense quartum: Si verè poenitentes ibi mortui fuerint, vbi eis subueniri nõ potest, memoria eorũ orationibus tantum, & oblationibus commendetur. Concilium Vasense: Qui oblationes defunctorũ retinent, & Ecclesijs tradere demorantur, vt infideles ab Ecclesia sunt abijciendi. & infra: In omnibus Missis, quę pro defunctorũ commemorationibus fiunt, semper Trisagion dici debet. Concilium Bracharense primum: Nulla pro eis commemoratio fiat, qui culpabili modo mortem sibi inferunt. Concilium Martini: Non oportet clericos in campo mysteria distribuere, sed in ecclesia, vbi pro defunctis oblationes offerri solent. Concilium V Vormatiense: His, qui in patibulis suspenduntur, ne denegetur sepultura, oblationesq; pro ijs fiant, & Missa celebrentur. Concilium Cabilonense: Sicut nulla

dies excipitur, qua non pro uiuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominum deprecemur: ita nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solennibus fundantur. Denique in ipsa Sacerdotum ordinatione hic suffragiorum usus disertis verbis exprimitur. Dicitur enim: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia Dei pro uiuis & pro defunctis.

Has Scripturarum, Patrum, Conciliorumque authoritates multis grauib; rationibus, vel confirmare, vel illustrare licet: verum quod supra nonnulla, quæ huc faciunt, exposita sunt, utemur hinc compedio. Quod igitur uiuorum suffragia defunctis, ut citius liberentur, pro sint, id primò ostendit, & quidè clare luculenterque ostendit perpetuus Ecclesiæ usus. Semper enim iam inde ab initio in Ecclesia Dei oratum, & sacrificatum, & egenis benignè factum est pro defunctis. Impossibile est autem vniuersalem Ecclesiam in re tanti momenti, tantoque tempore usurpata, vniuersaliter errare, etsi omni Scripturarum præsidio prorsus destitueretur. In Machabæorum libris, scribit Augustinus, sacrificium pro mortuis oblatum legitur. Sed & si nusquam omnino in Scripturis veteribus legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas.

Idem ostendit valideque confirmat gentium & nationum omnium consuetudo. Nulla enim extat, aut extitit aliquando natio tam barbara, quæ non haberet suos præstandi ritus, suas funebres expiationes, quemadmodum id ex ijs Commentarijs, quæ de varijs variarum gentium & nationum ritibus & cæremonijs edita sunt, ad planum cognoscere licet. Et quanuis, si cætera defunt, validum hinc argumentum peti non queat: certum est tamen, vniuersalem hunc gentium omnium ritum, & quasi communem animi conceptum, omnis fundamenti expertem esse non posse. Nec infirmant hanc rationem, quæ communem in idololatriam veterum consensum hinc nobis obiectant: nam ille ipse quoque idololatriæ cultus

tus certæ cuidam veritati attestabatur. Quanuis enim non in cultu solū, sed in ipso quoque cultus obiecto fœdè errarēt, (quædoquidem id habebant, & venerabātur pro Deo, quod Deus nō erat; & ijs ritibus, & cæremonijs, quæ Deo displicebant) hoc ipso tamē, quod idolis sacrificabant, testatum faciebant Deum esse, rerumque humanarum curam, & prouidentiam habere: atque aded ipsum tanquam eum, à quo omne nostrum bonum dependeret, colendum, & adorandum esse. quæ omnia vera ac certa erant. Ad propositum: Licet in eo errarent, quod plerisque omnes pœnas purgatorias esse crederent; nonnulli in eo quoque, quod animas passim in mundo oberrare, deq; corpore ad corpus transmeare existimarent: in eo tamen rectè sentiebāt, quod animas immortales esse, quodq; bonas post hanc vitam præmijs, prauas contrà & sceleratas supplicijs affici persuasum habebant. Sed neque in eo quoque despiciebant, quod eiusmodi animas uiuentium ope subleuari, vel omnino quoque liberari posse pro certo habebant: In eo tamen minùs rectè sentiebant, quod id de pluribus, vel etiam de omnibus sibi persuaserant.

Ostendunt & confirmant idem tertio multæ diuinæ reuelationes, multæque admirabiles visiones. Et quanuis nonnulla fraus eiusmodi visionibus subesse interdū queat, attamen oēs promiscuè, & vniuersè tanquam aniles & falsas rejicere, res est à Christiano candore prorsus aliena: maximè verò cum ex inferis rediuiui præclarum testimonium illis perhibeant. Ostendunt & confirmant idem quarto & Pontificiæ quoque condonationes. Constat enim ante multos annos non in uiuorū solū præsidium hæc concedi solitas esse, verum etiā in defunctorum suffragium. Atqui frustra concederentur, si demortui his non egerēt, aut iuuari his non possent. Fatendum est tamē non eodem modo hisce, & illis prodesse, sed alio, & alio, ut suo postea loco id explicabitur.

Ostendit & confirmat idem quinto fidei Symbolū hoc ipso non obscure, quod Sanctorum communionem ob oculos no-

bis ponit. Quandoquidem isthęc communio, vel communicatio non in vno aliquo Ecclesię membro locum habet, sed in toto eiusdem corpore, quod integrè ex tribus quasi heterogeneis partibus conflatur: nempe ex ijs, qui omnino sunt in termino: & ex ijs rursus, qui omnino versantur in vita, vel in medio: & ex ijs demum, qui partim existunt in medio, partim rursus in termino. Hoc est: ex ijs, qui cū Christo triumphant in cœlo: & ex ijs, qui à Domino peregrinātur adhuc in mundi huius salo: & ex ijs tandem, qui poenis expiatorijs exercentur in purgatorio. Inter omnes has partes suffragia locū obtinent. Nam & viui suffragantur viuētib; & mortui mortuis, & viui rursus mortuis, & mortui tandē viuētib;.

Quin & mysticum quoq; corporis huius caput omnibus his partibus & mēbris aduētū suo profuit. Etenim in humanis adhuc agēs, profuit viuīs & mortuis: Siquidem ex mortuis nonnullos reuocauit ad vitam: ex viuīs autem multos adduxit ad poenitentiam, & quibusdam quoque impertitus est corporis sanitatem. Mortuus verò suffragatus est mortuis: Nam alios ex limbo, alios ex purgatorio ad cœlestē regnum transtulit. Nunc autem in cœlo gloriosus regnans, simul viuīs & mortuis patrocinetur, vt simul quoque vtriusque dominatur.

Ostendit & confirmat idem sextò charitas quoque politica, politicorumque hominum inter se beneuolentia. Plus enim valere debet amor charitatis apud Deum, quàm amor politicus apud ciuilem magistratum. Cū hic ergo amor tantarum sit virium, vt per modū intercessionis, vel per viam satisfactionis, reum à poenę debito apud iudicem liberare valeat, & sępe quoque liberare soleat: poterit hoc ipsum amor Christianę dilectionis apud Deum quoque, cuius benignitas & clementia longè maxima existit. Poterunt ergo viuī prodesse defunctis, vel rogando Deum, vt promeritas poenas illis condonet: vel id totum dependendo, quod defunctus debebat: vel vtrunque simul præstando. Prior suffragandi ratio nititur sola Dei liberalitate & misericordia: posterior,

sup-

supposita tamen gratuita Dei acceptatione, verè rationis iustitia. Vnde hoc vnum suffragiorum genus pertinet ad meritum condigni, illud verò ad meritum congrui.


Ostendunt idem septimò & postremò Dei misericordia & iustitia: hæc rei dignitatem, illa eiusdem necessitatem considerat. At quotquot in purgatorij carcere detinētur, ad vnum omnes, qui adiuuentur, digni sunt: Nam & in Christi gratia confirmati sunt, & dum in viuīs agerent, vt ab alijs Ecclesię membris iuuari possent, promeriti sunt: & omnes rursus in magna necessitate cōstituti sunt. Nam & grauissimè plectuntur; & decretas poenas, nisi aliunde subleuentur, vsque ad nouissimum quadrantem dependere cōpelluntur. Vnde dici solet eiusmodi extrema paupertate premi. Pauper est enim, qui parū habet; pauperior, qui nihil; adhuc miserior, qui nihil habet, nec quæstum vllum vlla omnino ex re facere potest: at omnium miserrimus est, qui nihil in bonis habet, & nihil quicquam ampliùs lucrari potest, & multa præterea debet, & eius seueritatis creditorem sustinet, qui dilationē nullam, nullas concedit inducias, sed seuerissimè illud vsurpat: Si non habet in ære, luat in pelle. In hoc autem gradu positi dicuntur, qui detinentur in purgatorio. Nam etsi merita habeant, alioqui enim non asseruarentur in purgatorio, sed cruciarentur in inferno: ea tamen merita illorum poenam nō subleuant, verū vnum hoc tantū præstant, vt poenę eorum apud Deum sint satisfactoriæ. Patet ergo viuientium suffragia defunctis prodesse posse, & reuera quoq; ijs omnibus prodesse, qui in vita hac promeriti sunt, vt hæc illis prodesse. Verū quò hæc veritas illustrior euadat, paucis ea hęc proponere lubet, quæ Sectarij contra hanc partem obijcere solent.

Varij pauper-
tatis gradus.

Quæ contra suffragia ab Antagonistis allegantur, ea vim illorum adeò non labefactare, vt eandem quoque non parum confirmant.

CAPVT QVINTVMDECIMVM.

000 3 Argu-



Gal. 6.

»

»

»

ApoC. 14.

»

»

2. Cor. 5.

»

Psal. 61.

»

Ecles. 9.

»

Can. 34.

»

Luc. 16.

»

Ad Cap. 6. ad Galat.

Ante mortē parandū est, quod post mortē profit

Ioan. 9.

Rgumentatur autem in hunc modum: Si ea humanorum operum vis est, ut ijs etiam prodesse valeant, qui illa non patraverunt, Cur igitur Scripturæ affirmat, Vnumquēque, quæ seminaverit, hæc & messurum esse? Vnumquēque onus & opus suum deportaturum esse? Vnumquēque pro se rationem redditurum esse? Vnumquēque secundum laborem suum propriam mercedem accipturum esse? Omnes ante Christi tribunal ad id præstod futuros esse, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum? siue, quod in idem redit, Deum unicuique iuxta opera sua redditurum esse, & in hunc sensum multa alia eiusmodi? Cur eedem mortuos partem ullam, aut mercedem, ex vllō opere, quod sub Sole fit, habere negant? Cur inter tot Mosaicæ legis piamina, & sacrificia, sacra funeralia nulla extant? Cur Synodi Elibertinæ Patres nocturnas Vigilias in cœmeterijs agitari vetant? Cur diues Epulo passus est repulsam? Cur Ambrosius, Chrysostomus, & alij nonnulli, peracto humanitatis officio in sepultura, à luctu, ceterisque, quæ mortuis impendi solent munijs, supersedere suadent? Cur tandem Hieronymus suffragia in præsentem tantum vita locū habere affirmat? ait enim: Cùm ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Dauid, nec Noe, pro quoquam orare poterunt: sed unusquisque onus suum portabit. Hæc omnia, inquit illi, ante mortem, quod post mortem profit, comparandum esse apertè demonstrant.

Nè ante mortem cōparandum est, quod post mortem profit: nec vllus vnquam Catholicorum doctorum secūs docuit, aut sensit. Sciunt enim scriptū esse: Operamini dum lucem habetis. Venit enim nox, in qua nemo operari poterit. At interim lōgè aliud est cum Iuda Machabeo, imò verò cum vniuersa Ecclesia Catholica, & veneranda antiquitate pro defunctis orare, ut à peccatis soluantur; aliud fusa prece noua illis

illis merita cōparare: illud enim rectè & inculpatè fieri potest, hoc nequaquam. Non noua, inquit Augustinus, mortuis merita comparantur, dum pro ijs boni aliquid impendunt sui: sed eorū præcedentibus, consequentia ista redduntur. & alio rursus loco idem: Quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore viuitur, ut aliquid adiuuent ista defunctos: ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiosè pro illis facta fuerint, adiuuantur. Sunt enim, quos nihil omnino adiuuant ista: siue pro eis fiant, quorū tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adiuuari: siue pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adiuuētis. Genere igitur vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur ut profint vel non profint, quæcunque pro illo piè fiunt, cùm reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista profint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra queritur post hanc vitam. Ita fit, ut neque inaniter Ecclesia vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat: & tamen ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum, reddente Domino unicuique secundum opera eius. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita acquisitum est, quam gessit in corpore. Hæc Augustinus, cui inter alios per omnia astipulatur Dionysius Areopagita Apostolorum discipulus. Scribit is autē in hunc modū:

Verum dices fortasse, hæc quidem rectè à nobis dicta esse, sed te dubitare, cur diuinam benignitatem roget Antistes, ut ea, in quibus à mortuo peccatum est, remittat: eiq; det parem ijs, qui Deum imitati sunt, hæreditatem. Si enim præmia à diuina iustitia constituta consequitur eorum bonorum, aut malorum, quæ in hac vita gessit, (perfecit autem is, qui migravit à vita, a ctiones huic vitæ consentaneas) quibus tandem Antistitis precibus, in aliā quietis sedem migrabit, præter eam, quæ eo digna est? & subdit: Equidem probè scio Scripturis diuinis assentiens, vnumquēque præmia accepturum pro dignitate. Sed tamen iustorum, bonorumque preces etiam in hac vita,

Serm. 33. de verb. Apost.

De cura pro mort. ag. c. 1.

Cap. vlt. hier. Eccles.

vita, nedum post mortem, ijs prodesse, qui digni sunt sanctis precibus, ea, quæ prodita sunt diuinarum literarum monumentis, nos docent. Hactenus Arcopagita Dionysius.

Porrò Ioannes Damascenus omnia illa Scripturarum loca, quæ suum vnumquenque opus deportaturum, vel vnumquenque mercedem secundum proprium laborem accepturum affirmant, ad finalis iudicij retributionem pertinere autumat. Ait enim: Serpens antiquus, cuius studium est, bona Deo accepta vitare, hostilesque dolos struere, qui & fraterna charitate percellitur, fide dirumpitur, compassione rotatur, nonnullis inspirat figmentum adulterinum, sacrisque constitutionibus omnino aduersum: nempe bona grataque Deo opera omnia nihil prodesse defunctis, dicit enim: Conclufit Deus aduersus eos: Reportabit vnusquilibet ea, quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Item: In inferno quis confitebitur tibi? rursum: Tu reddes vnicuique iuxta opera sua. & Quod seminavit vnusquisque, id & metet. His Scripturis post aliquantam digressionem hoc modo occurrit ille: Hæc de aduentu Conditoris vniuersi, terribiliq; iudicio, & mundi huius consummatione dicta sunt. Tum enim nullum auxilij tempus, tum otiosa & frustra aduocatio omnis. Nundinis enim dissolutis, cessat negotiationis commercium. Vbi enim tunc pauperes? vbi sacræ operationes? vbi psalmodia? vbi bona opera? Idcirco ante illam horam mutò iuuenus, & quæ ad fraternæ charitatis officia attinent, clementissimo Deo animarum fraternitatisque amatori offeramus. Dicitur enim, & benè, quod si qui hinc repente non premissis bonis migrauerint, & postea à familiaribus neglecta oblati reliquijs farciantur, imputari opus, perinde ac si ab eis factum foret. Huc vsque Damascenus.

Ab hac Damasceni interpretatione non multum abscedit, qui ea rectissimè nostra dici prædicant, quæ alij nostri causa præstant. Si enim quod ego contraxi debitum, alius soluit, certè quod meo nomine persolutum est, hoc meum est, & æqua

Serm. de defunct.

Ea iure optimo nostra dicuntur, quæ alij nostri causa præstant.

æqua lege meum est. maximè verò, si ego per aliquod officium promeritus sum, vt alius hoc, vel illud meæ causa præstaret, id quod hinc locum habet. Nam, vt ex Augustino paulò antè auditum est, in gratia defuncti, dum in viuus adhuc agerèt, promeriti sunt, vt hæc illis prodesse. Sed neq; Philo sophus quoq; id p nos fieri affirmare dubitat, quod per amicos, vel familiares efficitur. Dicit quoq; potest, quicquid de proprio labore, propriaque mercede ex æquo illi respondente, in allegatis hinc Scripturarum autoritatibus asseritur, id totum ad essentialia præmium spectare. Nam vt nemo primam gratiam, gratiæque augmentum, ita nemo quoque essentialia æternæ vitæ præmium alteri promereri valet.

Ethic. 7.

Clariùs id exponā. Vnūquodque iusti hominis opus ad duos vim habet: puta ad comparandum stabilem aliquem, & indemutabilem vitæ statum: & ad obtinendum quippiam, quod ad eiusmodi statum consequitur. Ad vtrumvis autem horum bifariam valet: Vno modo per modum meriti: Altero modo per modum orationis, suffragij, vel impetrationis. Meritum innotuit iustitiæ; oratio, eius, cuius auxilium imploratur, liberalitati. Nullius autem opus per modum meriti alteri valere potest, ad impetrandum certum perpetuæ vitæ statum: nullo enim opere mereri possumus alteri æternam vitam. At verò per modum orationis, vel intercessionis, vnus alteri vitæ æternam impetrare potest, impetrando nimirum ei bonum cordis motum, ad obtinendam primam gratiā, vel iustificationem. Verum ad impetrandum aliquid, quod eiusmodi statum consequitur, opus vnus alteri prodesse potest, non solum per modum orationis, vel impetrationis, vel suffragij, verum etiam per modum meriti: vel quia ex instituto alteri applicatur, hoc est, secundum id totum, quod in alterum transferri potest, in alterum transfertur: vel certè quia vtrique communicant in eadem charitatis vel spiritalis vitæ radice. Charitas enim suo modo facit omnia cōmunia, & per cōsequens nō solum ad viuos sese extendit, verum etiam ad vita defunctos. Iam si id,

vnumquodque iusti hominis opus geminā vim fortitur.

ppp

quod

quod in Scripturis, quas Antagonistę allegant, de propria vniscuiusq; mercede asseritur, ad certum vitę statũ, vel ad præmium essentiale referatur, planum est vnumquenq; recepturum, prout gessit in corpore: Si autem ad id, quod eiusmodi statum, vel essentiale præmium consequitur, vel comitatur, adhuc intra proprietatis limites sistitur. Quod enim vni ab altero liberę, gratuitoq; communicatur, hoc proprium efficitur; nõ secus ac si iusto precio redimeretur, aut proprio Marte conficeretur. Siue ea ergo Scripturarum oracula cum Damasceno ad vltimam retributionem referas; siue cum cõmuni Schola ad essentialem mercedem vel gloriam; siue ad aliquid, quod eiusmodi vitę statum, vel essentiale præmium consequitur, cum Dionysio & Augustino: semper verũ est, quod hęc assertum est, nempe vnumquenque recepturũ, prout gessit, siue bonum, siue malum.

At singula paucis seorsum discutienda sunt, licet omnia in eundem ferę scopum tendant. Ad illud igitur Psalmistę, *Psal. 61.* *Reddes vnicuique iuxta opera sua: responderetur aliud nihil hęc significari, quàm æquissimum illum, incorruptissimumq; iudicem, vnicuique secundũ meritorum mensuram, operumq; rationem redditurum, cum in cœlo, tum etiam in inferno: Ijs quidem, qui multis nefarijs flagitijs se contaminarunt, atrocissimum supplicium: cæteris verò, qui in diuinorum mandatorum via impigrę cucurrerunt, vitam æternam, illustremq; coronam. Nec enim iustus Deus vllum omnino opus relinquit, quod iusta mercede non penset.*

Apoc. 14.

Illud autem, Opera illorum sequuntur illos: expositum est alibi, sed nec magna quoque expositione indiget. Solum enim hęc indicatur, vt illi, qui adorauerunt bestiam, nullam vnquam habituri sunt requiem: ita Christi fideles ob labores, fidei virtutisque causa patienter toleratos, sempiterna requie vicissim potituros. hoc enim designant verba illa: Opera illorum sequuntur illos. Opponit enim opera operibus, & stipendia stipendijs. Nam vt alteri propter bestiam eiusq;

eiusq; imaginem adoratam, nullam habent requiem, neque habituri sunt vnquam: ita alteri propter insignem patientiam, accuratissimamq; mandatorum Dei obseruationem, suauissima illa pace, & cœlestis patrię requie nullo vnquam tempore carituri sunt. Est enim illustris hic locus ad firmandum constituendumq; eternę vitę meritum.

Eodem tendit illud Apostoli: Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundũ suum laborem. Fatendum est tamen, non de cuiusque operarij mercede promiscuę hęc agi, sed ex instituto de illorum remuneratione, qui Christo seruiunt in Verbi ministerio. Nam ne ij, qui syncerę, fideliterq; Euangelizāt, nulla se re operam suam in hoc munere posituros existimarent, propterea quod, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, ideo subiungit, præmium labori par fore, vtcunque tandem Euangelizatio fructificet. Atque ita insinuat impigrę functioni huic incumbendum esse, propterea quod merces futura sit amplissima, vtpote impensę industrię, laboriq; per omnia exequata.

Cũ idem verò Apostolus ad eosdem Corinthios hunc in modum scribit: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. inter cætera causam exponit, cur viriliter contra carnem, mundum, ac diabolium pugnamus, vitijsq; fortiter obsistendum, ac solidis virtutibus impigrę insistendum sit, quia nimirum velimus nolimus, oportet nos omnes ex ætissimo Christi iudicio sisti, publiceque de omnibus, etiam minimis, quę in corpore gessimus, rationem reddere. Id quod perquam horrendum est, non tam propter ipsum iudicium, quàm propter ea, quę illud consequuntur, quę vtique sunt eterna supplicia, si in corpore, vel carne existentes, carnis corruptionem seminauimus.

Cognatum est huic alterum illud eiusdẽ Apostoli, Omnes stabimus ante tribunal Christi. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. quauis alia de causa in medium

ab eodem allatum: Volunt enim per hoc comprimere temerarium de proximo iudicium, præsertim in rebus medijs; cuiusmodi sunt, quæ in vtranque partem piè exponi possunt. Quandoquidem dum aliorum dicta, vel facta, quæ dexterè poteramus, sinistrè interpretamur, & illis iniurij sumus, & nobis nihilominus culpam asciscimus. Sunt igitur eiusmodi media Dei iudicio relinquenda: hic enim suo loco, & tempore coget singulos de factis suis rationem reddere.

Cap. 6.

Cæterum dum idem Apostolus Galatis, & per illos cæteris omnibus concionatur, vnumquenque onus suum portaturum: Verum id esse ostendit, quod Spiritus sanctus dudum antè per suos prophetas denunciauerat: nempe filium non portaturum iniquitatem patris, neque patrem vicissim iniquitatem filij, sed vnumquenque suum proprium onus, hoc est, suam propriam iniquitatem ad iudicium delaturum esse, & hoc rectè, politicæque æquitati consentaneè. Neque enim hîc filius laqueo adiudicatur propter fura paterna; nisi fortè paterni criminis particeps extitisset: Nec pater rursus propter filij improbitatem plectitur; nisi forsitan, cum potuisset, & debuisset ab improbitate illorum coercere, non coercuerit, & per consequens improbitati illius ansam præbuerit.

Et quemadmodum vnus pro alterius scelere non punitur, saltem poena spirituali, & sempiterna: ita vnus quoque pro alterius virtute coelesti gloria non coronatur. Atque huc alludit Apostolus, dum ait: Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Nullus enim saluabitur alterius meritis, sed quicumque; saluantur, proprijs meritis saluantur. Hæc tamen Christi meritum non excludunt, sed includunt. Apud homines infantes perinde interdum puniuntur, ac fontes; otiosiq; ac immeriti aliorum laboribus & fructibus non infrequenter potiuntur: apud Deum autem ita res non habet. Ille enim non potest decipi, aut propter

propter inordinatam aliquam sympathiam à recta iustitiæ semina in alteram aliquam transferri, sed vnicuique reddit prout in corpore seminauerit. Patet ergo nihil harum omnium Scripturarum aduersari illis, quæ de suffragijs in Ecclesia Dei traduntur.

Ad id porro, quod ex Ecclesiaste adfertur, solet responderi, & verè quoque responderi potest, illum ibi non de spirituali, sed de ciuili, externorumque operum communicatione ex instituto differere. Ait enim: Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent partem in hoc seculo in opere, quod sub coelo geritur. Deinde de quibus operibus id affirmaret, exponens, illico subdit: Vade ergo & comede in lætitiâ panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiet. Sed neque de quibus suis quoque promiscuè mortuis id asserere videtur Sapiens: sed de mortuis vtraque morte. Attribuit enim illis inuidiam, & odium, & inordinatum amorem, quæ vtiq; vitia non sunt iustorum, sed iniustorum. Addit præterea nullum illis reliquum esse præmium, quod sanè de iustis verè affirmari non potest. In Scripturis deniq; mortui vox, & si non semper, plerumque tamen in deteriorem partem accipitur.

Ad veterum autem sacrificia quod attinet, non inuitè fatemur, in Mosaica lege nihil peculiare de sacris funebribus cautum extare: at hinc tamen non sequitur, nihil eiusmodi ea in lege receptum, vsitatum ve fuisse. Nam vt Christianus orbis non ea tantum obseruat, vel vitat, quæ Euangelium mandat, vel verat, sed alia præterea multa, quæ viua voce à Christo, vel Apostolis, vel legitimis eorum successoribus accepit: ita Iudæi non ea solum religiosè obseruabant, quæ in Mosaica lege disertè exarata extabant, sed ea etiam, quæ Moyses viue vocis oraculo tradiderat. Inter quæ parentandi quoque ritum, & suffragandi mortuis officium extitisse, ex Machabæorum, & alijs sacris voluminibus manifestum est. Sed nulla quoque eiusmodi consecutio est: Hoc vel illud in veteri, vel noua lege non

est scriptum, Ergo est falsum. vel, Ergo non est obseruandum. Fallit hoc enim in quàm plurimis. Constat enim multa passim obseruari, & quidem religiosè obseruari, imò nonnulla quoque credi, quæ tamen in neutra lege testimonia habent. Denique communis animi conceptio est: argumentum negatiuum in sacris non procedere.

Quò autè Elibertinæ Synodi inhibitiō pertineat, id ex ipso contextu manifestum est. ait enim: Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeterijs peruigilent, cò quòd obtentu orationis, scelera latenter committantur. Hæc sanè sanctio Ecclesiæ suffragia non vetat; sed flagitia, & Paganismi reliquias, quæ non absque graui numinis offensione ijs in locis sub pietatis specie exercebantur, cõdemnat. Enimuerò post pacem Ecclesiæ redditam, permulti ex imperita multitudo multa fœda, & à vera religione prorsus aliena, sub funebriũ iustorũ schemate, cùm interdiũ, tum noctu quoq; in Diuorũ delubris, & cœmeterijs perpetrabãt. Neq; enim, vt Augustinus testis est, cõtentii erant luxuriosè eiusmodi in locis potare, & comessari, sed cò quoque nonnulli ex illis superstitionis procedebant, vt ipsis etiam extinctis cadaueribus epulas exhiberent. Nolite ò Manichæi, scribit ille, confectari imperitorum turbas, qui vel in ipsa vera religione superstitionis sunt, vel ita libidinibus dediti, vt obliti sint, quid promiserunt Deo. Noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos seipso sepeliãt, & voracitates ebrietatesque suas deputent religioni. & alio rursus loco idẽ: Comessationes & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solùm per dies solennes, sed etiam quotidie celebrentur. Arceatur igitur tantum dedecus de sanctorum corporum sepulchris, de locis sacrorum, de domibus orationum. Hactenus Augustinus.

Porrò autè cur diues Epulo passus fuerit repulsam, id nulla explicatiōe indiget. Planum est enim ipsum nõ ad purgatorium, sed rectà ad infernum deportatum fuisse. In inferno

autem,

autem, vt lege ordinaria nulla est redemptio; ita nullus quoq; suffragiorum est vsus. Imò verò cum manifesto vitio coniunctum foret, ijs ex professo per qualiacũque opera patrocinari uelle, quos tartareis flãmibus addictos esse certò cõstaret. Quòd si secũs quandoque factum est: aut erratum est, aut ex peculiari diuini Spiritus instinctu id factum est.

Quæ ex Ambrosio, Chrysofomo, Cypriano, & alijs quibusdam contra luctum adferuntur, ea nihil penitus ad rem faciunt. Aliud est enim inhibere immoderatum, peneque gentilitium lugèdi ritum, aliud orare, vel sacrificare pro mortuis: hoc enim piũ & sanctum est; illud verò eo modo, quo olim fiebat Mediolani, & etiamnum fit alicubi, stultum, & ineptũ, & sæpe quoque peccatum est. Vnde idem Ambrosius, Faustinum super obitu germanæ suæ consolans, hunc in modũ scribit: Non tam deplorandam quàm prosequendã orationibus reor: nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandã arbitror. Hęc sanè non suffragia, sed insanum tantũ luctũ dissuadent. Cùm autè Ambrosius animam non esse mœstificandam, & alij quidam, defunctorum spiritus non esse inquietandos dicunt, figuratè loquuntur. Significant enim non esse aliquid eiusmodi committendum, quòd suapte natura sit tale, quòd spiritus turbare possit. Sed & simpliciter quoque exponi queat. Nam etsi spiritus, qui in purgatorio detinètur, quæ hïc fiunt, cognoscere nõ valeant: cognoscunt tamen interdum Angelorum indicio, nonnunquam quoque ab illis hæc hauriunt, qui hinc ad illos descendunt. Quidam præterea inde ad nos exire sinuntur, licèt id rariũs.

Tandem ad locum ex D. Hieronymo allegatum respondet Gratianus eadem illa quæstione, & causa, vnde hic petitus est. ait autem Hieronymum nõ de omnibus illud asserere, sed tantũ de impœnitentibus, de quibus dictum est: Non dabit Deo placationem suam, nec precium redemptionem animæ suæ: & ideo frater non redimet eum, sed laborabit in æternum, & uict

Nefas est,
orare pro damnato.

Lib. 2. epist. 3.

Lib. 1. c. 34. de morib. Eccl.

Epist. 64. ad Aurel. 44. distinct. c. Comessationes.

Luc. 16.

13. q. 2. c. 1m præsentii.

Psal. 48.

uet adhuc in finem. Verum Hieronymianum illud longè re-
ctius ad ultimam retributionem transfertur. Nam ubi cò se-
mel ventum fuerit, nullus amplius suffragiorum, aut interces-
sionum erit locus: sed vnusquisque suam tunc sarcinam baiu-
labit, suisque factis digna recipiet: Laudem quidem, & hono-
rem, & gloriam, si benè se gesserit; ignominiam verò, & pro-
brum, si peccatis se contaminauerit, in eisq; citra poenitentia
viuendi finem fecerit. Quauis interim, quod de laude, & ho-
nore hìc dicitur, ne hoc quidem tempore locum habeat. Laus
enim, vt & meritum quoque, proprium tantum opus spectat.
Haftenus tamen vtrunque in alterum quoque redundat, qua-
tenus alter laudabilis mercede, ve digni operis aliquo modo
causa extitit. Efficaciter enim ad opus inducens, vel consilium
dans, suo quoque modo operatur. Quæ ergo ex Scripturis, &
Patribus contra suffragiorum vim adferunt Antagonistæ, ea
nullarum virium existunt.

Sed nec illa quoque iacula, quæ ex Scholæ pharetra depro-
munt, graue aliquod vulnus infligunt. Argumentantur autem
in hunc modum: Deus non punit vnum propter alterius pec-
catum, Ergo vnum quoque propter alterius meritum à pœna
non absoluit. Adhæc, quod alter facit, hoc in mea potestate
non est positum: quod autem liberum non est, hoc neq; me-
ritorium, neq; satisfactoriū est. Tertio, mortui deuenerunt ad
certum vite statum, Ergo nihil illis per nostram operã accede-
re potest, maximè verò cum iuxta Philosophū nulla inter vi-
uos & mortuos communicatio intercedat. Quarto, iuxta Dei
sententia per nostram intercessionem immutari nō potest: sed
Deus vniciq; defuncto pro meritorum ratione taxat hanc
vel illam poenam, ea ergo nostra interpellatione demutari nō
valet. Neque, vt possit, ad hoc tamen eniti deberemus: tum
ne iustæ Dei voluntati obsistamus: tum rursus, quod hi poti-
oris conditionis sunt, quàm nos ipsi, vtpote de sua salute certi,
& in gratia confirmati: tum denique, quod nostra hac opera
nonnullam merendi occasionem illis adimere videamur.

Addunt

Addunt quintò: Esto sanè pro defunctis orandum sit: At quor-
sum attinet toties pro vno eodemque orare? An non sat est,
si semel atque iterum Deo, qui semper paratus est audire, com-
mendentur? idq; adhuc cum commoda aliqua cōditione. Ne-
que enim omnes digni sunt, qui liberentur. Sextò, quotquot
moriuntur, aut decedunt hinc in gratia, aut extra gratiã. Si extra
gratiã, suffragia nostra illis nihil profunt. Si in gratia: aut cum
peccati alicuius sensu, & poenæ debito, aut sine vtroq;. Si sine
vtroq;, nō indigent nostra ope. Si aut in peccato, ab illo per no-
stra suffragia liberari nequeunt, sed tantum per proprię volun-
tatis reformationē. Quod si verò cum poenæ reatu, nec ex eo
vinculo poterimus illos eximere: Cōstat enim poenas purga-
torij nō eiusdē rationis esse, cū presentis vitæ cruciatibus. Se-
ptimò & postremò, cum mors terribiliū omniū sit terribilissi-
mū, credibile sit per illius aculeos totū illud poenarū absumi,
quod in iustis reliquum adhuc erat: Atq; ita nihil supererit, in
quo suffragia nostra vitæ munere perfunctis prodesse valeant.
Hæc illi, quæ tamen iam antè maiorem in partem diluta sunt.

Ad primum horum respondetur, falsum esse quod sumitur.
Sæpe enim populus propter principum scelera punitur, & fi-
lij propter parentum, & parentes rursus propter filiorum ini-
quitatem plectuntur. Adde huic, vt nemo propter alterius de-
lictum multatur, quod cōsensu, vel impulsu, vel aliqua alia ra-
tione nō est suum: ita nullū quoq; alterius commodo potiri,
quod aliquo modo ad se nō pertineat. Dicit quoq; sic queat, iu-
stitiæ dissentaneū esse, id alicui adimere, quod suū est: dare aut,
quod iure nō debebatur, id iustitiæ aduersum non esse, sed insi-
gnis liberalitatis opus esse: Nō potest aut quispiã propter alte-
rius peccatū poena affici, nisi bonū aliquod debitū adimatur.

Ad secundum dicitur, suffragiorum opus, quodcunq; illud
fuerit, antecedente demortui voluntate voluntarium esse: De-
siderat enim vnusquilibet mēte vtens viuentiū suffragijs sub-
leuari, tum in hac, tum in altera quoq; vita. Est rursus faciētis
voluntate voluntarium: Spontè enim, & liberè opus suum,

qqq

qua.

quatenus communicabile est, alteri communicat. Est denique iusta Dei voluntate voluntarium: Siquidem illa operum communicatio inter mēbra sua est illi apprimè grata, acceptaque. Verùm quia eiusmodi opus formali illius voluntate, pro quo offertur, non est voluntarium, fit vt illi ad vitam æternam non sit quoque meritorium; sed tantum pœnæ, qua obstrictus tenebatur, expiatorium.

Ad tertium respondetur, in purgatorio existentes ad meritum terminum absolutè iam deuenisse. Nec enim per se, aut per alios auctius illud facere possunt: sicut nec amplius quoque peccare, aut gratiam amittere. herere tamè adhuc in itinere propter pœnæ reatum: à quo liberari queunt, non solum per pœnā propriam, verùm etiam per aliorum satisfactionem. Vel hætenus in via adhuc hærent, quatenus eorum progressus ad vitam æternam etiamnum impeditur. Sunt ergo in termino simpliciter, in via autem secundum quid. Quod ex Philosopho eidem argumento assuitur, id causæ bonitatem non infirmat. Loquitur is enim de ciuiliū operum communicatione, non de spiritalium officiorum κοινωνία, quæ ipsi ignota erat, sicut & ipsa quoque spiritalis vita.

Quartum argumentum, aut nihil probat; aut si quid probat, probat etiam non esse orandum, non ferendum, non pro vilius omnino peccatoris conuersione, aut pœnitentis stabilitate orandum, non quicquam denique operæ vllam omnino in rem ponendum esse. Nam si Deus nolit fruges prouenire; aut hunc, aut illum ad gratiam peruenire, aut in suscepta quoque gratia ad finem vsque perseuerare, frustra operam omnem sumemus. Sed quid hoc dici, aut cogitari queat perniciosius? aut à diuinis literis alienius? Oramus proinde, & laboramus, non vt iustam & sanctam Dei Opt. Max. sententiam nostra oratione, vel labore interuertamus, aliove deflectamus: sed quò id feliciter eueniat in tempore, quod is ante omne tempus, omnemque temporis mensuram nostro labore, vel oratione intercedente, effectum volebat. Cùm enim Deus non solum sit potens, & cle-

mens,

mens, sed summè quoque sapiens, certo quodam ordine disponit omnia. Certus autem ordo postulat media ad propositum finem certa, finique obtinendo proportionata. At finis noster vltimus est vita æterna. Ad hanc pertingimus per gratiam. Ad gratiam aut peruenimus per Sacramenta, per bonum liberi arbitrij vsum, per aliorum preces & intercessionem, & per alia eiusmodi media. Iam ad argumentum: Vult misericordiarum pater iustorum spiritus ex purgatorijs cruciatibus liberari: sed non per hoc, vel illud medium præcisè, sed per hoc, vel illud indeterminate. Quare pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur, non est Dei voluntati repugnare, sed egregiè se illi conformare.

Ceterum potioris ne conditionis sint, qui detinentur in purgatorio, quam qui adhuc peregrinantur in hoc seculo, (nam hoc quoque in argumento tangebatur) id satis compertum nondum habeo. Quauis enim illi in tuto sunt collocati, crescere tamen amplius non possunt: hi autem possunt. Vt cuique sit, ad rem, quam hic tractamus, planè impertinens est: Nam & minor quoque maioris gratia orare, & laborare potest, & quidè salubriter orare, & laborare potest. Quod de præmij iactura ibidem addebatur, id ad vitæ huius satisfactionem relatū, admittere licet: Siquidem quoduis opus propriè satisfactorium in hac vita, simul quoque est meritorium. Verùm si de alterius vitæ satisfactione, vel satisfatione accipiatur, admitti nullo modo debet: In purgatorio namque nullus nouo merito locus est. Vnde quò citius inde liberantur anime, eò felicius cum illis agitur. Quare magna quoque contentione ac desiderio viuentium suffragia expetunt. Ecclesia quoque assidue, & impigre pro talibus orat, incruentumque illud altaris sacrificium immolat, quod utique nunquam factura esset, si earum gloriæ per hoc detrimentum aliquod accideret. Potior est enim minimus gloriæ gradus, quam omnes mundi huius diuitiæ: & satius fuerit grauissimas pœnas vel vsque ad seculi finem in purgatorio perferre, quam minimæ gloriæ iacturam facere

Ad quintum respondetur, nullum piaculum esse, eiusdem rei

qqq 2

causa

Nullū est piaculum eiusdē rei causa sapius orare.

causa sapius orare: etiāsi rectē ores. Nā & Christus Dominus ter supplicauit patri, vt passionis calicem ab sese transferret: & Apostolus Paulus totidem vicibus eundē rogauit, vt se ab angelo Sathanæ, qui illum colaphizabat, liberaret: & Dominus alicubi monet semper orādum esse: & primitiua Ecclesia sine intermissione orabat pro Petri salute: & Ecclesia p̄ certis personis & rebus, puta pro Pōtifice maximo, pro Imperatore, pro Rege, pro Antifite, pro tranquillitate & pace, alijsq; id genus non paucis quotidie orat. Promisit sanē Christus se daturum quicquid in nomine illius peteretur: At interim non omnes, qui petunt, statim in Christi nomine petunt: habēt enim multō plures, hac præsertim tempestate, Christum in ore, quā in pectore. Cur autem crebrius pro defunctis oretur, non obscura est causa. Primō, de debiti, quod contraxerunt, qualitate, & quantitate certō non constat. Deinde, vt de vtroq; certō constaret: adhuc an integrē eorum fructum capiant, quæ illorum causa præstantur, dubitare licet. Credibile fit enim, quī in hac vita in explenda propria satisfactione minū diligentes fuēre, vel exiguam quoque defunctorum rationem habuēre: eos tardiū eiusmodi adminiculis subleuari. Deniq; alia hominum, alia Dei sunt iudicia. Cū ille ergo nullum peccatum relinquat impunitum, & nos in multis offendamus omnes: formidare licet quosdā diuturno tempore a cœlesti patria excludi, pœnisque emundatorijs exercei. Vnde nullum absurdum committunt, qui diu multumque pro vno eodemque orant.

Graves sunt cause, cur crebrius eiusdē defuncti gratia oretur, vel sacrificetur.

IACO. I.

Nunquā frustra pro piē defunctis oratur, vbi cunq; tandem illi fuerint.

Quod de conditionata prece ibidem subiungebatur, illud nullius momenti est. Eiusmodi enim conditiones, quanuis nō exprimantur, semper tamē subintelliguntur. Quam ob rem nullius temeritatis est, eo modo & animo pro defunctis orare, vel sacrificare, quo Ecclesia pro illis orare vel sacrificare assolet. Nō enim illa orat nisi pro ijs, quos probabiliter cū pietate dōmitionem accepisse persuasum habet: Hi autē, vel sunt in cœlo, aut in inferno, aut in purgatorio. Si in purgatorio, conferunt illis, quæ illorum causa fiunt, vel ad plenam remissionem, vel certē

certē ad qualemcunq; pœnarum mitigationem. Si autem ardent in inferno, exhibita suffragia ad eorum vsum redeūt, qui pio zelo ea exhiberant. Si verō triumphant cum Christo in cœlo, faciunt ad quoddā accidentale beatorum premiolum.

Ad sextum dicitur, qualiter Christi fideles affecti hinc excedant, id certō sciri non posse: Ecclesiam tamen (nisi de opposito aliquo constiterit) piē hinc excessisse præsumere, nō ea tamen integritate, vt nihil pœna dignum secum abstulerint: atque ideo misericordiarum patrem, vt illos pro sua clementia ab eiusmodi pœnæ vinculo absoluat, suppliciter rogare: Hanc autem petitionem, si non aliunde impediatur, plerunque efficacem existere. Nec obstat, pœnas purgatorias non eiusdem cum vitæ huius crucibus & afflictionibus rationis esse. Nam à creditore non exiguntur pœnæ illæ purgatoriæ absolutē & præcisē: sed vel hæ, vel aliæ æquivalentes. Quod si illæ absolutē exigenterentur, omnes vitæ huius satisfactiones essent inefficaces & superuacaneæ, quod falsum est. Cæteris enim exequatis, Deo magis probantur, quā alterius vitæ cruces & satisfactiones: prout hæ magis quoque sunt propriæ & voluntariæ, quā illæ.

Pœnitens nō debet purgatorij pœnas absolutē & præcisē, etiam remissionis quā par est pœnitent.

Ad septimum & postremum responsum est iam antè dictum est enim, mortem etiam patienter toleratam non omnē semper pœnam abolere, nedum eam, quæ inuito genio, & obnitente voluntate, vt multæ solent, excipitur. De morte propter iustitiam vel Christi fidem illata aliud est. Infirmæ proinde sunt rationes omnes, quas contra demortuorum suffragia obijciunt aduersarij. Sed quia quæ hactenus de suffragiorum vi disputata sunt, generalia sunt, actiones autem plerūque omnes circa singula versantur: quō hæc pars illustrior euadat, pressius aliquanto, & articulatiū de ea differere lubet.

Non eandem suffragiorum omnium vim, nec eandem rursum suffragantium omnium conditionem esse.

CAPVT SEXTVMDECIMVM.



D suffragiorum verò genera quod attinet, licet tot assignari queant, quot pia opera defunctorum causa suscipi possunt: communiter tamen ad tria, vel quatuor referri solent: Nempe ad altaris sacrificiũ, ad eleemosynam, & orationem. Orationibus sanctæ Ecclesię, inquit Augustinus, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quę pro eorũ spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerũt. Hoc enim à Patribus, id est, Apostolis, traditum vniuersa obseruat Ecclesia. & infra: Impleant homines hæc erga suos officia muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verũm illa, quę adiuuent spiritus defunctorũ, oblationes, orationes, & erogationes multò pro eis obseruantius, instantius, abundantius impendant. & alio rursum loco idem:

Quæ cùm ita sint, non æstimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quod pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificijs solenniter supplicamus. Quauis non pro quibus fiunt omnibus profint, sed his tantũ, quibus, dum viuunt, cooperantur vt profint. & Epistola ad Aurelium: Negandum non est defunctorum animas pietate suorum releuari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynę in Ecclesia fiunt. Hęc Augustinus de suffragiorum generibus, à quibus cæteri Patres non dissentiuunt, licet singuli non omnes has partes attingant, & nonnulli quoque plures constituent. Nam Gregorius, quem Canonũ interpretes hęc emulantur, Missæ sacrificio, orationi, & eleemosynę, ieiunia quoq; adiũgit. ait enim: Animę defunctorum quatuor modis soluntur, aut oblationibus Sacerdotum,

dotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.

Eadem ad verbum repetit Iuo Carnotensis Episcopus, nec Lib. 5. c. 124. caret ea sententia veterum autoritate, viuoq; eorũdem exemplo. Legimus enim priscam Iudæorũ gẽtem nõ solum pro defunctis orasse, eleemosynas erogasse, sacrificia obtulisse, verũm longa quoque ieiunia celebrasse. Certè habitores Iabes Galaad propter mortem Sauli, & filiorum eius, septem dierum ieiunio sese macerarunt. Sed & David quoque cum manipularibus suis eadem ob causam vsque ad vesperam inedia sese afflixit. Eodem quoque pertinere videtur veterum planctus ad plures sepe dies productus. Nullum enim est dubium, quin eiusmodi luctui alias quoque, quę rei præsentis cõuenirent, afflictiones, carnisque castigationes adiungerent. Imò verò Christus Dominus ipsum formale ieiunium luctus appellatione designat. Nam cùm discipuli Ioannis cum eo expostularent, ac dicerent, Quare nos ac Pharisei ieiunamus? frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Respondit illis Iesus, Nunquid possunt filij sponsi lugere, hoc est, ieiunare, quam diu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Matth. 9.

Sancta Brigida cæteris satisfactionis partibus, suffragiorumve generibus alieni restitutionẽ accenset quoq; ait enim: Tria sunt, quę faciunt imminui tam lögum tempus poenę, & extingui ignem, & liberari de manibus dæmonũ. Primum est, si per aliquem reddantur ea, quę iniuste alijs abstulit, & extorsit, vel reddere iuste alijs tenebatur. Hoc enim est iustum, vt tam diu anima purgetur, donec illa, quę iniuste per eam ablata sunt, restituantur, vsque ad minimum quadrantem, aut per preces Sanctorum, aut per eleemosynam amicorũ, vel per purgationem ad hoc dignam. Secundũ est copiosa eleemosyna: per hanc enim extinguitur peccatum, sicut per aquam extinguitur ignis. Tertium est corporis mei oblatio in altari pro eo, & amicorum meorum preces. Hęc autem sunt tria, quæ

Serm. 34. de verb. Apost.

Orare pro defunctis, Apostolica traditio est.

Cap. 18. de cur. pro mor.

Epist. 46.

Tria August. quatuor suffragiorũ genera assignat Gregorius.

c. Animæ. 13. q. 2.

Cap. 66. eiusdem libri.

Alieni restitutio non est propriè pars satisfactio- nis.

que liberabūt animam eius ab illis tribus pœnis. Alibi eadem ferme repetit, & alia plura addit. Sunt tamen quædam in his obscura, & piè potius exponenda, quàm publicè prædicanda. Nam etsi alieni restitutio (de cæteris enim loci huius partibus disputare nō attinet) ad salutem sit necessaria, propriè tamen ad hanc partem non spectat: Siquidem aliena restituere, non est pro peccato, quod iniqua ablatione in Deū admissum fuerat, Deo satisfacere, sed est à peccandi libidine desistere. Quousque enim, quod possum, & iure restituere debeo, non restituo, in Dei & proximi offensā semper persisto. Restitutio nanque est opus iustitię, quo id proximo in integrum refunditur, quod ipsi quouis modo ademptū fuerat: Satisfactio autem fit Deo ratione iniurię illatæ.

Quam ob rem si æger morti vicinus alieni restitutionē, quā tum per se facere non potest, (vel quia, quod soluat, ad manum non habet; vel quia ob morbi magnitudinem huic rei vacare non potest) hæredibus suis, ut primo quoquo tempore faciant, seriò iniungit: si quidem nullo alio impedimento tenetur, rectà mox ad superos euolat, etiamsi perfidi hæredes fidem fallant, nec obulum vnum ex omnibus, quæ quouis titulo aut nomine debebantur, soluant. Contrà verò, qui aliena, quæ sciens volensque invito domino possidet, cum possit, & debeat, per se non restituit, neque restitui per alium satagit, certissimam damnationem sibi asciscit, etiamsi ipso extincto damnum illatum, vel alienum malis artibus ablatum, in quadruplum refarciant, restituant, ve hæredes, vel alij defuncti opes administrantes.

A ratione itaque alienum videtur existimare animam defuncti tantisper in purgatorijs pœnis detineri, donec id restitatur, vel exoluatur, quod iniusto quandoq; titulo ab eo possessū acceptum, ve fuerat. Sequeretur hinc enim innumeras animas perpetuò citra ullam propriam culpam in purgatorijs pœnis detentum iri. Constat nanq; plurimorū demortuorum debita, etsi seuerissimè iniuncta fuerint, nunquā dissolui. At-

qui

qui procùl abest à diuina iustitia, ut vnū puniat perpetuò propter alterius perfidiã, vel iniquitatē. Sed & multi quoque sunt qui debitū conflatum, vel iniuste ablatū, etsi ardētissimè id cupiāt, exolucere, aut reddere nō possunt: ut sunt omnes illi debitores, qui vitę finē facientes, nihil in bonis relinquunt, quo id præstetur. A talibus autē solutionē, vel restitutionē exigere, aliud nihil esset, quàm miserū hominē ad impossibilia adigere: quod ne æquus quidē politicus iudex faceret, nedum Deus, cuius misericordia nō habet modū. Nihil ergo, saltē cōmuni lege, alieni restitutio ad defuncti causam pertinet. Nam aut in viuis adhuc existens fecit, quod debuit & potuit, atque ita corā Deo liber existit: aut, quod potuit & debuit, non fecit, & sic in omne æuum reus delicti corā iudice tenebitur. Hoc tamen hæredes à restitutionis onere non absoluit: Nam vbi- cunq; demortui anima extiterit, vel qualitercunq; debitor vitam finiuerit, illi obligātur ea omnia, quantū hæreditas, quam adierunt, fert, restituere, quæ defunctus debebat, quocunq; tandem titulo, vel nomine debebat. Quod nī faciāt, tenebuntur eodem modo rei, quo principalis; imò magis, si ille, quod in se fuit, antequam vita defungeretur, præstitit.

Cæteris suffragiorū generibus pleriq; Pōtificias cōdonationes adijciūt. nec iniuria. Nam cum in ijs diplomatis, quibus Veniarū forma, vel ratio pponitur, expressā interdū huiusce rei fiat mētio, citra manifestā Apostolicę Sedis contumeliã, & apertā Christianę religionis offensionē, istuc in dubiū vocari nō potest. Fatendum est tamē multò familiarius, multoq; frequentius in viuorū subsidium hæc gratias cōcedi solere, q̄ in demortuorū suffragiū. Tum cōcessas quoque, nō eodē modo his & illis prodesse: Siquidē viuētibus bifariam p̄sunt: vno modo per modū absolutionis, alitero modo p̄ modū iustę cōm-
tationis: defunctis autem neutro istorum modorum p̄sunt. Nec enim illi Sacramentaliter absolui possunt: nec id rursus præstare, quod Indulgentiarū causa præstitum oportuit. Pro-

Indulgentiæ non eodem profunt viuuis atque defunctis.

sunt autem illis solūm per modum suffragij. Quandoquidem

rrr

non

non sua, sed amicorū, vel familiaritū opera Veniarū participes efficiuntur: Non secūs ferè ac si viuorū quispiam inopia, aut infirmitate præpeditus, non suis viribus, aut opibus, sed alterius liberalitate milite contra Turcā conducto, Indulgentias, per se, vel per alium contra infideles militanti concessas, obtineat. Vtrobique tamē iustitia suum locū retinet: sit enim, quod condonationū causa factum oportuit: quod autem per alium fiat, & per alium factū liberaliter admittatur, id est gratiæ & misericordiæ.

Cæterum illum ne iustum esse oporteat, qui opus eiusmodi demortuorum causa explet, an verò secūs, id discutere, alterius loci est. Sicut & illud quoque, Eiusmodi ne Indulgētia, quæ defunctis applicantur, iustitiæ innitantur, aut tantum Dei liberalitati, vt preces & supplicationes, quæ illorum causa fiunt. Sed neque rectè quoque, citra distinctionē responderi ad id potest. Constat enim aliud esse eleemosynā pro defuncti liberatione erogare, aliud pro eodē orare, vel ieiunare, vel sacrificare. Aliud rursus spontè id facere, aliud ex Ecclesiæ, vel defuncti mandato. Aliud tandem pro eo qui id promeritus est, aliud pro eo qui oppositū promeritus est. Hæc tamē postrema distinctio sano sensu accipi debet. Certum est enim, quotquot in purgatorio sunt, hoc ipso, quod ibi sunt, suffragiorū capaces esse, & suo quoque modo, vt ijs potiātur, promeritos esse. Dicetur nihilominus & de hoc quoque, dubio paulò post aliquid.

At cur, inq̄s, Augustinus, Gregorius, & alij veteres inter cætera suffragiorū genera Indulgētias quoque, nō recensent? Recensent, sed implicite: cōtinentur enim in membris ab illis assignatis. Quicunq; enim Veniarū fructu potiri volūt, aut orēt, aut ieiunent, aut eleemosynā erogent, aut aliud aliquid simile præstent, necessum est. Adhæc D. Augustini ætate Indulgentiæ in Ecclesia minùs erant vsitata. Nam cum per id tēpus homines essent feruētes, & Canones poenitētiales rigidè obseruarentur, illius seculi poenitentes non pendebant ex eiusmodi gratia: sed debitum à se contractum, Christi gratia adiuti, per se exolvebant. Denique Ecclesiasticæ Veniæ primario, vt

modò dicebatur, defunctis non profunt: sed secundariò tantum, & per modum suffragij. Non enim præstant illi, quod Indulgentiarum causa præstitum oportuit: sed alius illorum loco & vice. Atque ita causas habuerunt veteres, cur expressam Indulgentiarum mentionem nullam facerent.

Quæ hæc ænus exposita sunt, planum faciunt triplex tantum proprium suffragiorum genus esse: videlicet altaris, eleemosynarum, & orationum sacrificium: quorum præcipuè quoque, antiqui meminerunt. Nam ad ieiunium quod spectat, licet illud molestum, carniq; infestum sit, non ita tamen ad alterum refertur, atque ad ipsum ieiunantem. Ipsum enim affligit, ipsum macerat & extenuat, non alterum. Atque ita inter opera satisfactoria rectius reponitur, quàm inter suffragiorū genera. Quæ tamen ratione ieiunia ad suffragia reducuntur, eadem reliquæ omnes corporis afflictiones, vt sunt vigiliæ, humi cubationes, peregrinationes, & alia id genus complura, ad illa referri possunt.

Ieiunium rectius inter opera satisfactoria reponitur, quàm inter suffragiorum genera.

Ternarij autem numeri huius ratio qualiscunq; eiusmodi reddi potest. Quicquid vniuersè defunctis prodest, aut per modum meriti, aut per modum suffragij illis prodest. Per modum meriti viuentium suffragia bifariam illis profunt. Vno modo ad præmium accidentale. scriptū est enim: Particeps sum omnium timentium te Domine. Altero modo ad satisfactionem: vt cum pia viuentiū opera, certo animi proposito certis defunctorum spiritibus applicātur. Per modum autem suffragij libertate potiuntur & absoluuntur, cum viuorū, tū demortuorū quoque, precibus. Nam etsi felices illæ animæ in eo statu nō versentur, in quo mereri & satisfacere queāt: versantur tamen in eo, in quo, quod petūt, impetrare valeant. Neque hinc tamē inferri potest animas exiguo tēpore in purgatorio herere. Nam cum Sancti diuinæ iustitiæ ordinem facile assequātur, nō omnes orāt pro quibuslibet, sed pro ijs, vel vnicè, vel maxime, quas Deū Opt. Max. per quascunq; illorum preces à poenis absoluere velle animaduertunt.

Psalm. 135.

Inter suffra-
gia altaris sa-
crificium pri-
mas obtinet.

Ad vim porrò suffragiorū quod attinet, dubiū nullū est, quin altaris sacrificiū inter omnia primas obtineat. Neq; enim duodecim tantū millia argēti à Iuda Machabeo hīc offerūtur, sed infinitus gratiarū oīm thesaurus, nempe vnigenitus Dei filius: idq; per Ecclesiā, cuius charitas, & deuotio Deo gratissima: vel p̄ ipsum veriū vnigenitū Dei filiū. Idē enim est hīc offerens; & res oblata, & eadē quoq; oblatio. Qui enim semel pro peccatis nostris Deo se obtulit, nūquam se offerre desistit. Quauis vnā cū ipso, ipsa quoq; Ecclesia p̄ suos ministros ipsum offerat, suasq; preces, & vota huic sacrificio cōiungat, quo etiam nomine cæteris meritò præstat. Siquidē sacrificiū sine oratiōe cōstare nō potest: oratio autem sine externo sacrificio cōstare potest. Et quēadmodū sacrificiū hoc ad quiduis impetrandum p̄potēs est; ita iam inde ab initio ad obtinendā plenā defunctorū remissionē familiarissimè semper adhibitū est. Neq; enim, vt Sectis additi fabulātur, post magni Gregorij Episcopatū p̄ defunctorū tandē aliquādo offerri cœptū est, sed iam inde ab Apostolorū ætate pro illis oblatum, & sacrificatum est.

Homilia 69.
ad pop. An-
tioch.

Nō temere, scribit Ioānes Chrysostomus, ab Apostolis hæc sancita fuerūt, vt in tremēdis mysterijs defunctorū agatur cōmemoratio. Sciunt enim illis inde multū cōtingere lucrū, vtilitatē multā. Cū enim totus cōstiterit populus extēsis manibus, sacerdotalisq; plenitudo, & tremendū proponatur sacrificium: quomodo Deū nō exorabimus pro his deprecātes? Huc alludūt & illa Damasceniana quoq;: Diuini Apostoli Saluatoris discipuli, qui totū mundū ceperūt, viuū prædicando verbū, quod suis oculis viderāt, in tremēdis, & impollutis, vitalibusq; sanctis memoriā eorum, q̄ fideliter obdormierūt, habendā edixerūt. Quod adhuc firmiter atq; ad eō sine contradictione obseruat Apostolica, & Catholica Ecclesia Christi & Dei, à finibus vsq; ad fines terrę, ab eoq; tēpore vsq; ad præsens, & vsq; ad finē mūdi. Hęc Damascenus, cui p̄ omnia astipulatur Isidorus Hispalēsis Episcopus. ait enim: Sacrificiū p̄ fidelīū defunctorū requie offerre, vel pro eis orare, q̄a per totū hoc orbē custodi-

Scr. pro de-
functis.

Offerre pro
defunctis.
Apostolica
traditio est.

Lib. Offic.

tur,

tur, credimus q̄ ab ipsis Apostolis traditū sit. Eadē ad verbum repetit Rabanus, ad caput duodecimū Machabeorum scribēs.

Et vt hi, cæteri que omnes, qui post hos vixerunt, claram que huius rei mentionem fecerunt, altum hīc silerent: ipsa tamen Apostolorum gesta illustre veritati huic testimoniū perhibēt. Siquidem Iacobus Domini frater in sua Liturgia planis, apertisque verbis pro defunctis orat, ipsumq; sacrificium pro illis litat. ait nanque: Fac Domine vt oblatio nostra sit grata, & acceptabilis in propitiationē peccatorū nostrorū, & eorum, que populus per ignorantia admisit, & in requiem animarum eorum, qui ante nos dormierunt. Abdias Babylonius quoque, cuius suprà meminimus, Ioannem Apostolum pro Drusiana sacris operatum esse commemorat. Quid autem Apostolus Petrus Clementi, & per hunc cæteris circa hanc rem præfinuerit, id iam antè indicatum & explicatum est semel atq; iterum. Est ergo ritus ille celebrādi pro defunctis antiquissimus, liberandisque animabus efficacissimus.

Verū enim uerò licet Dominici corporis & sanguinis oblatio non solum propter rem oblatam, primarij que offerentis dignitatem, verū etiam propter preces pijsimas, & ad impetrandum efficacissimas adiunctas, inter cætera suffragia principem locum obtineat: vsu tamen interdum venire potest, vt satius sit largas elemosynas erogare, quàm crebras Missas celebrare: vt si magna aliqua fames, aut aliqua alia grauis calamitas populum opprimat, tyrannidemq; in pauperes passim exerceat. Imò verò seclusa quoque tanta illa necessitate vel calamitate, vbi aliquantus Missarū numerus pro personæ qualitate, fuerit celebratus, saluberrimum censeo liberales in pauperes, qui nusquam non obuij sunt, elemosynas dispartiri. Habent enim elemosynæ magnā expiandi virtutem, magnam que in Scripturis commendationem, & magnam tandem in cœlis remunerationē. Quin & Patres quoque, qui de mortuorum suffragijs scripserunt, magnam vbiq; huius rei rationem habuere. Vix enim vllum comperias, qui

Matth. 25.

Magna eleemosynarum
vis, & remun-
eratio.

eleemosynarum sacrificium præterierit. Legat, cui otium est, ea de re Clemētem Epistola prima ad Iacobum Hierosolymorum Episcopum, Origenem libro tertio in Iob, Athanasium libro de varijs quæstionibus, Ioannem Chrysostrum, Gregorium, cæteroque, quos longa serie supra percensuimus.

Merito proinde post altaris sacrificium proximum locum eleemosynæ assignaueris. Habet tamen & ipsa quoque oratio suas vices, ut quæ in Deum proximè, tanquam in proprium obiectum tendat, cæterisq; omnibus communior existat. Nullus est enim, qui Deo defuncti causam commendare non valeat: at multos comperias, qui externam eleemosynam, externum ve sacrificiū offerre non queant. Contra has tamen orationis prærogatiuas allegari posset, Missæ sacrificiū, ut & eleemosynas quoque, orationis expertes non esse. Siquidem Missæ sacrificium sine oratione non perficitur: eleemosynæ autem interpretatiuè orant, eosque, qui illa potiuntur, ad orandum excitant, & suo quoque modo ad orandum obligant. Denique oratio illius liberalitate, & benignitate præcipuè nititur, cuius auxilium imploratur: eleemosyna autem & sacrificium iustitiæ, ut paulò antè explicatū est, innituntur. Quamuis ergo oratio propter orantis deuotionē, & sanctimoniam plus aliquando efficere apud Deum queat, quàm sacrificium, vel eleemosyna: si tamen generatim ea de re loquamur, primū inter suffragia locum obtinet sacrificium, proximum eleemosyna, postremum oratio.

At quibus, inquis, demortuis uiuentium suffragia profunt, vel magis profunt? Quamuis ea communi quadam ratione profunt omnibus Christo per gratiam insitis: per modum tamen iustæ compensationis, aut suffragij, vel solūm, vel potissimum adiuumento sunt ijs, quibus ex instituto accommodantur, siue quorum in gratiam ex instituto exhibentur. Neque hoc in disputationem cadit, siue Ecclesiæ usum, & praxim spectes, siue rei ipsius naturam consideres. Certum est enim suffragia non alia de causa vita defunctis exhiberi, quàm ut à poenarum debito ab-

Suffragia profunt omnibus iustis, sed non ex æquo.

absoluantur: atqui difficilius fit satis pro pluribus, quàm pro vno; & facilius rursus pro vno, quàm pro multis. Ergo duo indigent amplioribus suffragijs, quàm vnus: Ergo vnum opus suffragatorium duobus, vel pluribus impertitum, minùs valet singulis, quàm si vni duntaxat impertiretur. Adhæc dubiū nullum est, si quis salutis suæ causa largam eleemosynam erogat, aut prolixam & crebram orationem fundat, vel altaris sacrificium frequenter offerat, vel per aliū offerri curet: quin isthæc omnia, cum in ratione meriti, tum in ratione quoque satisfactionis sibi plus profint, quàm alijs. Quare si testamento caueat, ut hæc, vel illa post mortem sibi impendantur, citra vllam controuersiam, plus isthæc præsidij sibi ipsi adferent, quàm alijs. In idem autem redit, siue ipse per se, siue per alium donet.

Præterea si sacrificium Missæ, vel eleemosyna, vel oratio tantum prodest illi, pro quo peculiariter non offertur, vel non erogatur, vel non funditur, quantum illi, pro quo ex destinato offertur, vel erogatur, vel funditur: ergo superuacaneam operam sumunt, qui, ut hoc, vel illud peculiariter pro se, vel altero præstetur, anxie quærunt. Quartò, quādo viuens satisfacit pro uiuente, illi soli opitulatur sua satisfactione, pro quo satisfacit. Ergo sua opera illi soli quoque mortuo prodest, pro quo hoc, vel illud opus impendit: cum par utrobique sit ratio. Quintò, humana iustitia, est quasi simulachrum quoddam iustitiæ diuinæ: atqui in humanis, si quis alterius loco & nomine soluit, ille solus à debiti vinculo liberatur, pro quo solutum penditur. Ergo in foro diuino proceditur quoque eodem modo. Denique suffragantis opus alteri, suffragantis est proprium: ut ergo fructus illius integrè maneret sibi, si in alium non transferret. (est enim dominus illius operis) ita totum quoque, quo deieo est alteri communicabile, integrè in illum transit, cui ille per voluntatis propositum illud communicatum cupit. Cum itaque in omnes transire non velit, sed in vnum tantum; vnus solūm fructum satisfactorium ex illo carperet, & non plures.

Horum omnium fundamētum est, quòd suffragiorum vis,

Suffragiorum omnium vis finita. vel

vel valor non est infinitus, sed intra certos limites conclusus. Omne autem finitum in partes dissectum fit minus: atque ideo inter plures distributum singulis obuenit minus, quàm si totum vni in solidum relictum esset. Et quidem precum & elemosynarum vim finitam esse, dubitat nemo. De valore verò & precio sacrificij Missæ, ideo à quibusdã dubitatum est, & etiam nunc à nonnullis dubitatur, quia vnum illud inter omnia Christum Deum ac Dominum nostrum, immensum utique bonorum omnium pelagus, verè, realiter, ac substantialiter in se continet. Sed sanè licet sacrosanctæ Eucharistiæ vis, siue etiam consideres vt Sacramentum est, qua ratione soli suscipienti prodest, siue vt sacrificium est, quomodo ijs omnibus salutare est, pro quorum salute dignè offertur, sit infinita: effectum tamen ex se edit non infinitum, sed finitum, & intra certas metas conclusum. Cur ita? Quia non operatur quantum secundum se absolute posset, sed quantum suscipientium deuotio, vel participantium dispositio patitur. Hæc autem, nec infinita est, nec infinita esse potest; sed finita, & limitata, & ad certum gradum determinata. Quare vt Christi passi meritum infinitum dici solet secundum sufficientiam, finitum autem secundum efficientiam: ita sacrificij huius virtutem secundum se, vel secundum sufficientiam infinitam dicere possumus, secundum efficientiam autem finitam. participatur enim finitè: nempe secundum cuiusque deuotionem, & dispositionem, quæ infinita esse non possunt. Nam & subiectum, quod disponitur, est finitum; & instrumenta, quibus fit eiusmodi dispositio, sunt finita; & cætera omnia, quæ huic rei seruiunt, sunt finita.

Participantes autem sunt duplicis ordinis. Alij enim ex his offerunt, vt Sacerdotes, ministri, cæteri que astantes, vel quouis modo presentes: Nam hi omnes cum ipso mysta sacris operante suo quoque modo offerunt. Alij sunt, quorum gratia offertur, siue quibus applicatur; siue ij presentes sint, siue absentes. Offerentes fructum ex illo capiunt, secundum deuotionis suæ

In finita gratia infinitam deposcit dispositionem, cuius homo non est capax.

suæ quantitatem; siue remotius ad sacrificium sese habeant, siue propinquius. Propinquitas enim ad maiorem fructus participationem per se non facit, sed tantum per accidens, quatenus nimirum maiorem interdum excitat deuotionem. Ratio huius est, quia vnusquilibet astantium, vel offerentium offert pro se totum, nec vllum damnus ex eo capit, quod alius totum quoque pro se offert. Quia tantum capit, quantum secundum deuotionis dispositionis que suæ capacitatem haurire inde potest. Hi rursus pro quibus offertur, sunt bipartiti. Vel enim generatim offertur pro omnibus, vel speciatim pro hoc, vel illo: (Orat enim Ecclesia in sua Liturgia pro viuuis atque defunctis in communi: orat eadem rursus pro Papa, pro Rege, pro Antistite, proque alijs similibus speciatim, vel nominatim) plus autem prodest illis, pro quibus nominatim, vel speciatim offertur, quam pro quibus generatim tantum immolatur. Nam dum speciatim pro pluribus offertur, singuli illius valorè participant secundum deuotionis suæ mensuram: siue primo loco nominentur, siue secundo, siue tertio, siue alio quocunque his remotiore; siue cadant sub primam intentionem, siue sub secundam, siue sub tertiam, siue sub quamcunque aliam. Sin autem generatim, vel indiscriminatim pro omnibus offertur, singuli participat secundum eum deuotionis gradum, in quo omnes conueniunt; qui utique, nec summus est, nec medius est, sed omnium infimus est. in hoc namque omnes conueniunt. Qui enim decem habet deuotionis gradus, ille utique habet vnum: (idem statuas de illo, qui habet plures, vel pauciores, vsque ad vnum exclusiue) qui autem habet vnum tantum, non habet decem, aut plures. Et idem omnino locum habet in defunctis. Nam omnes, pro quibus speciatim non offertur, participant secundum gradum, in quo omnes conueniunt. Si autem speciatim, vel nominatim pro aliquibus offertur, participant hi secundum deuotionis gradum, in quo hinc decesserunt.

Hæc de valore Missæ cæteris nobis probabiliora videntur.

fff

Nam

Ex sacrificio Missæ quilibet haurit secundum deuotionis suæ gradum.

Nam qui Missæ valorem in tria membra dispertiūt, vnum horum Christo dispensandum assignantes, alterum Ecclesiæ, tertium ministro offerenti, hi fundamento nituntur non admodum magno. Idem de ijs fortassis dici potest, qui primam, secundam, tertiam, cæterasque his remotiores intentiones vrgent. Sed nec illi quoque graui aliqua ratione, aut authoritate fulciuntur, qui vno Missæ sacrificio pluribus, quibus illud seorsum promissum est, satisfieri posse contendunt: modò tamē intentio, vel mens in singulos seorsum feratur, & non in oēs simul. Nam etsi sententia hæc non prorsus absurda videatur: hoc tamē nomine nobis suspecta esse debet, quòd auaritiæ ostium aperit; quodque eorum, qui sacrum pro se fieri contendunt, expectationem fallit; & quòd tandem diuinum cultum nō parum grauiter lædit. Vt unque sit, (neque enim loci huius est de valore Missæ disputare) omnes, qui alioqui inter se dissentiunt, in eo conueniunt, quòd hîc præcipuè probatum & constitutum volebamus: nempe, valorem illius ex parte participantium nō esse infinitum, sed finitum. Cùm ergo quoduis suffragiorum genus in Ecclesia Dei vsitatum sit finitum, plùs utiq; proderit illis, quibus speciatim vel nominatim communicatur, quàm ceteris, quibus peculiariter non applicatur.

Sed obijciunt hîc quidam: Si suffragia magis ijs profunt, quibus specialiter applicatur, falsum est ergo, quod asserit Augustinus, nempe ijs magis prodesse, qui vt magis prodesse in vita promeriti sunt. Ergo deterioris conditionis sunt pauperes, quàm diuites: His enim multa obtingūt priuata suffragia, illis nulla, vel pauca. Ergo errauit Hieronymus, dum Psalmum pro multis recitatū tantum prodesse singulis docuit, ac si pro vno solo fuisset decantatus. Mitto hîc Deo æquè facile esse, audire orationē pro multis fufam, ac pro vno tantum. Imò verò, quòd pluraliter orare nos docuit, videri queat eam chariorē habere, quæ multorum salutis causa funditur.

Verùm hæc, & si qua his sunt similia, quæ de suffragatorij fructus disparitate exposita sunt, non infirmant. Ad primum dici-

dicitur, Augustini pronunciatum conditionaliter accipiendū esse. Promeruerunt enim, vt illis prodesse, vel magis quoque prodesse, si quis offerret. Verùm si nemo offert, nō est mirū, si illis non profunt, vel non tantum profunt. Valent, hoc est; oblectant hos quoq; magis, vt bona quædam opera sunt: siquidem charitatis est ex bono cuiusq; opere voluptatē capere. Ea autem oblectatio solet esse eò intēsiōr, quò charitas est perfectior. In ratione tamen suffragij eos magis illa oblectant, quibus ex instituto applicatur, quia sunt propriū illorum bonum. Quod de pauperibus ibidē addebatur, leue est. Nam etsi pauperes hac in re impares sint diuitibus, in alijs tamen, quæ maioris sunt momēti, ijs idē superiores existunt. Habēt enim maiorem opportunitatem seruiendi Deo, paucioresque tentationes, & pauciora quoque in via spiritali impedimenta, quàm opibus affluentes. Difficile est enim diuitem intrare in regnum cœlorum.

Ad Hieronymi dictum respondetur, in ratione meriti, tantum prodesse Psalmum pro mille decantatum, quantum si pro vno solo decantetur. Pari ratione spirituale gaudiū, quod charitate ornati inde percipiunt, par esse, siue pro vno recitetur, siue pro multis. Quilibet enim de eo gaudet in solidum; & ille magis, qui magis diligit. Sicut dum lumen in caliginoso loco accenditur, vel concio in templo habetur, quilibet tantum afficitur, quātum dispositio illius patitur. Hieronymus aut loco citato ex professo de facientis merito agit. Taxat enim eos, qui grande meritum ponebant in frigida multorum Psalmorum, vel precum demurmuratione, asserens satius esse quinq; Psalmos decantare cum spiritali cordis hilaritate, & animi serenitate, quàm Psalterium cum cordis anxietate, & tristitia: & per consequēs vnum Psalmum pro omnibus defunctis alacriter decantatum, plùs prodesse singulis, quàm plures, vel etiam omnes cum tædio pro singulis decantatos.

Ad vltimū dicitur, licet oratio ex parte obiecti, hoc est, eius ad quem dirigitur, æquè sit potens pro mille fusa, ac pro vno

solo; ex parte tamen subiecti, hoc est, huius, vel illius hominis tale opus edentis, finiti valoris esse, sicut finiti quoque conatus extitit: & ex cōsequenti minùs prodesse singulis, si pro multis offeratur, in ratione satisfactionis, ac si pro vno tantùm. Magni itaq; refert, pro vno ne eiusmodi suffragia exhibeantur, an pro pluribus, quantum ad pœnarum expiationem attinet: siue peculiaribus ne suffragijs potiãre, an tantùm communibus.

Triplicis suffragiorum gradus in quolibet suffragiorum genere.

Porro autem inter singula peculiarium suffragiorum genera, triplicem gradum assignare licet: summum videlicet, medium, & infimum. Infimum inter ea locum obtinet, quæ alter alteri spontè citra obligationem impendit: vt si nūcio de amici, vel parētis interitu accepto, illius causa sacra aliquot fieri curem, aut eleemosynam aliquam eiusdem rei gratia erogem. si quidem hæc ex parte defuncti nullam voluntarij partem possident. Primas aut partes ea meritò hinc sibi vendicant, quæ quis in humanis adhuc constitutus, salutis suæ causa, per idoneos ministros fieri curat: vt si quis ægrè habens, vel etiamnum sanus existens, per eleemosynas, ieiunia, sacrificia, aliaque eiusmodi opera, quam debet pœnã redimere satagat. Fatendum est tamen opera illa, quæ in viuis adhuc agētes sui gratia per alios fieri satagunt, satisfactoria vsitatiùs appellari, quàm suffragatoria. Suffragia enim ad defunctorum spiritus potissimum spectare videntur. Mediam verò vim ea sortiuntur, quæ vitæ termino vicinus hæredibus sui ipsius causa indicit: modò hi tamen officio non defuerint. Ea nanque suffragiorum est ratio, vt, nisi re ipsa exhibeantur, nullum ex se fructum fundant.

Suffragia indicta & non exhibita parum profunt.

Quamobrè si hinc decedēs mille aureos in animæ tuæ *λύτρον* in sacra, vel alia pia & suffragatoria opa erogãdos mādaueris, teq; vita defūcto hæredes, vel curatores, quæ mādaueras, flocci fecerint: nō solū intrinseco illorum sacrorum, vel eleemosynarum, vel precum fructu frustrabere, verū illius quoq; præsidij, quod ex Ecclesiæ, vel ministrorum eius deuotione, vel pauperum precatione tibi obuenturum erat, detrimentum patiẽre. Veruntamen meritum, & satisfactionis quota, quæ eiusmodi testamentariæ cau-

cautionis ratione debebatur, aliorum perfidia intercidere non possunt. Quippe quæ eo ipso momento, quo hoc vel illud opus salutis causa fieri mandatur, auctori suo aliàs nō indigno certissimè admetiatur.

Quare si testatoris pietas præter gratiæ augmentum, diuidui pœnarum reliquarum condonationem propter piã illam, & religiosam voluntatem promerebatur: siue id, quod factum oportuit, & fieri mandatum fuit, fiat, siue secus, nihilosecius relaxationem diuidui pœnarum cōsequitur. Illud tamen, quod ex vi operis, si id fortè præstitum fuisset, ei accessurum erat, hoc totum intercidit. Et in hoc multum discrepant opera suffragatoria à restitutionis iustitia. Nam alieni solutionem vel restitutionem seridè iniungens, & super hoc vita defungens, liber euadit, quicquid tandem fiat: At verò suffragia indicens, nō solū sufficientia, verum etiam exundantia, non priùs illorum ope liberatur, quàm actu exhibeantur, aut ipse, quam debebat pœnam, in purgatorio integrè exoluat.

Hinc planum euadit, parum consultè rationes suas instituire, qui, quod commodè per se erogare, vel præstare poterant, alijs, vt erogent, vel præstent, committunt. Nam præterquã, quod Commissarij nō optima semper fide rem gerant, & diu sæpe, multumq; differant, quæ dilatio, vt cætera integra essent, defuncto est admodum damnosa: nō vulgarem quoque eiusmodi testatores meriti iacturam faciunt. Sunt enim Deo multò gratiora atque adeò ad merendum & satisfaciendum multò efficaciora, quæ ijs ex rebus in vsum pauperum, diuini ve cultus ornamentum erogamus, quibus liberè liciteq; adhuc utimur, quàm quæ nobis vitæ munere iam perfunctis alij ex iisdem nostri causa erogant. Quandoquidem dum vitæ spiritum adhuc ducimus, res nostræ in nostra potestate adhuc sunt: posteaquam verò viuendi finem semel fecimus, nostræ esse desierunt. Statim enim per mortem in ius atque dominium aliorum concedunt.

Discimus hinc rursus quosdam propter alienam iniquitatem

tatem in spiritualibus quoque interdum multari: utpote eos omnes, qui improba amicorum, vel curatorum fraude institutis pro se suffragiis per summam impietatem frustrati, diutius quam oportuit, veræ interim beatitudinis expertes, in purgatorij carcere distinentur. Colligimus hinc tandem multo salubrius, multoque utilius defuncto esse, si statim ubi è vivis excesserit, cumulata quepiam elemosyna in animæ ipsius expiationem erogetur, frequensve altaris sacrificium eiusdem rei causa offeratur, quam si per temporum intervalla, & partes illa præstentur. Quandoquidem præsidia hæc sunt præsentia & certa, demortuorum verò spiritus, quousque ad plenum perpurgentur, præsentibus & certis auxilijs indigent.

Attamen quòd priuatis commodis publicum antepone- re, non solum secundum se honorificum sit, verum cœlesti quoque patri apprimè gratum: nisi præsens miserorum egestas, aut temporum calamitas, aut publica utilitas, aliud efflagitèr, satius fuerit, propria utilitate posthabita, perpetuum censum in pauperum elemosynâ, aut diuini cultus amplificationem instituere, quam totum illud, quod pro vtriusvis institutione insumptum oportuit, semel & simul in quocumque pium opus exponere. Et nisi à maioribus nostris hominibus pijs- simis & sapientissimis olim id factum esset, nulla, aut certè per pauca haberemus modò xenodochia, nosocomia, orphanotrophia, gerontocomia, templa, monasteria, aliaque eiusmodi pia loca: Sunt enim hæc omnia piorum hominum donaria, pi- scæque pietatis monumenta.

Ad suffragatorij porrò operis ministrum quod spectat, nihil quod proluxa disputatione indigeat, hinc occurrit. Nam si prin- cipale agens, puta mandans, ordinans, mittens, vel instituens Deo est gratus, nihil de operis eiusmodi valore, hoc est, merito, vel satisfactione deperit, qualitercunque tandem ille, qui illud exequitur, affectus fuerit. Veruntamen licet indignitas ministri nihil adimat ex opere operato, maximè verò si opus Sacramentale extiterit: neque ex opere rursus, vel merito prin-

principalis agentis: illius tamen dignitas ad vtrunquè aliquid addit. Quare non solum cōsultum est altaris sacrificium per dignos & idoneos ministros offerre, verum etiam elemosy- nas erogare, precesque, vel ieiunia persolvere. Imò verò ex pri- uatis precibus, vel ieiunijs parum fructus reportatur, nisi ipsi precantes, vel ieiunantes Deo sint grati. Sunt enim hæc opera illorum veriùs, quam mandantium, vel expetentium. In ele- mosyna aliud est: illa enim non est serui, qui erogat proximè, sed domini, qui donat. Idem statuatur de Missæ sacrificio.

Præter hos autem casus, quibus homo suffragatur, non ut primarium agens, sed tanquam Dei, vel Ecclesiæ, vel piè de- functi minister, nisi gratia ornatus fuerit, nihil, aut certè per- parum suis suffragijs efficit. Siquidem hominis opus ex se, & per se non est meritorium, vel satisfactorium: alioquin omne hominis opus esset eiusmodi, quod falsum est. Est autem hæc- nus meritorium, & simul quoque satisfactorium, quatenus Deo est gratum: Deo autem, quod ex gratia, vel charitate ortum non est, absolutè gratum non est: tametsi ex mera liberalitate opera moraliter tantum bona mirificè interdum remunerat. Atqui opera, que iniusti & peccatores, non Dei, aut Ecclesiæ, aut alterius nomine edunt, sed suo priuato & proprio, Deo non sunt grata: atque ideo ut meritoria non sunt, ita communi le- ge non sunt quoque satisfactoria.

Et quæadmodum qui alijs salubriter efficaciterque suffra- gaturi sunt, debent esse iusti: ita illos vicissim, qui suaues suf- fragiorum fructus carpturi sunt, diuina gratia ornatos esse oportet. maximè verò, si vitali hac luce iam defuncti sunt. Nã & si peccatoribus in hac vita prodesse queant, puta obtinen- do illis bonum cordis motum, vel præuenientis gratiæ benefi- cium, vel integram quoque ad Deum conuersionem: in pecca- to tamen mortifero extinctis nihil quicquam utilitatis adfe- runt. Veruntamen propter eiusmodi incertitudinem nunquã prætermittendæ sunt preces, elemosynæ, aliaque eiusmodi pie- tatis opera. Quandoquidem si ij, quibus suffragamur, digni non sunt,

Et si malus bono operi iniuncto nihil adimat, bonus tamen aliquid illi quandoque arrogat.

Opera iniu- storum non sunt satisfactoria.

sunt, vel suffragiorum quoq; præsidio indigi non sunt, ad nos nostra reuertetur oratio, & eleemosinæ: quanuis hæc ipsa nunquam p̄cūl à nobis recedāt, neq; p̄cūl quoq; recedere queant: imò verò maiori semper parte apud suffragātem manent.

Opus suffragatorū maiore in parte manet penes suffragātem.
 Quomodo hoc? Dicam, & breuiter dicam. Primò solis ergantibus per se profunt in ratione meriti. Siquidē boni operis meritum ab vno in alterum trāsferri nō potest: sicut vnus quoq; gratia, alterius operi vitæ spiritum impertiri non valet. Profunt eisdem rursus & in ratione quoq; satisfactionis, tamen si id obliquè, & quasi per accidens. Nam qua nunc fide, & charitate aliorum miserix subleuandæ incubuerimus, eadem alij vicissim & nostræ quoq; depellendæ olim incumbent; & illi præcipuè, quibus patrocinati fuimus, vbi iam ad gloriam euecti fuerint. Adde, eiusmodi satisfactiones integrè interdū in proprium ipsius satisfaciētis sinum reflecti: vel q̄ hi, quibus impenduntur, ijs ampliùs non indigeant; vel certè, quòd earundem capaces non existant. Profunt tandem & in ratione quoque medicinæ, vt quæ virtutum habitus cōfirmant, & suffragantes ad benè operandum paulatim assuefaciant.

Quòd si opera satisfactoria, vel suffragatoria proprii meriti rationem obscurarent, aut aliquam in partem eleuarent: satisfactioni operam dare neutiquam consultum foret: Siquidem multò satius fuerit complures annos purgatorij cruciatu pertulisse, quàm vel exiguam fecisse gloriæ iacturam. Sed tantum abest, vt opus satisfactoriū alteri ex charitate impensum proprii meriti rationem imminuat, vt illud etiam nō parum plerunque augeat: Arguit enim charitatem incensam, lateque diffusam. Grauius proinde errant, qui malè persuasi, si quid spiritualis præsidij alteri impenderint, id sibi deperire, rarò apud misericordiarum patrem pro defunctorum salute intercedūt, aut aliquid aliud boni operis illorū causa edunt: cū tamen oppositum ipsis persuasum oporteret, puta spirituale præsidium alteri ex Christiana charitate communicatum, maiorem in partem penes communicantem remanere, adeoque

adeoq; meriti rationē nō obscurare, vt multū quoq; illud illustret. At verò præter priuatum cōmodum, quod minimè vulgare est, sunt alia multa, quæ ad piū & Christianū hoc opus benè affectos plurimum inuitare, & prouocare queant. Inuitat meritò insignis eorum, qui in purgatorio detinentur, egestas. Nam, vt supra obiter indicatum est, multū debent, & seuerissimum exactorem sustinent. Inuitat rursus & prouocat ad hoc officium ingens poenarum acerbitas: Tanta enim ab ijs, qui partim videntur, partim quoque experti sunt, ea esse prædicatur, vt humana vox illius magnitudinem assequi nō valeat. Sanè si in hac mortali vita naturaliter cōdolemus reis nobis alioquin infestis, in quos publica iustitia seueriùs animaduertit, vel cani quoque, vel alteri bestiæ indigniùs tractare: magna nos ratio vrget, vt Spiritibus illis magno spiritus affectu cōpatiamur, opemque, quam à nobis efflagitāt, fideliter impertiamur. Nō enim alieni sunt, sed magna necessitudine nobis coniuncti. Omnes eundē agnoscimus patrem, eandem matrē Ecclesiam, eosdem quoq; primos secundū carnem parentes: nonnulli quoque ibi habent sanguine, vel alio necessitudinis vinculo coniunctos, quorum fortassis bonis, & commodis ingrati potiuntur. Nam etsi charitas omnes ad hoc pietatis officium incitet: præcipuè tamen amicos, & inter hos liberos, qui & esse, & benè esse progenitoribus debent.

Prouocat & inuitat huc tertio rei facilitas: Semper enim ad manū est, quibus illis prodesse possimus. Qui sacra per se, aut p̄r alterū offerre non potest, (quod tamen citra vllū omnino precium potest, per hoc solū, q̄ sacrificanti astat, & animo simul cū ipso litat) det eleemosynā. Qui hoc quoq; per facultates nō valet, oret, aut saltem bonā voluntatē adferat. nam hæc omnia defunctis sunt salubria. Inuitat quartò & prouocat magnus huius rei in plerisq; locis neglectus. Nam etsi Sectæ admodum inter se sint dissectæ, ad vnum omnes tamen in defunctorū perniciē cōspirāsse deprehenduntur. Neq; enim ipse quicquam omnino præsidij illis impertiuntur, neq; alijs pacatè im-

pertiri sinunt. Quo fit, vt demortuorū spiritus ingētibus auxilijs, quibus olim cumulatissimè potiebantur, multis nunc in locis destituantur. Hunc autem defectum pios omnes, quantum vires & facultates patiuntur, compensare decet. Inuitat tandem & prouocat præparata nobis, si desides hīc fuerimus, calamitas. Quales enim in illos extiterimus, tāquam in veros pauperes, & egētes, talis in nos vicissim existet Deus. Dicitur enim nobis: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi: nonne & te misereri oportuit conserui tui, sicut & ego misertus sum tui? Et hæc de defunctorum Suffragijs hæctenus.

Mortuos honorificè tumulandos, eorumque exequias, & anniuersaria piè fideliterque celebranda: Sed & iam inde quoque ab Apostolorum ætate religiosè semper in Ecclesia Christi celebrari solita esse.

CAPVT SEPTIMVMDECIMVM
ET POSTREMVM.



DE sepulturis & funeris honore nō est quod multis admodum hīc agamus: Nam & Sacerdotij quoq; suorū cadauera sepeliunt, honorificèq; tumulanda esse non inuitè concedunt. In simulāt tamen multa & carpūt, quæ Catholici maiorū traditione ea in re obseruare consueuerunt. Quid, inquit, mortuis cum funeralibus? cum campanarum strepitu? cum Monachorū gregibus, alijsq; id genus nugis? cum ipsi nihil quicquam vsus, aut voluptatis ex eiusmodi rebus sensu vllō percipiant, aut percipere valeant? Quid eis rursum cum exequiarū pompa? cum Trigesimo? cum Septimo? cum Anniuersario? Quid denique cum annuo, vel menstruo lactu: alijsque non paucis, quæ sepulturam antegrediuntur, vel consequuntur, vel eandem quoque comitantur?

Verū ad hæc omnia vnico verbo responderi potest: nempe, nos totum illud quod hīc præstamus, à vetustissimis, pijs-
misque

misque viris accepisse; eorumque pietatem & religionē male imitari, quā ingratam, impiamq; cauillatorū illorum nouitatem. At quia nihil hīc obseruatur, quod non sit pium, & sanctum, & ipsa vetustate venerandum, lubet iniustam nouatorum illorum cauillationem paucis retundere, & quidē veris rationibus retundere. Et primò quidē cum Augustino lubenter fatemur pompam funebrem, exequiarū agmina, sumptuosam sepulturæ diligentiam, viuorū potiùs solatia esse, quā mortuorū adiutoria. Nam si, vt idem eodem illo loco addit, impio aliquid prodesset sepultura preciosa, pio obesset vilis, aut nulla.

Nec ob id tamen, vt alio loco apud eundem legimus, contemnenda, aut abiicienda sunt defunctorum corpora, maximeque iustorum & fidelium, quibus tāquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis, & annulus, ac si quid eiusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiariùs, atque coniunctiùs, quā quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad indumentum, vel ornamentū, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa, ipsiq; dum viuerēt, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filijs mandârunt. Sed & Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo, cōmendatur. Ipse quoq; Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandūque commendat, quod vnguentum preciosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter cōmemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter & honorificè regendum, sepeliendūq; curârunt. Hæc omnia Augustinus, & alia plura de sepulturæ officio loco citato.

Alibi idem hoc pietatis officium æquè seriò commēdat. Sit,
in-

Satius est, amulari Maiorum pietatem, quā cauillatorum nouitatem.

Lib. de cur. pro mor. hab. cap. 2.

Lib. 2. c. 26. & 23. de ciuit.

Magno studio curanda sunt piè defunctorum corpora.

Ser. 34. de verb. Apost.

inquit, pro viribus cura mortuos sepeliēdi, & sepulchra con-
stituendi, quia hæc in Scripturis sanctis inter bona opera depu-
rata sunt. Nec solum in corporibus Patriarcharū, aliorumq;
Sanctorum, sed etiā in ipsius Domini corpore, qui ista fecerūt,
laudati sunt. Huc pertinet illud Origenis quoque: Humana
corpora, ait ibi, vt animę domicilia, & sanctioris ꝑcipuē, haud-
quaquam reijciēda sunt: quippe quæ ex optimarū legū ꝑmis-
su cum honoribus, qui haberi his possunt, & sepultura dignan-
tur. & infra: Rationalē animam honorare didicimus, & huius
organa honorificē sepulchro demādare. & illud rursus Pru-
dentianū: Hinc maxima cura sepulchris Impēditur, hinc reso-
lutos Honor vltimus accipit artus, Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro Prætendere lintea mos est, Aspersaq;
myrrha Sabæo Corpus medicamine seruat. illud demū Athana-
sij: Episcopus deprecatus est, vt populos Ecclesiastica cōsue-
tudine corrigerēt, & laicos viros ac mulieres rigidiūs ipse cō-
uenit, dicens: Nec licitū hoc est, nec Deo placitū, nempe de-
functorum corpora relinquere inhumata: quippe cū Patri-
archarum, & Prophetarum sepulchra, quæ ad nos vsq; perdu-
rant, hæc facta cōuincerent. Dominici quoq; corporis exem-
plum oportere intueri aiebat, quod in sepulchro positū, lapide
vsque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit.

Et vt sanctæ Ecclesiæ Doctores nihil de ea re memorię ꝑro-
didissent: ipsa tamen ratio, Sanctorumq; exempla, & cōmoda
non exigua, quæ ex hoc pietatis ope subinde percipiūtur, & se-
pe iam olim percepta sunt, satis persuaderent defunctorū cor-
pora omni studio, & diligentia curāda, ꝑicq; ac religiosē sepul-
turę mandanda esse. Sanè si non magnū aliquod momentū ea
in re positū esset, viri labe Galaad cū extremo vitę periculo
nō sustulissent cadauera Saul & filiorū eius ex muro Bethsan
ignominiosē suspensa, indeq; sublata humo cōmittere fate-
gissent. Neq; David insigne illud, & plane heroicū Galaaditarū
factū tantopere cōmendāset. Ait enim: Benedicti vos à Dño,
qui fecistis misericordiā hanc cum domino vestro Saul, & se-
peli-

Lib. 5. contra
Celsum.Lib. 5. contra
eundem.Hym. 10. Ca-
themeriaon.In vita B. An-
tonij.

1. Reg. vii.

2. Reg. 2.

peluistis eū. Et nūc retribuet vobis quidem Dominus miseri-
cordiā & veritatē: sed & ego reddā gratiā, eo q̄ fecistis verbum
istud. Nec Angelus Raphael eiusmodi oratiōe Tobia cōpellā-
set: Quādo orabas cū lachrymis, & sepeliebas mortuos, & re-
linquebas prandiū tuū, & mortuos abscondebas per diē in do-
mo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationē tuā Dño.
Nec Tobias de sua vxorisq; suę sepultura tam seriō madāset.
Cū, inquit, acceperit Deus animā meam, corpus meū sepeli: &
honorē habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. & cū
ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me in
vno sepulchro. Cuius ꝑij & serij mandati nō immemor pius fi-
lius in honorificum sepulchrum patrē suum intulit in Niniue.

Nec Patriarcha Abraham vxorem suam Saram, neque il-
lius Isaac & Ismaël tam religiosē in loco certo, & ad id desi-
gnato eundē sepeliuissent. Neque Iacob eiusdem filius in idem
sepulchrum inferri voluisset. Ait nanque: Ego congregor ad
populum meum: sepeliteme cum patribus meis in spelunca
duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre, in
terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron
Hethæo in possessionem sepulchri. Ibi sepeliuerūt eum, & Sa-
ram vxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge
sua: ibi & Lia condita iacet. Nec Spiritus sanctus per Prophe-
tam veluti rem magnam sepulchrum Domini gloriosum fore
prædixisset. In illa, inquit, die radix Iessæ, qui stat in signum po-
pulorum, ipsum gētes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius
gloriosum. Quod quoque vaticinium in morte illius expletum
fuisse, testantur omnes quatuor Euangelistæ. Neque Dominus
laudāset Magdalenam, Bonum, inquiens, opus operata est in
me. Nam pauperes semper habebitis vobiscum, me autem nō
semper habebitis. Mittens enim vnguentum hoc in cor-
pus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbi-
cunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo,
dicetur & quod hæc fecit in memoriā eius. Nec denique
(multa enim alia eiusmodi Scripturarum loca breuitatis stu-

Tob. 12.

Gen. 24. 25.

Genes. 49.

Esa. 11.

Mar. 14.

Matth. 26.

Ioan. 19.

Luc. 23. 1

dio præterimus) viri timorati Stephanum impiè à Iudæis tradidatum tanta religione curâssent, tantumque super defunctum planctum edidissent.

Sed neque opus hoc pium est solùm, maiorumque institutis & exemplis oppidò consentaneum; sed fructuosum quoque, & suo etiam modo necessarium. Quid enim incommodi non experiremur, si eadem hominum & pecudum esset ratio? hoc est, si hominum corpora equè insepulta abijcerentur passim, ac pecudum brutorumque; animantium cadauera? De spiritali rei huius fructu multa adferri huc possent: sed singulis explicandis immorari nō licet. Certè, vt de ceteris nihil dicam, publica hæc monumenta nostræ nos conditionis admonent. Admonent nos rursus & futuræ quoque resurrectionis. Infideles, qui carnis resurrectionem non credebant, corpora cremabant, & in cineres redacta in aërem, vel profluentē dispergebant: fideles autem iustorum corpora in locum certum, & maiorum autoritate ad hoc destinatum, veluti quoddam depositum olim inde rursus repetendum, inferunt. Monent nos tandem cuiusmodi aliquando fuere, qui hoc, vel illo loco conditi sunt. vt, si quidem piè, sobriè, ac sanctè vixerunt, imitemur: sin autem, detestemur. Prætereo hîc sanitates, & alia spiritalia beneficia, quæ nō infrequenter ex piorum hominum sepulchris in alios redundant.

Est igitur hîc funeris honos piè, studiosè, & impigrè omnibus omnino mortali hac vita perfunctis impendendus: nisi forsitan in scelerum vindictam, aliorumque terrorem, aliter quandoque visum, decretumque fuerit. Videmus enim nefarios ac sceleratos quosdam homines, ne communi quidem sepultura donari; verùm stipitibus alligatos, vel igne absumi, vel in furcas agi, vel aquis mergi, vel feris quoque bestiis obijci. Quæ quidem res licet prima facie non nihil crudelitatis præ se ferre videri queat, culpa tamen vacat: imò verò summi illius iudicis exemplum habet. Nam & hîc quoque alios *ἀναπιάσ*, alios *ὄνομαπιάσ* poena multat. In agro Iezrael, ait, comedent canes

4. Reg. 9. &
1. Reg. 21.

nes carnes Iezabel. Et erūt carnes Iezabel, sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrael, ita vt prætereuntes dicant: Hæc cine est illa Iezabel? Cognatum huic est illud Hieremiæ: In gladio & fame consumentur propheta illi. Et populi, quibus prophetarunt, erunt proiecti in vijs Hierusalem, & non erit qui sepeliat eos. & infra: Mortibus agrotationū morientur: non plangentur, & non sepelientur, in sterquilinum super faciem terræ erunt: & gladio, & fame consumentur: & erit cadaver eorū in escam volatilibus coeli, & bestiis terræ. & illud rursus eiusdem: Non plangēt eum, Ioachim. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Hierusalem, & illud tandem Machabæorum: Qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abijcitur: sepultura neque peregrina vsus, neque patrio sepulchro participās. Plura id genus exempla vetus suppeditat historia. Iam si tantū malum est, vel insepultum abijci, vel in asinorum sepulturam inferri, vt inter extrema mala, quæ corpori inferri possunt, (anima nanq; alia experitur incommoda, alias cruces, pro bra alia) Dominus isthuc recenseat: ex opposito perfacile est colligere, non vulgare bonum esse loco honesto, ac sacro, rituque Catholico humari: vt per consequens obsequium non parum gratum, non ipsis solùm defunctis præstare, qui hîc strenuos se ostendunt, sed ipsi quoque bonorum omnium remuneratori Deo.

At nos, inquiunt Antagonistæ, huic pietatis officio non aduersamur: Imò illud commendamus, & studiosè quoque, in Ecclesijs nostris obseruamus. Verùm sumptuosa mausolea, solennes exequias, luminarium & cereorum frequentiam, cruces, processiones, religiosorum hominum greges, campanarum strepitus, dies Anniuersarios, Septimos, Trigesimos, vel Quadragesimos, aliasque eiusmodi ineptias non ferimus: tum quòd inutilia videantur, & superstitione plena: tum rursus, quòd noua sint, & nuper nata: tum maximè, quòd in manifestam pauperum fraudem, & in nullam penitus defunctorum opem cedant. Hanc illi querelam de funerali officio, eiusdemque

demque partibus, & appendicibus querantur.

Non omne
magnum ra-
tionis modū
excedit.

Verum querela hæc est planè iniusta, multisq; calumnijs, & mendacijs onusta. Nam etsi omne id, & totum id, quod modum excedit, vitio cognatum sit: non omne tamen magnificū & splendidum rationis mediū, vel modum statim excedit. Sunt enim hæc omnia non tam ex seipsis spectanda, quàm ex personarum conditione, quarum gratia exhibentur; deuotione rursus, & pietate eorum, qui exhibent: Etenim monumentum, quod priuato, vel pauperi (nisi forsan insigni pietate, vel eruditione, vel bellica virtute claruisset) nimis illustre ac sumptuosum esset, illud ne par quidem censeretur principis viri dignitati. Quis enim iure improbet, si Rex, vel Imperator, vel alius eiusmodi erigi sibi curet mausolæum sua cōditione dignum? aut si hæredes, aut successores gratitudinis ergo id faciant, fieri ve iubeant? Nemo sanè, nemo iuste id potest: nisi damnare & improbare velit multa præclara pijssimorum hominum exempla. Constat enim Patriarchas famosum & celebre sepulchrum inter filios Hethæi obtinuisse, & quidem inculpatè obtinuisse.

Sed & Dauidis quoque monumentum eximium extitisse, vel ex eo conijcere licet, quod vsq; ad vltimam Hierosolymorum euerisionem steterit incolume. Neq; enim Apostolus Petrus in prima concione, quam ad Iudæos habuit, mentionem eius fecisset, nisi insigniter fuisset spectabile. Viri fratres, inquit, licet audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniã, & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrū eius est apud nos, vsque in hodiernum diem. Adhæc in libris Regum & Paralipomenon crebrò repetitur hunc, vel illum principem vita functum in sepulchrū Regū Israel illatos fuisse; alios contrà propter scelera sua huc illatos non fuisse: at dubium nullum est commune illud Regum Israel sepulchrum opere cōstitisse ad modum magnifico & splendido, licet Scripturæ eius magnificentiam & splendorem aperte nobis non prodāt. Adde his Patriarcham Iacob non fuisse contentū Rachelem uxorem suã, quam

quam oppidò diligebat, vulgari more & modo terræ committere: verum insignem quoque statuam tumulo illius imposuit. Mortua est Rachel, ait Scriptura, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Erexeritque Iacob titulū, hoc est, columnam, vel statuam, super sepulchrum eius. hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem. Idem Patriarcha Deborahæ nutrici Rebecce tale monumentum excitauit, vt locus priori nomine amisso, quercus fletus appellatus sit. Condita enim fuit subter quercum ad radices Berhel.

Denique quàm magnificum monumentum Simon Machabæus patri, & fratribus suis exædificauerit, id Scripturæ sacræ neutiquam tacitum habent, sed magna cum pietatis illius in parentes & fratres commendatione accuratè commemorant. aiunt autem: Et misit Simon, & accepit ossa Ionathæ fratris sui, & sepeliuit ea in Modin ciuitate eius. Et plāxerūt eū omnis Israel plāctu magno, & luxerūt eum dies multos. Et ædificauit Simon super sepulchrum patris sui, & fratrum suorum ædificium altum visu lapide polito retro & antè: & statuit septem pyramidas, vnā contra vnā patri & matri, & quatuor fratribus: & his circumposuit columnas magnas, & super columnas arma, ad memoriam æternā: & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab hominibus nauigantibus mare. Hoc est sepulchrum, quod fecit in Modin, vsque in hunc diem.

Iam si Simoni Machabæo sacerdoti & principi licuit tam illustre monumentum parentibus & fratribus suis erigere, eorumq; arma & trophæa in perpetuam virtutū illorum memoriam illi ipsi affigere: cur non idem quoq; licebit filijs Regum & Principum, aliorumq; inferiorū Dynastiarum liberis, dum modò cōditionis suę limites nullus excedat? Vrgent enim & adsunt eadem causæ, quæ tunc aderant & vrgēbāt, & fortaassis maiores. Nam cum hac tempestate magis vigeat ignauia ac desidia, quàm strenuitas & militaris fortitudo in plerisq; nobilium animis, refert, vt extēt quædam externa virtutum monumenta, & incitamenta, quæ illos ad militarem, bellicamque

Gen. 35.

1. Mach. 13.

Nō est res noua, neque per se illicita, affigere signa militaria templis, aut defunctorū monumentis.

virtutem, maximè pro fide, & religione, & patrijs laribus (quæ sola pugne causa extitit sanctis illis fortissimisq; Machabæis, & alijs plerisque veteribus) excitent.

Quam ob rem licet non semper sint commendandi, qui galeas, vexilla, enses, aliaq; id genus militaria signa & arma templorum parietibus, vel monumentis suis affigunt, affigive curant: (potest enim id fieri ex inani gloria, aut alio prepostero fine, vel citra vllum quoque meritum: quia nimirum nullum vnquam strenuum, aut militare stratagema ediderunt) non sunt tamen statim quoq; condemnandi, qui id faciunt. Quia sine bono, & cum merito facere id possunt: Constat enim, qui hæc studiosè intuentur, & obseruant, ad defunctorum memoriam excitari, vel, vt Deum pro illis rogent, vel vt ad illorum vitam suam quoque cõponant. Monentur ijsdem quoq;, nulla arma, nullam bellicam virtutem, nullam strenuitatem à morte liberare potuisse: Quare non nimium armis, aut fortitudini fidendum, sed Deo, virtutumq; Christianarum studio impigrè incumbendum esse. Vix enim vllus alius efficacior est stimulus ad benè viuendum, ac iugis meditatio mortis. Vnde, vt Chrysofomus in quodã sermone exponit, Deus vbiq; sepulchra fieri voluit, quò per illa nostrè nos infirmitatis, & conditionis admoneamur. Ex veteris itaq; Scripturæ historia manifestum est, magnifica monumenta piè defunctis erigere, per se malum non esse, tametsi per accidens malè id fieri possit.

At verò in noua lege, vbi tãtus extitit fortissimorum Martyrum, clarissimorũ, illustrissimorumq; Confessorum prouentus, innumera suppetũt exempla. Verùm quòd hæc nusquam non in oculos incurrant, (Nam vt desumptuosissimis Diuorum monumentis, & mausolæis, quæ ante mille & eo amplius annos pijsimè erecta etiamnum passim cernuntur, nihil dicamus: nulla extat ciuitas, nullum oppidũ, nullus pagus tametsi exiguus, in quo nõ aliquod extet templum, aut altare, in Dei & Sancti alicuius honorem erectum & consecratum) commemorare allatisque exemplis illustrare supersedeo.

Et

Et ne cauillari quis posset in honorem Martyrum, vel aliorũ quoq; Diuorum fieri hæc posse, in aliorum autem fidelium licet præstantium non item: obstant vetustissima & magnificentissima virorum principum, aliorumque de Republica benè meritorum monumenta, quæ passim in antiquis Christianorum hominum templis ac basilicis ad huc conspiciuntur. Nihil est ergo quod Sectarij sepulchrorum, vel monumentorum magnificentiam incusent. Si enim ea, quæ nunc in Diuorum, vel aliorum quoq; fidelium benè de Repub. vel Ecclesia meritorum gratiam, commendationem, vel gratitudinis significationem eriguntur, cum veterum magnificentia, liberalitate, gratitudine, ac pietate conferantur, omnia vilia, obscura, & abiecta cernentur: & tamen non minor tunc erat pauperum prouentus, quàm nunc est, & fortè maior.

Sed & exequiarum apparatus, & funeris splendorem, & luctus significationem, & cætera omnia, quæ huc faciunt, æquè iniuste quoque traducunt, publiceque calumniantur. Constat enim veteres multò liberaliores, multoq; religiosiores, & sumptuosiores in omnibus funeralis officij partibus extitisse, quàm huiusætatis fideles. Et quanuis id ex sepulchris & monumentis, de quibus proximè actum est, satis sit compertum, (siquidem qui magnificos, & religiosos sese ostenderunt, extruendis piè defunctorum monumentis, & memorijs, ij haud dubiè in exequijs, cæteroq; funerali ornatu non fuerunt parci, aut sordidi) attamen quò planum fiat, nihil iam fieri, quod olim non sit factum, & quidem maiori cum apparatu, maioriq; splendore, & deuotione; pauca hinc in mediũ adferre visum est, quæ modernos parentandi, iustaque soluendi ritus & cæremonias non nouas aut heri natas esse ostendant, sed antiquissimas, & ipsi planè Ecclesiæ coæuas.

Et quidem veteres mortuos suos luxisse, (hinc enim tãquam à proximis exordium facere placet) extra quæstionẽ est. scriptum extat enim: Mortua est Sara in ciuitate Arbeæ, quæ est in Hebron in terra Chanaan: venitque Abraham, vt plange-

v v v 2 ret

Veteres in Diuorum monumentis extruendis & ornandis magnifici.

Gen. 23.

Cap. 49. 50.

Num. 20.

1. Reg. vit.

ret & fletet eam. & infra: Finitis mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obijt. Quod cernēs Ioseph, ruit super faciem patris flens, & deosculās eum. & paucis interiectis: Fleuitque eum Aegyptus septuaginta diebus. Sic omnis Iudæorum multitudo per cunctas familias suas fleuit Aaronem triginta diebus, ac totidem paulò post fratrem eiusdem Moysen. Sic Dauid planxit Saul & Ionathan, hortatusq; est filios & filias Israëli, vt eosdem lugerent, ac deslerent. Desfleuit idem multis postea diebus Amon filium ab Absalone necatum, tum ipsum quoq; Absalonem tribus lanceis confossum. Sic in nouo Testamento sanctæ mulieres desfleuerunt Christum. Sic denique viri timorati ac religiosi deplanxerunt Stephanum, & alij item alios.

13. q. 2. cap. Habent.

Quòd si Antagonistę non ipsum luctum, sed luctū insanum culpant, nobiscū faciunt. Nam & nos quoq; fatemur eiusmodi luctum debere esse moderatum, grauem, cordatum, deniq; talem, qualem decet esse illorum, qui certò credunt vita functos nō interiisse, sed apud eum, cui omnia viuūt, quasi in deposito esse. & huc tendit illa Anastasij Pontificis admonitio. Habent illi forsan, ait, iustam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc seculo ad melius esse transitum non confidunt. Nos autem, qui hoc credimus, & docemus, tristari nimium de obeuntibus non debemus: ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit. & illud rursus Concilij Toletani tertij: Prohibet Apostolus lugere defunctos, dicens: De dormientibus autem nolumus vos contristari, sicut & cæteri, qui spem non habent. Et Dominus non fleuit Lazarum mortuum, sed ad vitæ huius ærumnas plorauit resuscitandum. Si ergo potest hoc Episcopus omnibus Christianis prohibere, non moretur agere. Religiosis autem omnino aliter fieri non debere censemus. & illud Chrysostomi:

13. q. 2. cap. Qui diuina.

13. q. 2. cap. Vbicunq;.

Vbicunq; sepeliamur, Domini est terra, & plenitudo eius, secundum quod oportet fieri, fiat. Lugere autem, & deplorare,

rare, & lamētari immoderatiūs eos, qui ab hac vita decedūt, ex pusillanimitate cōtingit. & illud tandem Cypriani: Quam, ^{13. q. 2. cap.} ^{Quam præ-} ^{posterum.} inquit ille, præposterum est, quamq; peruersum, vt cūm Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos Deus, & accersit nos de hoc mundo, non statim voluntatis eius imperio pareamus. & paucis interiectis, subdit: Nobis ipsis minimis & extremis quoties reuelatum est, quam frequenter atq; manifestè de Dei dignatione præceptum est, vt contestarer assidue, vt publicè prædicarem fratres non esse lugendos, accensione Dominica de seculo liberatos: cūm sciamus non amitti, sed præmitti, & recedentes præcedere, vt proficiscentes & nauigātes solent. Hæc omnia luctui modum ponendū esse monēt: simplicem autem luctum, aut fletum nequaquam inhibent. hoc enim prohibere, aliud nihil esset, quam cū ipsa natura bellum inire.

Corpora porrò lucta & complorata nobiliores Iudæi, vt Genesis, & Euangelistæ testatum nobis faciunt, nō prius terræ committebant, quam ea aromatibus condijissent, linteisq; ac sudarijs obuoluissent. Sed & primi quoq; Christiani fidelium lipsana nō solūm abluebant ante sepulturā, sed oleo quoq; inungebant. Erat quædam discipula nomine Tabitha, scribit ^{Acto. 9.} Lucas, hæc erat plena bonis operibus, & eleemosynis, quas faciebat. Factum est autem in diebus illis, vt infirmata moreretur. Quam cū lauissent, posuerunt eam in coenaculo. Dionysius Areopagita: Conuocato sacro choro diuinus Antistes, ^{Eccl. hier. c. 7} si is, qui excessit è vita, erat ordinis sacerdotum, vbi ante altare eum posuit, Deum precari incipit, eiq; gratias agere. Si autem sacris monachis, sancto'ue populo annumeratus erat, eum ad veneratione dignum sacrarium collocat. Deinde peracto precationis sacro, pontifex oleo mortuū perfundit, corpusque cum alijs eiusdem ordinis sanctis corporibus reponit, & condit. Hic inungendi ritus in dissuetudinem nunc abiit: Ablutio autem multis in locis etiamnum obtinet, vt & candidus quoque & linteus amictus. Alicubi tamē eodem illo ha-

bitu induuntur mortui, quo utebantur viui.

Cæterum ritè composita, honesteque obuoluta, ac pheretro imposita, vel oculis quoque inclusa piè defunctorum cadauera, magna comitâte Christiani populi cæterua, cum psalmis, hymnis, lãpadibus, alijsque id genus pietatis officijs, quæ nunc derident & exhibant Antagonistæ, deducebantur ad sepulture locum. Verùm quò videant, si tamen oculos ad videndum habeant, se iustiùs deridēdos & exhibãdos, qui isthęc derident & exhibant, quàm qui Catholico, vetustissimoque maiorum ritu eadem obseruant: agè paucis quibusdam veteris Ecclesiæ testibus, eiusdemque exemplis, quę de hymnis, psalmis, cereis, religiosorum gregibus, funus deducētibz hęc asserimus, confirmemus & illustremus.

Hom. 4. epist.
ad Heb.

Chrysostomus: Dic mihi, quid sibi volunt istę lampades tam splendide? Nõne sicut athletas eos producimus? Quid etiam hymni? Nõne vt Deum glorificemus, & ei gratias agamus, quòd iam coronauit discedentem, quòd à laboribus liberauit, quòd à timore liberatum, apud se habet? Nõne propter hoc hymni? nõne propter hoc psalmodia? Omnia hæc gaudentium sunt. En hęc audis psalmos, hymnos, lampades.

In Epitaphio Paulæ.

Hieronymus: Translata est Paula Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subijcientibus, cum alij pontifices lampades cereosque præferrent, alij choros psallentium ducerent: In media ecclesia speluncę Saluatoris posita est. Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? Quam virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegum putabant, qui nõ tali foeminæ vltimum reddidisset officiũ. & paucis interiectis: Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordinem personabant: Non solum triduo donec subter ecclesiam, & iuxta specum Domini poneretur: sed per omnem hebdomadam, cunctis qui venerant suum funus, & proprias credentibus lachrymas. Et hęc habes hymnos, longasque vigiliã in Paulę funere decantatas: tum cereos, & lampades: tum

Mona-

Monachorum quoque greges: tum ingentem denique promiscuę multitudinis turbam, Paulæ funus sua præsentia & deuotione certatim cohonestantem.

Gregorius Nyssenus: Interim dum hæc agebamus, fama, nescio quomodo vndique diffusa, omnes finitimos ad funus adduxit, ad eò vt concurrentes vestibulum non caperet. Cum igitur nocturna peruigilatio canendis psalmis perfecta esset, & crepusculum aduenisset, & paulatim progredere dies, & locus præ confluentium multitudine angustus redderetur, surgēs, qui ei regioni præfectus fuerat, Episcopus Araxius nomine (aderat enim cum vniuersa multitudine Sacerdotũ) præcepit vt sensim procederet tabernaculum. Ego igitur feretrum subiens illum aduocaui, vt alterã partem sustineret: posteriores verò feretri partes subiērent duo alij ex Clero insignes viri. Ex vtraque autem parte procedebat nõ exiguus Diaconorum, ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes accēsos cereos manibus gestabāt. En hęc rursus insignis ad funus Macrinę concursus, numerosus Clerus, accensi cerei plurimi, funeriales Vigilię, solennis admodum funeris deportatio. Et quid igitur cæci isti contra hæc vsque ad eò vetusta & celebria insaniunt?

Epist. ad
Olymp. de
obitu foro.

Gregorius Nazianzenus: Tum miraculum omnium, quæ ynquam acciderunt, cõtigit celeberrimum. Gestabatur Sanctus manibus subleuatus, singuli que contendebant: & hi quidem, vt fimbriam contingerent, vel ab vmbra contingerentur: alius, vt loculum, quo sacer ille efferebatur, solum tangeret: alius, vt gestantibus appropinquare possēt: nõnulli, vt solo spectaculo perfrui valerent. Ex omni genere & etate aderat numerus penè infinitus. Psalmodię resonabant antè incognitæ. Hęc nulla cereorum fit mentio, sed tantum psalmodiæ, & solennissimæ pompe, sed quis abfuisse dicat?

In Epitaphio
Basilij Mag.

Socrates: Corpus Imperatoris in aureo loculo collocatũ ad Constantinopolim est deuectum, & in celso palatij loco repositum. Quod in multis honoribus, & veneratione, quasi

Lib. 3. c. 26.
hist. Trip.

viue-

viueret habebatur. Postea verò ab Oriente Constantio veniente, cum imperialibus exequijs fanus eius sepultum est in Apostolorum ecclesia. Obserua hinc Constantini corpus aureo loculo inclusum, imperialibus, hoc est, sumptuosissimis celeberrimisq; exequijs fuisse sepultum. Quæ autem exequiarum sint partes, & appendices, ne ipsi quidem, qui hæc impugnant, nesciunt.

Lib. 9. c. 50.
Nazian. inuoc.
2. in Iulian.

Nicephorus: At nostri Constantij funus publico producitur apparatu, omniumque acclamationibus, & sanctioribus istis carminibus, item nocturnis hymnis, & lucernarum ignibus, quibus Christiani obitum pium cohonestandū censemus. Vbi autem ad magnam & imperatricem urbem ventum est, quid dicere attinet vniuersi exercitus satellitium, & armatorū ordines, qui tāquam viuo adhuc Imperatore affuere: aut splendidæ vrbs effusionem, & omnium, qui vel fuere, vel futuri sunt, celeberrimum occursum? Et hinc præter celeberrimum ordinum omnium occursum, solennissimamq; funeris deductionem, & apparatus splendidissimum, audis nocturnos hymnos, lucernarum ignes, & alia, quorum in hodiernū vsque diem in exequijs & iustis funeralibus vsus est receptissimus.

In Vita S.
Ambro.

Paulinus Presbyter: Lucescente die Dominico cum corpus illius peractis sacramentis Dominicis de ecclesia leuaretur, portandū ad basilicam Ambrosianā, in qua positus est, ita ibi dæmonum turba clamabat se ab illo torqueri, vt eiulatus eorum ferri non posset. Iactabant etiam turba virorum ac mulierum oraria, vel semicindia sua, vt corpus Sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exequiarum turba innumerabilis, totius dignitatis, totiusq; sexus, omniumq; penè ætatum, non solum Christianorum, sed etiam Iudeorū & paganorum: maiore tamen gratia ordo præcedebat eorum qui fuerant baptizati.

In Vita Chry-
soſt.

Simeon Metaphrastes: Facto crucis signo requieuit. Licebat autem post hæc videre, tanquam signo dato, concurrentes ex Syria, Cilicia, Ponto & Armenia, omne genus hominū, &

& omnem ætatē, propter vtilitatem communem, & salutem, & sic deponitur patientissimum & sanctissimum illud corpus cum Martyrū, quæ illic sunt, corporibus. Portatæ sunt autem venerandæ & sanctæ eius reliquiæ Cōstantinopolim cum psalmodia, luminibusque, & vnguentis, quæ verbis exprimi nequeunt.

Angradus: Indutum veste pontificali, positumque in lectica, prælatis ante ipsum aromatibus, & incenso, susceperūt illud venerabile corpus ciues, qui aduenerāt, Rothomagenses, monachi que cœnobij Fontanellensis. Comitabatur venerabilis Abba Halidulphus, cum plurima suorum frequentia monachorum, ac plebe innumera vtriusque sexus, cum sanctæ crucis vexillis diuersis, cereisque ac lampadibus, hymnorum nihilominus canticorumque diuinorum carmina in eius laude dulci modulatione canentes, & in dissonis diuersarum linguarum choris amorem consonum habentes.

Euerhelmus Abbas: Sacerdotalibus infulis, vt sacris astare altaribus solebat, vestitur. Alba etiam casubula sanctum illud corpus fratres curabant vestire. Oratorio deinde exponitur, nox illa cum precibus vsque ad lucis ortum pro eo trāfigitur. Apparatisque ijs, quæ ad transferendū eum prouiderant, clam è patriæ ipsius limine exierunt, & Leodium vsque deuenērūt. Masonus autem eiusdem ciuitatis cœnobijs indixit, vt cum crucibus, lāpadibus, atq; thymiamaterijs illud sacrum corpus exciperent, eaque, quæ talē Dei seruū deceret, honorificentia prosequerētur. Mitto alia, infiniti enim laboris esset omnia, quæ literis ea de re, tradita extāt, in hunc locum conferre. Qui plura huius rei exempla desiderant, percurrant Diuorū res gestas. Nobis sat est, paucis hisce planū fecisse, nihil hoc tempore circa funera demortuorumque iusta obseruari, quod mille annos ante Lutherum natum religiosè obseruatum non fuerit.

Sed tolerentur hæc, inquit ex Sectarijs quidam, dummodo modum non excedant: at quorsum opus est Anniuersari-

is, Trigesimis, Quadragesimis, alijsque eiusmodi, quæ statis diebus defunctorum causa celebrantur, & obseruantur? Hæc enim omnino sunt parerga, & ad rem mortuariam nihil profusus facientia. Sanè vt cætera funeralia non sunt nata ex Monachorum cerebro, aut Sacerdotum aucupio; sed ex Apostolorum traditione, secretoque Spiritus sancti consilio: ita hæc ipsa quoque, quæ de Anniuersarijs, cæterisque cognatis ab aduersa parte carpuntur, & apud imperitam plebem in contemptum & odium deducuntur. Quod vt ipse quoque Antagonista palpare valeat, paucis, quid antiquitas hæc obseruatum sit, ostendere non grauabimur.

Lib. 6. cap. 43.
cõstit. Apost.

Clemens Apostoli Petri in Apostolica sede successor: Peragitur dies tertius mortuorũ in psalmis, & lectionibus, & orationibus, propter eum, qui tertia die resurrexit: etiam quadragesimus secundum veterem formam. Moysen enim hoc modo populus luxit. Nec non anniuersaria pro memoria ipsius, deturque de illius facultatibus pauperibus in commemorationem ipsius. En hæc ex Apostolicis constitutionibus statutur tertius, quadragesimus, & anniuersarius emigrationis dies. Nec prætereuntur elemosynæ, quæ in eiusmodi diebus erogari solent, & erogari quoque, si fieri id potest, deberent.

De coro. mil.

Tertullianus: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua facimus. & alio rursus loco clariùs, (natalitium enim ad Diuos pertinet veriùs, quàm ad vulgares defunctos) Perseueret cum eo, & pro anima eius oret, & offerat anniuersarijs diebus dormitionis eius.

Orat. funeb.
pro Casar.

Gregorius Naziæzenus: Et hæc quid præstitimus, alia aut præstabitur, ac singulis annis nos, qui supstites sumus, honores hos instaurabimus, & memoriam defunctorum renouabimus.

Lib. 3. in Iob.

Origenes: Conuocantur in anniuersarijs diebus memoria, vel parentum defunctorum, vel amicorum, vel quorumcunque, qui in fide decesserunt, sacerdotes simul & laici. Atque in eo coetu primum mortuis, quod in fide decessissent, gratulantur, & sibi pium ac tranquillum exitum quisque precatur.

catur. Postea conferuntur elemosynæ, vel oblationes, quæ in pauperes, pupillos, & viduas, qui simul tunc adsunt, distribuuntur.

Ambrosius: Eius ergo principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio principe. Quia sicut Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio patri iusta persoluit. Et quia alij tertium diem, & trigesimum, alij septimum, & quadragesimum obseruare consueuerunt, quid doceat lectio consideremus. Defuncto Iacob, præcepit Ioseph pueris suis sepultoribus, vt sepelirent eum. Et sepelièrunt sepultores Israël, & completi sunt quadraginta dies. sic enim numerabantur dies sepulturae. Et luxit eum Israël septem diebus. Hæc ergo sequenda est solennitas, quam præscribit lectio. Sic etiam in Deuteronomio scriptum est: Quia planxerunt filij Israël Moysen triginta dies, & consummati sunt dies luctus. Vtraque ergo obseruantia habet authoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium.

Damascenus: Hoc est, quod vult & consulit misericors Deus, vt vicissim nos tam in vita quàm post mortem beneficijs prosequamur. Neque enim vnquam occasionem dedisset habendæ memoriæ defunctorum in sacrificio incruento, aut tricesimorum, aut quadragesimorum, aut anniuersariorum, quæ nunc Catholica & Apostolica Ecclesia, populusque à Deo collectus ac pietati deditus, inconcussa absque omni contradictione obseruat, nisi hoc rectum in oculis illius foret. & subdit: Profectò si res ponderis fructusque expers esset, cum tot Sancti diuino Spiritu pleni, Patriarchæ, Patres, & doctores extiterunt, vtique aliquis eorum ad errorem eiusmodi sopiendum incubuisset. At tantum abest, vt quis vnquam subuercere tentauerit, vt confirmarent etiam, quotidieque magis ac magis huic operi studeatur, incrementumque adijciatur incremento. Hæc Damascenus, quæ sanè obseruatione sunt dignissima.

Sec. de defunct.

In suo Testa.

Beatus Ephrem: Accedite ad me, o fratres, & componentes collocare me. Spiritus enim meus deficit fortiter. Et comitemini me psalmis & orationibus vestris, & assidue pro mea paruitate offerre dignemini: & cum trigessimum diem compleuero, mei memoriam faciatis.

In hist. Schol. de sepul. Iacob.

Petrus Trecensis: Mos erat Ethnicis in condita seruare corpora nouem diebus, & singulis diebus plangere, & fouere ea aqua calida, ut scirent vtrum anima egressa, an sopita foret. Condita vero quadraginta diebus seruabant. Hebraeis mos erat incondita seruare diebus septem, condita diebus triginta. Fideles modo, qui mortuos suos fide & virtutibus conditos aiunt, triginta diebus eos plangunt, hoc est, speciales Missas sub numero tot dierum pro ipsiis celebrant.

Lib. de offic. Miss. c. 38.

Cap. 19.

Amalarius: Solennes memorias mortuorum generaliter celebrare, tertia, septima, & trigesima die. scriptum est in Numerorum libro: Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc fuerit immundus, septem dies aspergatur ex hac aqua, die tertia, & septima, & sic mundabitur. In celebratione triginta dierum, suffulti sumus Moyse & Aaron celebratione. ita

Cap. 20.

enim scriptum est in eodem libro: Multitudo omnis videns occubuisse Aaron, fleuit super eum triginta diebus per cunctas

Cap. 34.

familias suas. & iterum in Deuteronomio de Moyse: Fleuerunt eum filij Israel in campestribus Moab triginta diebus. & infra: Quando studemus, ut opera amicorum nostrorum sint plena coram Deo, triginta diebus pro eis sacrificamus. Non opinor, ut aliquis velit dicere, quod non liceat nobis orare quotidie, & sacrificare pro mortuis: sed quod agitur in tertia, septima, & trigesima die, publice agitur, & generaliter ab omnibus amicis, & conuenitur simul in precibus Missarum ad hoc, & elemosynis, & ceteris bonis studiis. & quibusdam interiectis: Anniuersaria dies ideo pro defunctis repetitur, quoniam nescimus qualiter eorum causa habeat in altera vita: Alioqui enim bonum est omni tempore orare pro defunctis.

Mitti-

Mittimus hic gesta Episcoporum Metensium, quæ eiusdem Ecclesiæ clerici Episcopo suo Clodolpho per dies triginta Missarum solennijs, orationibus, continuis vigilijs, & psalmodijs pietatis intuitu iusta persoluisse exponunt. Tum annales Constantinopolitanos, qui Michaëlem & Procopium Imp. Tharsij Patriarchæ memoriam anniuersario die ad eiusdem sepulchrum celebrasse commemorant. Tum venerabilem quoque Bedam, qui libro historiæ suæ tertio Hagulstadenfis Ecclesiæ fratres ad crucem, quam Osvaldus in Angliâ erexerat, quotannis pridie ante illum diem, quo is occisus fuerat, Vigilijs cum plurima psalmodiarum laude continuasse, & victimam sacræ oblationis pro salute animæ eius offerre solitos fuisse denarrat. Tum cæteros denique recentiores tanquam testes ad rem præsentem minus necessarios.

Cum ergo nihil ab Aduersarijs adferatur, quod vilius sit momenti; nihil ab eisdem insimuletur, quod non sit sacrosanctum, & iam inde ab Apostolorum ætate in Ecclesia Dei receptum & vsitatum: veteres imitati, de mortuis quibuscunque vijs, modis, ac rationibus quærimus, opem feramus. Offeramus sacrosanctum altaris sacrificium ob illorum salutem frequenter. Fundamus crebras & deuotas eiusdem rei causa preces tum priuatas, tum etiam publicas. Dispertiamus elemosynas largas, ne parentes, aut amici iustam de nobis querelam conqueri queant. Saltem ne pijs illorum voluntates fallamus, aut vota defraudemus. Constituamus panem & vinum nostrum super sepulturam iusti, pieque in Domino defuncti, non quo mortuos cibo potu ve reficiamus, sed quo ministrorum Ecclesiæ, in quorum alimentum hæc cedunt, deuotionem, & in defunctos studia acuamus.

Offeramus cereos, oleum, thymiana, non ut hisce rebus mortuis viam in obscuro ostendamus, sed ut Dei cultum hac ratione amplificemus, simulque Christum Dominum veram illam lucem esse, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, eiusmodi symbolis testatum faciamus. Spargamus

x x x 3

aquam

aquam sacram super defunctorum tumulos, tum ad fugandos malos demones, ne fidelium orationes impediunt, aut defunctorum corporibus illudant: tum ad refrigerium quoque à Deo Opt. Max. spiritibus impetrandum, internamque deuotionem excitandam. nam & hæc quoque per eiusmodi aquam denotatur. Pulsemus campanis, tum vt Christi fideles pro defuncto, cuius causa istud fit, orandū esse intelligant: tū rursus, vt in Domino demortuos non perijsse, sed tantū obdormiuisse, atq; ideo olim, cū nimirum terribilis illa tuba insonabit, denuo ad vitam excitandos esse, hinc discant. Offeramus ieiunia, carnem ob eorum salutem affligentes: quibus, si ita visum est, adiungamus, & vestium quoque asperitatem, & colores luctuosos, & vigiliis, & humi cubationes, aliaq; id genus similia. Denique nihil eorum omnium prætermittamus, quæ defunctorum causæ quouis modo prodesse posse in Catholica Ecclesia didicimus: Ita enim futurum est, vt magnos subinde meritorum cumulos per Christi gratiam coaceruemus, & vtilissimam nihilominus operam piæ in Domino defunctis nauemus, & tandem omnes cœlesti illa beatitudine, ob quam conditi sumus, læti potiamur. Quod nobis per suam misericordiam largiatur ille, qui viuorum simul dominatur & mortuorum, omniumque miseretur, quos suos fide & opere futuros esse prænoscit, **I E S U S C H R I S T V S** Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in perpetuas æternitates. Amen. Et hæc de Purgatorio, cæterisque, quæ huic tractationi præmissimus, hæcenus: Quæ omnia Catholicæ Ecclesiæ iudicio per omnia submittimus, submissaque volumus. Augu-

stæ Vindelicorum, Anno

M. D. LXXV.

F I N I S.

